Officina THEOLOGICA DANIELIS HOFMANNI, PROFESSORIS ET DOctoris Theologiæ in Illustri Ducis Brunsuicensium Academia Iulia.

Ante aliquot annos publice ab eo lecta.

Hactenus a multis multum expetita.

NVNC E PVBLICIS PRÆlectionibus excerpta, & in communem Ecclesiæ vsum ab auditoribus edita.

Liber omnino ad salutem necessarius & vtilis.

EME, LEGE, IVDICA.



EDIMBVRGI

Imprimebat Iohannes Schenck.

M. D. XCVI.





OMNIBVS SCHOLASTICIS IN ACADEMIA IVlia, Christianæ doctrinæ studiosis Salutem D.



OSTQVAM iterum magno Dei beneficio, quod grata mente celebro, explicationem præcipuorum doctrinæ Christianæ capitũ absolui, & hic labor in schola pietatis merito redit actus in orbem, significo me, iuuante summo Ecclesiæ doctore CHRISTO JESV, *rediturum esse ad diligentem eorundem capitum declarationem. Sicut autem hactenus auditorum captui me accommodaui, ita porro huiusmodi æquißimo studio vacare est animus. Quamobrem cũ intelligam locorũ communium D. Philippi tractationem, prolixiorem vi-*

deri adolescentibus, quam multorum poscat & ferat ratio: desiderari autem succinctam repetitionem institutionis Theologicæ, & hanc fructiferam fore iunioribus, si ad minimum summa rerum dictata, calamo possint excipi, graui consilio constitui, retinere vsitatum nostrum libellum, quem ex scriptis Dn. Melanchthonis Dn. Chytræus in formam Catecheseos redegit: In isto autem enarrando, duce Spiritu sancto, adultioribus & iunioribus fidem meam probabo, hunc modum σὺν θεῷ secuturus, vt definitiones & diuisiones, cum annexis doctrinis & necessariis obiectionũ quarundam refutationibus, populari sermone, eaq; ad examinum morem, quibus tradita reposcere solemus, composito, quam fidelissime declarem, daboq; operam, ne expeditioribus, quin habeant in

char-

chartam, quod velint, referant, desim. Iis vero, qui tardius dictanda postulant, summas rerum, in singulis articulis solidæ Theologiæ basin substituentes, breuißimis aliquot Thesibus, quasi maximis comprehensas, proponam, vt unicuique testimonia scripturæ præstantißima & aptißima subiiciam. Cum dolore enim experimur in censuris multorum, qui functiones scholasticas ambiunt, vel ad eas vocati sunt, quod hanc partem studii Theologici, quæ tamen vnicum certæ cognitionis fundamentum præstat, negligant, & sicut in vastis syluis viatores errant, & pereunt: ita vago cursu in Theologia isti peregrinantur, & inconfecto cursu conficiuntur. Exordiar autē, auspice Christo, dictam explicationem die Lunæ proxima, quæ erit Jan. 11. ad quam

conueniant ſcholaſtici, qui vel alias de hiſce articulis aliquem docere voluerint, vel politico regimini operam daturi ſunt, vt ſuam etiam vocationem Deo conſecrandam norint. Sit Ieſus Chriſtus Immanuel noſter iungendo nobis Deum & nos Deo, vt, quod hic in ænigmate affertur, indubia mente & inoffenſo pede nos dirigat, deducat ad αὐτοψίαν in cœlis, Amen. P. P. Helmſtadii 9. Ianuar. Anni 85. ſtylo & humanæ libertatis indice.

Daniel Hofman. D.

ELEN-




ELENCHVS PRÆCIPVORUM capitum & locorum huius tractatus.

De certitudine verbi Dei. pag. 2.
Κριτήρια quædam pro sacris Bibliis. pag. 24.
De studio Theologico. 60.
I. Locus de verbo Dei. 81.
De Deo. 104.
De Deo Patre. 132.
De Deo Filio. 142.
De Spiritu sancto. 224.
De inuocatione Dei. 235.
De sanctorum veneratione. 254.
De creatione. 258.
De prouidentia. 268.
De angelis. 280.
De homine. 298.
De affectibus. 317.
De imagine Dei. 324.
De libero arbitrio. 334.
De lege 369.
De legibus Dei in populo Iudaico temporalibus. 402.
De libertate Christiana. 419.
De peccato. 430.
De Euangelio. 497.
De iustificatione hominis coram Deo. 521.
De bonis operibus. 563.

De

De particulis exclusiuis in loco iustificationis. 600.
Explicatio causarum, propter quas necesse sit retinere particulas exclusiuas. 613.
De sacramentis in genere. 623.
De distinctione sacramentorum. 654.
De sacramentis veteris Testamenti. 672.
De circumcisione. 672.
De agni segregati mactatione, assatione, &c. 679.
De sacramentis noui Testamenti. 691.
De baptismo. 725.
De sacramento cœnæ Dominicæ. 788.
De pœnitentia. 877.
De Ecclesia. 901.





DANIELIS HOFFMANNI TEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS Isagoge ad fundamentalem Theologiam.

Prolegomena.

VT nihil in vita temere suscipiendũ, ita ad doctrinæ alicuius studium non sine deliberatione accedendũ est. Cogitationes enim sucipiantur, vbi nõ est consilium, inquit homo sapientissimus Prouerb. 15. De duobus autem potissimum consultandum, num videlicet discendi cognitio sit necessaria, & qua ratione solidior eius notitia paretur, quæ tanto consideratiore indiget consilio, quanto præstantius doctrinæ genus potissimum sit, diuiniori videlicet de diuinioribus. Aliud rursus inuenienda, aliud inuenta poscunt discendi studium: illa quem sequaris non monstrant, hæc antecessorem præbent: illa consilium indagatorem requirunt: hæc consultorem alium afferunt, qui si primarius & summus est, omnibus aliis ceu optimus antefertur. Nobis autem nunc doctrinarum regina colenda est, Theologia scilicet, quæ est

de Deo & diuinis meditatio & diſceptatio. Doctrina quidem iam ante conſcripta, verum non humana inuentione, vt artes & ſcientiæ permultæ, etſi Deo accedente inſtitutione, ab hominibus tamen ingenii ſagacitate repertæ ſunt. Sed ſingulari Dei immediata reuelatione tradita, qui etiam conſiliũ diſcendi ipſe monſtrauit fideliſſimum, certo verbo oris ſui ad Prophetas & Apoſtolos edito, & per hos in tabulas relato, ne calamum noſtrum mente propria, ſed mẽtem noſtram calamo Dei pingeremus. Hic vero initio ſtatim oboritur grauis quæſtio, cum plures religiones Deo oracula iactitẽt, num ſcripta Prophetica & Apoſtolica veriſſimum Dei verbum promant, vel hoc in aliarum religionum commentariis verius recondatur, vel diuerſarum religionum ſcripta eiuſdẽ ſint finis & paris dignitatis. Hic intelligit auditor dubitationem iſtam, niſi diſcutiatur, fundamenti, quod ponendum eſt, primũ ſtatim lapidem mouere poſſe. Quamobrem ante omnia, de certitudine verbi Prophetici & Apoſtolici mentes iuniorum muniamus, & poſtea eos in ſenatum iſtorum deducemus, vt quod audierint de curſu Theologici ſtudii inſtituendo & conficiendo, ſanctius conſilium habeant & alacrius ſequãtur.

DE CERTITVDINE VERBI DEI IN SCRIPTIS PROPHETICIS ET Apoſtolicis.

QVi de veritate religionis diſceptant, aut omnes,

omnes,aut nullas , aut aliquas religiones negant. Qui nullam credunt,negant principium communissimum esse Deum,eumque colendum inficiantur. Qui omnes commendant: præcipue impingunt in hanc maximam : Esse vnum verum Deum , eumque mutabilem faciunt. Qui aliquas negant , & vnum tantum Deum vnice colendum profitentur, hi vnam tantum veram religioné statuant necesse est: Quæ autem illa sit certis κριτηρίοις & collatione demonstrandum est.

REFVTATIO EORVM, QVI OMNEM RELIGIONEM NEGANT.

MOnemus nostros auditores, de nostro instituto generaliter , nos collecturos esse nō omnia,quæ ad singula, vel cōfirmanda,vel refutāda,afferri possunt. Sed paucis neruosioribus argumentis , vbique contenti erimus, quibus bonorum & piorū mentes firmentur, cum nobis propositū hic sit , vt prima fundamenta recte & fideliter iaciantur.Ad duo hic attendendum est. *Primo* esse Deum. *Secundo* illum colendum esse.Illud probatur quatuor potissimum argumentis. I. Est a testimonio vniuscuiusque mentis. II. A ratione mentem dormitantem expergefaciēte & tergiuersantem conuincente. III. A testimonio verissimarum gentium , vix particula rationis vtentium. IV. A iudicio sapientissimorum Ethni-

eorum, qui mentem humanam, num in hac sententia erret, nec ne, accurrate probarunt.

De Primo.

TEstimonium præcipue cuiusque mentis fronte & sermone quidem aliquandiu dissimulari, plane autẽ tegi non potest. Quando verbis occultat, quod sit Deus, non potest non prodere, & esse, & colendum esse Deum, dum vel vitat atrocia scelera, vel perpetrat illa. Cur enim vitat, presertim liber a pœnis humanis, nisi metu numinis, cuius animaduersionẽ mens propria dictitat? & quare pallet & palpitat commissis magnis sceleribus, si vere ignorat & serio negare potest, esse Deum & colendum.

De Secundo.

RAtiocinatio menti reluctantem subiens, ex multis aliis hæc est promtissima & ponderosissima. Impossibile est ingentia, pulcerrima, & admiranda, & constantis ordinis, & consensus esse opera casu orta, & manere, sed necesse est, esse aliquam eorum causam prestãtissimam fabricantem & regentem, cui tãquã auctori & domino subiecta sint & pareãt. Quantæ enim magnificentiæ sunt cœlũ, terra, & mare, moles illæ vastissimæ, quanta pulcritudo vniuersi, quantus singulorum & omniũ ordo, quanta maiorum & minorum harmonia, quanta sapientia in fabrica humani corporis, sensibus externis patentis, quanta in anima

anima latet, quanta regularitas motuum cœleſtium & multorum aliorum: ergo vniuerſus mundus & partes ſingulæ caſum negant, & creatorem & dominium ſuum teſtantur, idq; mentis humanæ iudicium obtinẽt. Huic perſuaſum eſſe peruincunt, cultum auctori deberi, cui reliquas creaturas ſubiectione ſua reuerentiam quandam exhibere cognoſcitur.

DE TERTIO.

TErtium argumentum multitudine teſtiũ, omnium videlicet gentium ſuffragiis cõſtat, & ita colligitur, vt vinculum firmitatis in inductione, nullo cõtrario exẽplo rũpi queat. Nulla enim gens tam fera: nemo hominum tam eſt immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio, vt verbis Ciceronis ex 1. Tuſ. Quęſtionum vtamur. Nulla etiam gens nominari poteſt, quę non aliquod numen verita ſit, aut vereatur & colat hodie, quo tamen tempore permagna, pars orbis terræ ante ignota, & a Barbaris inhabitata, iam innotuit.

DE QVARTO.

QVartum teſtimoniis eorum conſtat, qui poſt exquiſitum mẽtis ſuæ examen & accuratã ratiocinationẽ copulæ grauiſſimæ atteſtati ſunt, eumq; vt ſupremũ dominũ & benefactorem colendum. Qua de re nõ eſt opus collectione oraculorũ Orphei, Homeri, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, Pythagoræ, Cice-

ronis & plurimorum aliorum, quæ ſcholaſticis in aliarum diſciplinarum tractatione frequenter offeruntur. Ad obſeruationem enim tantum indicium faciendum hic fuit, qua & hoc notandum, quod in hiſtoricis prophanis agmina occurrant religionum uſurpatarum apud Ægyptios, Græcos & Romanos, gentes præ reliquis toti a ſapientiſſimis mundo commendatas. Hinc ergo talem conficimus ſyllogiſmum:

Qui eo, quod ſentit, ſeipſum hominem negat, vniuerſitati rerum, & omnibus, tum doctis, tum indoctis, feris & humanis gentibus contradicit, is nullam indicta ſententia meretur fidem:

Qui negat eſſe Deum & colendum, is ſe hominem humana ratione præditum negat, omnibus creaturis inanimatis & animatis, brutis & rationalibus vniuerſi mundi, vnus contradicit.

Ergo: *Negans eſſe Deum, & colendum, nullam meretur fidem.*

Poſtquam vero ex vniuerſali principio refutatio deducta eſt, hunc eius modum a Spiritu ſancto, quem nos Chriſtiani noſtrorum Bibliorum nouimus auctorem probatũ paucis oſtendemus.

Ad Romanos primo verſ. 19. Paul. ſcribit: *manifeſtatio Dei, id, quod de Deo agnoſci poteſt, manifeſtum eſt in hominibus.* Et cap. 2. verſ. 14. *Gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis ſunt faciunt, & legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex. Vt qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus*

dibus ipsorum, una testimonium reddente ipsorum conscientia & cogitationibus suis sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus. Rursus capite 1. vers. 20. *Dei inuisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur ex creatione mundi perspiciuntur:* & in sequentibus ostendit, gẽtes Deum quidem glorificandum nouisse, sed vanas esse factas in suis ratiocinationibus. Actor. 14. vers. 12. *Deus præteritis ætatibus siuit omnes gentes suis ipsarum viis incedere, quanquam no passus est, se esse expertem testimonii, benefaciendo, dans nobis cœlicas pluuias ac tempora fructifera implens cibo & lætitia corda nostra.* Iob. 10. ver. 7. *Interroga iumenta & docebunt, & volatile cœli & indicabit tibi, aut alloquere terram & docebit te, & enarrabunt pisces maris tibi, quis non nouit de omnibus istis, quod ea manus fecerit Iehouæ:* & Psal. 14. dicitur *dixit insipiens*, hoc est, omni ratione humana exsutus *in corde suo, non est Deus.*

REFVTATIO EORVM, QVI OMNEM RELIGIONEM PROBANT.

QVi omnes religiones probandas censent, hi vnum Deum cumque immutabilem negent necesse est. Varietas enim religionum variis diis addicta est, & diuersas multumque pugnantes opiniones de cultu Deorum sectatur, quę si voluntati Dei implicantur, tum eam certam & immotam non reliquunt, sed incertam & inconstantem faciunt. Adhuc autem

communi rationis humanæ iudicio hic standum est, cum omnium religionum assectis refutatio accommodanda sit.

QVOD VNVS SIT DEVS.

DIffert huius sciētia a prioris notitia, quod menti hominis innatum, & quasi insculptum sit esse Deum, non autem æque promtum sit nosse, vnum esse Deum, quod demum ratiocinādo innotuerit. Præcipuas autem ratiocinationes paucis ita complectemur.

Si ex præstantia naturæ mundi eiusque admirādo ordine casus recte negatur, mūdiq; causa & Deus quispiam recte statuitur eius auctor, non potest in serie causarum efficientium procedi in infinitum.

Omnium sanorum hominum consentientibus suffragiis a præstantia naturæ mundi eiusque admirando ordine rectiss. negatur casus, illius causa & Deus auctor statuitur. Ergo *omnium sanorū suffragiis consentientibus reiicitur processus in serie causarum infinitus.*

Maioris ἑπόμενον *ita demonstratur, contrariū* ἡγουμένου. *Processus, qui ordinem causarum in inferioribus certum euertit, non est probandus.*

Processus seriei causarum efficientium in infinitum euertit ordinē causarum in inferioribus, in ipsis hominum sensibus certum. Si enim in infinitum extenditur causarum series, in nulla regente subsistet. Nulla autem causa gubernante, ordo causarum nullus seruabitur, cū tamen sensibus pateat regularitas ordinis in causis efficientibus

bus proxime ante oculos nostros positis. Ergo, *Proccessus catenam causarum efficientium in infinitum protendens, id quod proposuit, cohærentiã videlicet causarum negat, nec est probandus.* Cũ igitur subsistendum sit tandem, necesse est vnam aliquam primam causam constitui, quæ cũ probata sit ipse Deus, vnus Dominus ratiocinando concluditur, cuius stabiliendi gratia adferri possint præstantissimorũ inter sapiẽtes mundi testimonia, quæ collecta exstant in libro Philippi Mornei de veritate Christianæ religionis diligentissime & accuratissime scripto. Ex hac vero maxima quod vnus sit Deus, vna etiam vera religio, & non plures, consequetur, id, quod hoc modo concluditur:

Tantum veri Dei religio vera est: falsorum autem numinum falsa.

Sed verus Deus tantum vnus est, cæteri omnes falsi Dij. Ergo vna tantum vera est religio, cæteræ omnes falsæ. Sunt tamen, qui vnius DEI asseuerationem cum pluralitate religionum consistere arbitrantur, vnitatẽ autem & pluralitatẽ ita conciliari posse opinantur, si ad vnum DEVM omnes religiones vocentur. itaque Deorum varietas corrigatur, ne videlicet ab vno DEO abducat, sed ad eũ deducat, quẽadmodum præter alios Varro de hoc studio sæpe accusatur apud Augustinum, imprimis vero libr. I. de ciuitate Dei cap. II. Eius sententia copiose recensetur, quomodo videlicet vnus Deus statuatur, qui tamen in

Æthere ſit Iupiter, in aere Iuno, in mari Neptunus, in inferioribus maris Salaria, in terra Pluto, in terra inferiori Proſerpina, in focis domeſticis Feſta, in fabrorum fornace Vulcanus. Hæc vero opinio ſe ipſam conficit, dum vel partes fingens, vt Varro, vnitatem Dei diſcerpit, vel inſtabilia commenta hominum cũ voluntate Dei conciliat, quo vtroque Deus ſimplex & immutabilis negatur. Vnitas autẽ illa, a qua tanquam prima cauſa multiplicitas totius naturæ efficitur, minus poteſt eſſe cõpoſita, atque vnitas numerorum multitudinis origo, ex qua tamquã monade Pythagoras vnitatem Dei colligit, & hac nihil magnificentius in Philoſophia tractari poſſe putauit. Eſtque eadem ratio ſimplicitatis, quæ vnitatis, cum, quod ſimplex non eſt, non ſit ſumme vnum, ſed ad vnum quoddam ſuperius redigendum. Si vero ſimplex aliquod & vnum eſt, cuius vi mutationem ſentiet, ſi tamen mutatur, nec ſimplex, nec vnum manet: itaque redibit proceſſus ad infinitum, qui impoſſibilis fuit demonſtratus.

Huc pertinẽt teſtimonia ſapiẽtum mundi, quibus infinitum, æternum, ſimplicem, & immutabilem Deum pronuntiant, ductu ratiocinationis modo indicatæ ad conſequens, cõſequentis indiuulſa cohærentia delato.

Quamobrem ſic etiam refutationem eorum, qui omnes religiones ſaluare cupiunt, potiſſimis argumẽtis communiũ fundamentorum

torum vel argumentationũ muniuimus. Qui vero inter Christianos putarunt, honestiores gentes, etsi nostræ veræ religionis ignaræ fuerunt saluari, tamen illis demum recte resisti potest, postquam non tam ratiocinatione, quã auctoritate verbi Dei, agere licebit.

Hoc tamen monendũ est, in Philosophicis de Deo & religione disputationibus, quas hactenus attigimus, cauendum, ne vlterius progrediamur, quam ad confundendum eos, qui omnem religionem vel probant, vel improbant. Ad eligendum autem ex multis veram, opus est, certis κριτηρίοις, & ad hæc collatione certa & exacta instituta, nec antequam de veritate constet, recte de fine religionis & via ad metã iudicari potest. Cũ inter multas sentẽtias vna peculiares regulas & tabulas adferre debeat, ex quibus de fine & mediis ad eum ducentibus stabilis sententia ferẽda. Quare cum hoc monemus, suggerit nobis primitiuæ ecclesiæ historia, cui aduersus doctiores Ethnicos de veritate religionis concertanti, hoc argumentum, quod iam tractamus, voluendum fuit pluribus. Quemadmodum Paulus Lystris *Act.* 14. Et Athenis *Act.* 17. illo vtitur.

Euenit autem simul, vt quidam in naturalibus & Philosophicis speculationibus diutius detinerentur, indeque axiomata ad tradendũ dogmata Christiana adferrent. Præsertim vero in doctrina de libero arbitrio vim mentis & voluntatis humanæ extollerent.

Quidam etiam, qui ad rectæ ratiocinationis normam vitam instituissent, Socratem videlicet, Heraclitum, Fabricium &c. Christianos pronuntiarunt & his in participationibus salutis æquarunt: quemadmodum Iustini martyris, Clemẽtis Alexãdrini, Origenis, Tertulliani, Irenęi, Epiphanii & aliorum scripta istud testantur.

OBIECTIONES EARVMQVE solutiones.

QVicquid arguit Deum iniustum & crudelem, id est absurdum. Sed hæc sententia, quæ negat extra fidem in Christum quenquam saluatum esse, arguit Deum iniustitiæ & crudelitatis, non enim est deterior duritas, quã homines mancipare damnationi propter inopiam fidei, quam non potuerunt consequi.

Ad hoc argumentum posset responderi ex sacra scriptura: sed ita respondemus, maiorem esse verã. Sed in hoc residet neruus, quomodo maior possit applicari alicui sentẽtiæ quæ substituat loco minoris. Hic vero opus est nosse, & penitus introspexisse ipsam mentem, & voluntatem Dei, citra quam nemo potest facere collationem, & inde arguere iniustitiæ & crudelitatis.

Alia.

Ad Rom. 14. *Abundat vnusquisque in suo sensu.* Ergo *vnusquisque relinquẽdus in sua opinione, quam de religione concepit.*

Respon.

Respons. Sane ipsa versio eo deducit auditorem, ut cogitet debere vnicuique esse liberū, vt suis cogitationibus indulgeat. Verum si recte attendimus ad versionem certam, alia emerget sententia *vnusquisque plane sit certus*, dum addatur etiam status: Paulus disputat ibi de firmis & infirmis, non vult vagas opiniones conciliare, sed illorum sententias confert, qui vni seruiunt domino, quemadmodum annūtiat Paulus. Discrepant autem in externis quibusdam de discrimine dierum & ciborum: *vnusquisque in sua sententia plane sit certus*, hoc vult Paulus, vnumquemque debere attendere in externis, ne falsam cōcipiat opinionem, leuitatemque prohibet, & deducit fratrem ad probationem suæ mentis.

ALIA.

Peucerus inquit, ipse Christus ait Iohan. 4. *Vos succeditis in aliorū labores & metitis.* Ergo *ipsas ratiocinationes Philosophiæ intelligit, quibus gentes fuerunt præparatæ ad ministerium apostolicum.*

Respond. Peucerus debuisset cogitare, an nō plures fuissent doctores ante Apostolos, quā Philosophi. Prophetæ enim tradiderunt eandem doctrinam, quā professi sunt Apostoli. Sic vt scripturas scrutentur iubet. Caluinus a ZWinglii & Peuceri sententia discedens dicit, intelligendos Prophetas, qui aliquāto obscurius sunt locuti. Sed Apostoli illorum do-

ctrinam illustrarunt, & ita in istorum labores successerunt.

ALIA.

Tammerus, *Gentes nouerunt potentiam Dei iuxta dictum ad Rom. 1. & 1. ad Cor. 1. Christus est potentia Dei: Ergo Gentes nouerunt Christum. Respond.* Est æquiuocatio in verbo potentia: Gentibus est nota potentia videlicet creationis, & quæcunque consequuntur ex creationis monumentis.

Est autē alia potentia saluationis, longe superans istam, quæ est creationis. Hæc adeo nō fuit nota gentibus, & Paulus testatur in dicto loco illam esse stultitiam gentibus.

ALIA.

Pontificiorum argumentum satis speciosum de fide implicita. *Implicite & abscondite in prouidentia Dei, qua omnia gubernantur, etiam inest, illa cura Dei, quæ procurat hominum redemtionem ad æternam beatitudinem. Nam hæc tanquam præcipua pars pertinet ad prouidentiam Dei.*

Sed prouidentiam nouerunt gentes, vt multi crediderunt, Dei curam esse tantam, vt nihil velit prætermittere, quod faciat ad hominum salutem.

Ergo, *Implicite nouerunt gentes doctrinam de redemtione generis humani, si non explicite.*

Respond. Fides implicita est res absurdissima in tota Philosophia, & non est maius mēdacium,

dacium, quam si quis fidē implicitam statuit. Fides est notitia & quædā species notitiæ certæ, & quidem nihil aliud illa est, quam qualitas: Sed implicita fides statuit fidem ignotorum & ignoratorum. Quid autem magis veritati est contrarium, quam fidem esse notitiá eius, quod ignoratur, vt hic nouit Deum, ergo trinitatem, quam explicite non nouit.

Hoc etiam notandum est, aliud esse genus complectens suas species sine vlla exclusione, & aliud esse hominis mētem relatam ad illud genus. Qui nouit genus, non statim nouit omnes species: nouit aliquis neminem esse lædendum, sed tamen non statim nouit omnes species læsionis: mens ita potest cōplecti generis notitiam, vt species ignoret. Ergo scientia non tam late patet, vt ipsum obiectum.

ALIA.

Paulus 1. ad Cor. 2. inquit: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, nam spiritualiter iudicantur.* Ergo fatetur hominem externam formā generis posse intueri, sed tamen quod latet in illo genere, esse ei incognitum. Ioh. 5. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.*

ALIA.

Tammerus. Ad Rom. 4. *De iustitia fidei vtitur Paulus verbo* λογίζεται. Est autem λογίζεται *ἀπὸ τοῦ λόγου, id est, a ratione.* Ergo *Fidei iustitia dicitur esse talis, quā nouit ipsa ratio. Resp.* λογίζεται vsurpatur de mente Dei imputantis credenti

iustitiam alienam partam obedientia Filii Dei. Sed id, quod debet pro ratione ceu rationis vi in mente hominis aliquid statuere, oportet esse aliquid λογίζεσθαι in mente Dei. Confunduntur itaque λογίζεσθαι Dei & λογίζεσθαι hominis, a ratione mentis diuinæ ad rationem mentis humanæ, non vere procedit.

ALIA.

Pro fide implicita affertur dictum Ioh. 4. *Vos adoratis quod nescitis.* Respond. Aliud est verbis compellare, & ita adorare Deum, aliud est in Spiritu adorare. Adoratio, quę fit verbis, falsa est: falsa igitur adoratio potest tribui ignoto, qui in Spiritu ignorat, ille in fide adorat. Simile exemplum legitur in Act. Apost. 12. de ara consecrata Ignoto Deo. *Quem ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio.* Ergo *potest esse cultus Dei ignorati.* Respond. Alius est verus cultus, alius falsus. Verus non potest fieri in ignorãtia, sed in fide: falsus autẽ potest adhiberi Deo ignoto, & dicitur etiam, quod nõ fiat in fide, quod etiam negat fidem implicitam.

ALIA.

Tammerus ex vltimo cap. Mar. vbi dominus dixit, *Ite in mundum vniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Hic datiuus pro ablatiuo ponitur. Ergo per creaturas est prædicatum Euangelium.* Respond. Datiuus ille nõ est Ablatiuus instrumenti, sed simplex Datiuus.

Et hoc

Et hoc ita probatur, quod in eodem capite obedientia Apoſtolorum deſcribitur, & benedictio ſucceſſus hoc modo: *& prædicauerũt vbique domino cooperante.* Igitur hoc vult Christus, vbique eſſe prędicandum, non per creaturas, ſed craturis, hominibus, ita appellatis per excellentiam.

ALIA.

Matthæus ait: *Docete omnes Gentes.* Ergò πάσῃ κτίσει *ſignificat obiectũ docendi, non inſtrumentum docendi.* Prior. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, multi tamen moriuntur, antequam Euangelium ad ipſos perueniat:* Item, *non omnes amplexãtur Euangelium Chriſti, etiam ſi audiant.* Ergo *Neceſſe eſt paratam eſſe ſalutem omnibus, per quaſcunque vices religionum.* Reſpond. Philipphus Melanch. diſtinxit inter voluntatem Dei generalẽ & ſpecialem. Generalis non ſemper eſt efficax: ſpecialis ęſt, quæ ad efficaciam producitur. Habet enim adſtipulatorẽ Proſperum Auguſtini diſcipulum. Sed tamen hæc ſententia multas habet Enſtaſes. Dominus Lutherus quæſiuit interpretationem in verbo σωθῆναι, & diſtinxit inter ſaluationem generalem & ſpecialẽ. Generalis ſaluatio eſt Daß Gott allen Creaturen gutes thut. Specialis eſt: Wenn er die Menſchen Selig macht. Paulum autem loqui de generali ſaluatione. Hæc ſententia eſt ἀνάλογος fidei, & habet præclarum teſtimonium in eadem epiſtola cap. 4.

vbi dicitur, *quod Deus omnium sit saluator, maxime autem fidelium.* Et hæc sententia minus scrupuli habet, quam Philippi. Sed obstat ꝙ dicitur in textu, *& ad agnitionem veritatis venire.* Igitur *hic dicitur de speciali saluatione.* Augustinus querit explicationẽ in vniuersali particula, & dicit, illam vniuersalem accipiendam esse secundum quid. Paulus in dicto cap. hortatur, *vt preces fiant pro omnibus hominibus* : at hoc loquitur, *Deus vult omnes*, id est, ex omniũ ordinum classe aliquos, quos ipse elegit. Et hæc sententia nil parit absurditatis. Ita igitur testimonium Pauli non astipulatur illis, qui omnem religionem probant.

Alia.

Lampetiani dixerunt, debere esse liberam omnem religionem, Psal. 54. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Ergo *situm est in volũtate & arbitrio vniuscuiusque, quam velit condere religionem, in qua Deum colat.* Respond. Voluntarie sacrificare non significat eligere priuato arbitrio cultum, quem Deo præstemus, sed significat cultum, quem Deus præscripsit, sponte & alacri voluntate præstare, dũ hæc voluntas non est cuiusuis, necesse est ipsam in omnibus probari: si omnes religiones essent probandæ, nõ est in omnibus, sed tantum in iis, quos filios Dei liberos reddidit, quibusque dedit Spiritũ sanctũ: Quod autem a Deo sit illa voluntas, & cultus spontaneus, probatur ex Psalm. 51. vbi

Dauid

Dauid orat: *Et ſpiritu ſpontaneo confirma me.*

INDAGATIO VERÆ religionis.

REfutatis iis, qui vel nullam religionē credunt, vel omnes probant: reſtat media ſententia eorum, qui aliquas probandas ſtatuunt. Hi tamen ad vnum Deum modo, quo diximus, delati, non aliquas & plures, ſed vnā tantum ex omnibus veram eligendā cenſent. Hoc quomodo inſtituatur quæritur. Vſitate autem inquiſitor veritatis primo deducitur ad patefactionem: Hoc quod rectiſſimo fiat probandum eſt.

Inquirenti in religiones, vt ſeligat verā, primo opus ſingulari patefactione veri Dei.

Nondum ex noſtris Bibliis probanda eſt hæc Theſis, ſed ſeruandum adhuc, quod Tertullianus in lib. de deſcriptione aduerſus hæreticos diſputans, videlicet aduerſus Valentinianos & Marcionitas, qui ſacram ſcripturam vel non recipiebant, vel adulterinam proferebant, recte ſtatuit. Ergo: Non ad ſcripturas prouocandum, nec in his conſtituendum eſt certamen. Nam ordo rerum poſtulat, id prius proponi, quod ad indagationem veræ religionis, cuius oraculis poſtea ſtandum ſit, recta via deducat. Hanc viam a patefactione primū oportet ingredi. Circumferenti enim oculos ſuos & diſpicienti præcipuas religiones in

mundo, causa disputationum de istis primaria hæc occurrit, quod quis sit vnus Deus ambigunt omnium mentes, vel omnes gentes, quæ reuelatione ab extra non fuerint certificatæ. Omnes enim gentes conuinci possunt eius ignorantiæ, & ex pluralitate Deorum, & siue aliquid certi statuerint siue non. Quæ pluralitatem Deorum statuerunt, illas a vero Deo aberrasse demonstrat ratiocinatio, vnum Deũ necessario colligens. Fecerunt autem hoc omnes gentes vetustæ celeberrimæ, quæ aliam quam nostrorum Bibliorum religionem amplexæ sunt.

Ægyptii, qui se aliorũ populorum antiquissimi haberi voluerunt, & teste Diodoro Siculo atque Eusebio Pamphilio, Deorum genus apud sese primum exstitisse contenderunt: initio duos Deos Osiridem seu Solem, & Isidem seu Lunam, postea vero innumeros protulerunt, & bestias, & olera.

Græcorum & Romanorũ politia ex libris eorum, quos linguarum discendarum studio scholastici primum cognouerunt innotuit. Qui certos Deos statuerunt, tantum in creaturis hæserunt, quos omnes conuincit erroris ratiocinatio, ex creaturis Deum causam omnium arguens.

Qui ductu istius ratiocinationis de creaturis animum auocarunt, verum Deum ostendere non potuerunt, id quod quidam etiam fassi sunt. Et recitat Cicero lib. I. de natura

Deorum

Deorum Simonidem ab Hierone Tyranno interrogatū, *quidnam esset Deus*, post aliquot dierum moras & cunctationes respondisse, *quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Et posset si opus esset, multorum inter Ethnicos sapientum consensus citari de hoc, Deum neque peruestigari possibile, nec fas inuestigare. Eos vero, qui a tali ingenua cōfessione abstinuerunt, vel ipsum silentium ignorantiæ redarguit. Omnium ergo hominū, siue contradicant, siue consentiāt, siue taceāt, in vnum tamē diuersis etiam coactorum, sententia vniuersaliter statuitur, Deum verum, nisi se patefaciat ipse, nosci non posse ab vllo homine.

Hinc fictus est Mercurius seu Hermes dictus κῆρυξ θεῶν, preco vel nuncius Deorū, quem Orpheus vetustissimorum gentiliū numinū vates, διὸς ἄγγελον Iouis nuncium appellat, & ad speciem veritatis vanis religionibus conciliādam diabolus varia oracula instituit & edidit inter gentes. Sit ergo primum hoc certum, quod Hilarius lib.1.de Trinitate dixit, ipse demum vnus idoneus sibi testis est, qui, nisi per se cognitus, non est, qui vero se patefaciendo verum Deum probauerit, religionem quoq; veram instituerit necesse est, cum, qui omnia alia creata ordinariis finibus destinarit, non potuerit præcipuum finem sibi vendicandū, cultum videlicet, ab homine sibi debitū, negligere.

Quomodo vera patefactio a falsis secernatur.

Cum pleræque religiones suas iactent diuinas patefactiones, electio habenda est accurata, quæ infallibilibus veritatis notis regi & fieri debet. Hæ notæ, si ex antea demonstratis pendeant, & certitudinis κεντήρια noua afferãt, quibus omnium aliarum religionum prætextus cedere cogantur, monstrabunt eam nobis verissimam, penes quam ipsę apparuerint; quę tamen noua κεντήρια exspectãtur, ea hoc in loco, quo vanitas omnibus errantibus ostendẽda est, & veritas persuadenda, in primis communia esse oportet, hoc est, quæ ab omnibus, cuiuscunque religionis sunt, cognosci & probari possunt. Quibus si accedant singularia, de quibus solummodo vere pii iudicare & pronuntiare possunt, eorum potissimum confirmationi stetur, qui veritatem iam tum amplexi sunt & tenent.

Notæ ex iam demonstratis pendentes, quibus patefactio, de qua Christiani gloriantur, probatur præ reliquis certior.

Cum ea, quæ demonstrata sunt hactenus, vniuersali orbis terræ cõsensu ita munita sint, vt si monitus quis cõtradicat, vel omnis rationis expers æstimari, vel quod rationi & sensibus simul furiose bellum inferat, condemnari iure quæat, nemo illam religionem veram probabit,

probabit, quæ communiſſima & firmiſſima principia euertat. Contra vero ea religio primos veritatis characteres habet, quæ ad vniuerſalia illa axiomata prima fronte ita confirmata eſt, vt non contenta ſit generali notitia & ratiocinatione, quod ſit Deus, & quod vnus creator vniuerſi, ſed ſpeciali patefactione ad cognoſcendum creatorem cœli & terræ vnicum illum adducat. Conferantur nunc in iſtis duobus punctis omnes religiones, quæ vnquam exſtiterunt in mūdo cum patefactionibus, quibus Eccleſia Chriſtiana gaudet, & eluceſcet aliquo modo veritas. Noſtra certe Chriſtiana Biblia ſtatim in initio prædicant patefactionem, quæ Deum conditorem cœli & terræ, maris, & omnium, quæ in illis ſunt, & hunc vnicum in ipſis veſtigiis creationis hominibus oſtendit, haſque duas notas de Deo creatore, eoque vno, omnes ſequentes patefactiones eiuſdem libri conſtantiſſime ſeruāt. Præter hanc autem nulla alia nominari poteſt vetus religio populorum, quę reuelationes iis characteribus inſignitas exhibeat, cum vel ad creaturas, vel Politiam, vel ad vagas cogitationes omnes gentes in ſuis religionibus delapſæ deprehendantur. Appello religiones veteres & populorum recentium, quia Mahometana religio recens eſt, & ex noſtris ſacris Bibliis quædā facata ſequentibus κεἰτηρίοις falſa condemnabitur.

Quæ vero ſingulorum opiniones fuerunt,

& ſaniores eæ vel ſubſtiterunt in naturali notitia & ratiocinatione, q̀ ſit vnus Deus creator omnium, nec patefactionibus vlterius ductæ ſunt ad monſtrandũ illum vnum Deum creatorem, vel in fictis Enthuſiaſmis vagabunde manſerunt, vel antequam ſpeciem religionis parerent, euanuerunt. Qua in parte dubitans prouocandus eſt, vt aliquo contrario exemplo collectionem deſtruat, vel cum nequeat, in probatis conquieſcat, aut homine indignus oberret cum brutis.

ΚΡΙΤΗΡΙΑ, *QVIBVS LIBER APparitionum Dei & patefactionum eſſentia atque voluntatis diuinæ, quē nos Chriſtiani κατ᾽ ἐξοχὴν Biblia vocamus, omnino veriſſimus & ſacratiſſ. demonſtratur.*

I. *Ab antiquitate.*

QVi vnum Deum credunt, id, quod demōſtratione neceſſaria ſupra euictum eſt, & porro ipſum ſummum ſimplicem & immutabilem colligunt, iſti Deum illum veracem ſtatuant neceſſe eſt, cum ſit τὸ ἀληθὲς ἓν, τὸ δὲ ψεῦδος πολυχιδὲς, vt loquitur omnium ſuffragiis veriſſime Gregorius Theologus. Cumque hominem creationis iure creatori ad cultum obligatum conſtet: vnius cuiuſque autem creaturæ finis in creatione a Deo ordinatus deprehendatur, & hominis vt nobiliſſimæ creaturæ finem minime neglectum certiſſime arguat,

arguat, ſtatim cum creato homine a Deo cultum ſui inſtitutum fuiſſe neceſſe eſt. Rurſus cum Deus ordinem ſuum etiam in minoribus conſeruet, quin illius præcipue tutor & propagator ſit, dubium non eſt, præſertim cum omnia reliqua ſeruiãt huic vni. Hinc ſequitur, eam religionem veriſſimam eſſe, quæ prima fuerit, eamque primam eſſe, quæ etiam num vigens antiquiſſima probari poſſit. Ad hoc argumentum prouocat Deus noſter, quem colimus Chriſtiani. Nam Ieremiæ cap. ſexto dicit Dominus, *ſtate ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea.* Hoc ipſum Tertullianus vrget in lib. de præſcriptione aduerſus Hæreticos inter cætera inquiẽs ſic: *ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe domeſticum & verum, quod ſit prius traditum. Id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius immiſſum.* Idem aſſumunt omnes priſci Ethnici pro ſuis religionibus ſpecioſe diſputaturi. Ægyptii, vt ſupra ex Diodoro Siculo & Euſebio Pamphilio retulimus, genus Deorum apud ſe primum exſtitiſſe affirmarunt, vt ſuam religionem commendationem redderent. Idem ſibi vendicarunt Æthiopes, quibus etiam hoc Diodorus prę reliquis putat concedendum, ad quorum ſacra etiam Homerus ſcribit: Iouem ſuum cum cæteris diis commigraſſe. Sed Phœnices, Athlantides, & alii ſuis diis dignitatem illam aſſerere voluerunt. Cicero quoq; in 1. Thuſ. Quæſtio-

num: *Homines*, inquit, *quo proprius abfuere a prima origine, eo veriores de Deo rebusque diuinis sententias habuisse.*

Poteſt igitur hæc Theſis demonſtrari, & in eam ſponte compromittunt religiones præcipuæ, quod prima & antiquiſſima religio ſit veriſſima. Nulla autem religio prior & vetuſtior exſtat ea, quæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſa ſit. Quod vt cōmodius doceatur, aſſumendum huc eſt, quod in nullo ſcriptore Ethnico continua ſeries annorum ab initio mundi vſque ad tempus, quo ſcripto finis impoſitus eſt, reperiatur. In ſolis autem noſtris ſacris Bibliis illud beneficium hiſtoriæ, vt certiſſimum antiquitatis & fidei monumentum, aſſeruatum eſt. Primum quidem ſcriptorem Moyſem ab initio mūdi longius abfuiſſe fatemur. Sed qui hoc apud gentes prior fuerit ſcriptor, dari non poteſt. Orpheus inter vetuſtiſſimos Ethnicos, qui ſcripta reliquerunt, nobiliſſimus, qui tempore Argonauticæ expeditionis vixit, vt refert Diodorus lib.4. rerum antiquarū, & in comitatu habuit filios Æiaci, a Ioue, vt fabulantur, prognati Pelea videlicet Achillis, & Telamonē Aiacis patrem. Floruit circa tempora Tholæ Iudicis Iſraelitarum, Iudi 10. Itaque pene trecentis annis recentior eſt Moyſe. Licet etiam Orpheus notitiam habuerit, vnum tantum eſſe Deum, vt Hymnus eius ad Muſeum teſtatur, neſcius tamen, quis fuerit ille verus Deus,

vagatus

vagatus est in dubitatione, & πολυθεότητος au-
ctor exstitit, vt Iustinus scribit: aut si Diodoro
potius credendum fuerit, apud quẽ Orpheus
in Theologia celebratur, hanc in Ægypto ex-
coluisse traditur. Ægyptii vero Solem & Lu-
nam, bruta & hortensia etiam olera Deos fe-
cerunt, quos Cicero cõmentitios & fictitios
appellat. 2. de natura Deorum. Orpheo San-
guneaton Theologiæ Phœnicum commen-
tator fuit coetaneus, vel etiã vetustior, si Por-
phyrio Christianorum hosti creditur, qui in
lib. 4. contra Christianos, sicut etiam Eusebius
Pamphilius lib. de præparatione Euangelica
scripsit, istum ante tempora Troiana vixisse.
Citat aut Cyrillus lib. 6. contra Iulianum te-
stimonium Sãguneatonis hoc, quod antiquis-
simi Phœnices, & Ægyptii Deos nominarint
magnates, qui aliquid ad vitæ humanæ vtilita-
tem inuenissent, vel in aliquo gentibus bene-
fecissent. A dictis vero antiquioribus populis
ait, cęteros homines morem Deos appellandi
accepisse. Homerus Poetarum maximus habi-
tus, vt vrbes 7. de stirpe insignis Homeri certa-
rint, annis trecentis post Orphea vixit, & post
Homerum, Herodotus quadringẽtis, qui pri-
mus a Moyse scriptor gentilis annorum obser
uatione aliquam sibi fidem conciliauit. Moy-
ses prætereaab initio mũdi historias pertexit
annorum bis mille quadringentorum nona-
ginta. De quibus nullibi alias integræ exstant
narrationes, Et quamuis quidem prophani

Moyse posteriores inde aliquot particulas decerpserunt, exiguam tamen & abruptam veritatis laciniam sordibus fabularum consperserunt, nec ad vnius certi Dei agnitionem cõuerterunt, sed vagorum & variorum numinũ superstitioni dederunt. Qui vero in nostris sacris Bibliis ad Moysis scripta accesserunt libri, illi de vno Deo creatore perpetuo docent, omnes fictitios Deos reiiciunt, voluntatem Dei ab initio patefactam admirando consensu propagant, & vbique primam originem & probatam vetustatem fideliter seruant.

II. Κριτήριον a miraculis Deo propriis & creaturis omnibus impossibilibus.

Qui vniuersa creauit, in ordinem redegit, potentia & efficacia admiranda naturam rerũ instruxit & cõseruauit hactenus, illum vi propria, vniuersis creaturis potenter dominante, easque longe superante, pollere oportet. Vtq; verus Deus in creationis stupendo opere sese primum patefecit & probauit, ita, obscurata notitia sui, quam tamen non deleri ipsius gloriæ interfuit, nouis diuinæ potentiæ factis opus fuit, quibus vt veri Dei vestigiis deprehẽsis homines de patefactione, qua inprimis indigebant, certiores redderentur. Etsi autem hoc argumentum adeo communiter notum fuit gẽtibus, vt eius monitu ex nouis inuentionibus artium & prima monstration ererum, beneficio vsus, auctores apud priscos habiti fuerint

fuerint pro diis : quia tamen ita ad creaturas translatus eſt honos, qui creatori debebatur, idque vniuerſali decreto mundi ſupra erroris damnatum, cogit abſurdorum iſtorũ aſpectus & metus, non quęuis hoc loco mirãda admittere, ſed ita tantum, quæ ſolius creatoris propria & nullis creaturis cõmunia eſſe poſſunt. Hæret autem adhuc inquiſitio in hac quæſtione, *quomodo poſſint cognoſci miracula ſoli vero Deo propria, & omnibus creaturis inimitabilia.* Huic aliquot argumentis, cum vno non poſſit ſatisfieri, occurrendum.

I. Primo attendendum eſt, num ea, quæ ſic admiramur, ſint opera excedentia naturæ nõ ſolum curſum, ſed etiam vim, quæ ſæpe etiam extra ordinaria efficit ars & induſtria hominum, nedum malignorum & aſtutiſſimorum ſpirituum vafrities, & talia ſunt, quæ nõ tantũ immediate potentia creationis primum exſtiterunt, ſed etiam poſtea naturæ ordini nõ ſunt communiſſima, & huius ope plane deſtituuntur: *Exempli gratia*: Trãsformatio maſſæ luteę vel coſtæ in corpus humanum initio fuit immediatum opus creationis diuinæ; Vt autem poſtea homo hominem generaret, natura ſemen transmutante in hominem, creator ipſe inſtituit: Vt autem ſterilis, hoc eſt, perſona talis, in qua omnis naturæ vis ad procreandam ſobolem deſiit, vel nulla eſt, vt virgo ſine mare pariat, hoc de nouo & ſingulariter Dei potẽtia facit, niſi quis idẽ ex natura, cui cauſæ ratio

negata est, producturus effectum sine causa insana impudentia polliceatur. Sic, vitã largiri homini primæ creationis fuit. Eiusdem autem propagationem auctor concessit naturæ. Cessante autem ordinatione naturali, vt in cadaueribus, quoad viuificationem res redit ad dominũ naturæ, nec locus est vlli industriæ creaturarum, vbi causam natura negat. Sic etiam de aliis censeatur. Huiusmodi autem miracula addita sunt patefactionib. quib. Deus noster innotuit. Abrahamum enim : ætate effœtum & Saram natura sterilem in veteri, Elisabethã similiter in nouo testamẽto, vnus Deus noster fœcundauit. Virginem Mariã ἀχραντον incontaminatam, & a viro intactam grauidam reddidit. Idẽ per Eliam Prophetã suum, doctrinæ qua se patefecit, confirmandæ gratia, Sareptanæ viduæ filium mortuum resuscitat 3. *Reg.* 17. Per Elisæum discipulum & successorem Eliæ Sunamitidis puerum in vitam reuocat 4. *Reg.* 4. Et rursus tactu ossium huius mortuo vitã reddit 4. *Reg.* 13. Christus itidem tres resuscitauit mortuos conuersans in terra, filiam Archisynagogæ *Matth.* 9. Filium viduæ in Nain *Luc.* 7. Lazarum *Ioh.* 11. Et multitudo ingens cum Christo resurrexit *Matth.* 27. Thabitã Matthæus a morte reuocauit *Act.* 9. Eutychũ Paulus *Act.* 20.

II. In forma miraculorũ obseruãda est veritas. Ethnicas autem religiones stupẽda ostẽtasse prodigia non solum in prophanis historiis,

ricis, sed etiam in sacrorum Biliorum Exodo de magis Ægyptiis legimus. Omnia tamen miracula religionis stabiliẽdæ gratia ab iis edita, qui falsa numina coluerunt, vel nõ excesserũt naturæ cursum, etsi cognitionem & iudicium hominum multorum superarint, vel præstigię fuerunt oculos spectatorum falsa spe fascinãtes & tenentes: nec vllius religionis miracula, si tantum singulorum auctorum narrationib. creditur, ita κριτηρίοις, hoc enim vocabulo vtitur Lucas *Act*[illegible]. de probata resurrectione Christi vera demonstrata sunt, quemadmodum Christianæ religionis siue veteris siue noui testamẽti historias cõsulas. Vt autẽ hæc nota firmior sit & certior, etiam alienorum a nostra religione & aduersariorum testimonia adferri possunt. Moysem miraculis suis vicisse omnes Ægyptiorum magos, qui tamen metu crudelis Pharaonis summam artem adhibuerunt, non solum in historia sacrorum Bibliorũ proprio ipsorum testimonio indicatur, cum deficiente magia sua, de operibus Moysis dicant, *digitus Dei hic est.* sed meminerunt etiam victoriæ Moysis prophani quidam scriptores, licet famam veritatis diuinæ obscurare conati sint. Berosus, qui vixit tempore Alexandri Magni, & citatur ab Athenæo *li.* 14. a Ioseph. *li.* 1. contra Appionem, cuique teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 37. naturalis historię, Athenis statua inaurata lignea posita fuit. In libris antiquitatum, qui cum Anni Viterpiensis commentariis ex-

ſtant, ſcribit, regem Ægyptii Langum, quod cum Hæbræis arte magica certaſſet, & victus fuiſſet, ſubmerſum in mari periiſſe. Plura notantur a Morneo *pag.* 580. *& ſequentibus*. Et notabile eſt, quod cum Diabolus multas calumnias huic hiſtoriæ aſperſerit per Iuſtinum hiſtoricum lib. 36. fateatur tamen Ægyptios à perſequendo Moyſem, & comites eius tempeſtatibus repulſos, & Iudæos iuſtitia religionis permixta incredibiliter coaluiſſe. In nouo teſtamento obſeruatores Chriſti infeſtiſſimi & diligentiſ. fuerunt Iudæi, nec tamen, quod in miraculis eius vere extenuarūt, inuenerūt, quemadmodum Thalmuticum teſtimonium refert Morneus pagina 180. Huc pertinet q̄ Auguſtinus lib. 22. de ciuitate Dei capit. 28. allegat. herum quendam Pamphilium, qui in acie occubuerat, & decimo poſt ſtragem die, cum ad rogum raptādus eſſet, vitæ fuerat redditus, tandemque Platoni quis ſit exſutarum corporibus ſtatus animarum, reuelarit. Quam indicationē ille in lib. de repub. retulerit. Sed addit Auguſtinus, quod Tullius hoc ita palliat, vt Platonem luſiſſe potius, quam verum dicere voluiſſe affirmet. Et Macrobius lib. 1. cap. 1. in ſomnium Scipionis, Tullium prudenter imitatum fuiſſe Platonis fabulam, vt ſic quēdam vitæ redditum, quē reliquiſſe videbatur, teſtem produxerit ſententiæ ſuæ. Ille autem Cic. a Scipione ſibi per ſomnium ingeſta narrauit, itaque vt reprehenſionem vitaret, excitari

tari narrationem, quã reuiuiſcere maluerit. Quod vero Chriſtus vades reliquorum reſurrectionis exemplorum, quaſi plures vnus pręſtans, reuixerit, vniuerſa Iudæorum cohors non ſolum vlla ſpecie veri negare non potuit, ſed etiam viui iudicium vniuerſo orbi tremēdum experta eſt, vt niſi gens illa Iuliano Apoſtata deterior eſſet, quemadmodum ille dixiſſe legitur, *Viciſti tandem Galilae*, ita illi dicturi eſſent, viue crucifixe.

III. In cauſa finali indicium firmiſſimum deprehenditur, quod videlicet nulla miracula ad conſtantem patefactionem vnius Dei creatoris, qui ſupra ſolus verus Deus demonſtratus eſt, ad oſtenſionem inquam illius iudicis & ſaluatoris omnium directa fuerint, præterquam illa, quæ in noſtris Bibliis recenſentur. Vt enim ad opus reſuſcitationis mortuorū reuertamur, raræ ſunt apud prophanos narrationes de ea, nullæ vero ad docendum, Deum, qui omnia verus & vnus creauit, iuſtus eſt, verus & miſericos, conferuntur. Plutarchus lib. 1. de anima, meminit Euarchi cuiuſdā ex morte reducis, ſed qui ad infernalis ditis ſeu Diaboli cultum ſtabiliendum diſerte ſermonem inſtituerit. Plinius lib. 2. cap. 52. naturalis hiſtoriæ aliquot exempla rediuiuorum commemorat, ſed addit ipſe vaticinia eorum falſa fuiſſe. Sic de Galieno, vno ex rediuiuis, narrat ibi, quod nuntiarit patere inferis cauſas Pompei & partes pias. Proinde euentum futurum, quā

exoptaret, quomodo iterum Diabolo vendicatus fuerit, credulus auditor, & euentus promissus decepit Pompeiũ. Nostrorum vero sacrorum Bibliorum miracula in vnam & perpetuam illius vnius & veri Dei ostensionem coniurant omnia, eumq; tum immotæ iustitiæ patronum, tum inenarrabilis misericordiæ liberalem parentem testantur.

IIII. Huc assumatur vetustatis argumentũ, nempe quod nostri Dei operibus, quæ mirãda prædicamus, vt mirabiliora, ita priora sint nulla. Quod si simplex antiquitas firmum argumentum probationis ac neruum suppeditabit, eadem iuncta alia argumenta a proprio quarti modi ducto, certiorem demonstrationem largietur. Merito igitur de hoc κριτηρίῳ vnice succenturiante nostris Bibliis gloriamur, dicentes cum Moyse, *Quis similis tui in Diis domine Quis sicut tu, magnificus in sanctitate, terribilis laudibus, faciens mirabilia? Exo.* 15. Et cum Dauide, qui dum promittit annũtiationem eorum, quæ fecerit Dominus magnalia, exclamat: *Deus quis similis* Psalm. 21. & Psal. 72. *Benedictus Dominus Deus Israel, tui qui fecit mirabilia solus, qui ipse de se inquit, quod signa dissipet mendaci* Esa. 44.

III. Κριτήριον *a vaticinijs post multa secula res grauissimas futuras prædicentibus.*

Est aliqua etiam futuri in creaturis prænotio & præsensio, id quod sagacitas hominum in

In multis, brutorum vero animalium de tempestatibus indicatio arguit. Verum qu c quam eorum a creaturis præstari posse, vbi nulla naturalis dispositio præcedat, vel causæ ad effectum ratiocinatio ducem præbeat, nemo aut dicet, aut dictum, siue a priori, siue a posteriori confirmabit. Quapropter non simpliciter a quauis præuisione, prædictione & iudicio futuri, sed principaliter a vaticinatione ita admiranda, vt soli Deo propria relicta agnoscatur, hic proceditur. Cuius tamen argumenti index est naturæ insertus, vt creatoris esse idioma doceat. Prouidentiæ quoque diuinæ generaliter naturalis ratiocinatio (nō enim multum interest inquit Cic. 2. de natura Deorum, vtrū quis neget esse Deos, an eos omni procuratione & actione priuet; mihi enim qui nihil agat, esse omnino nō videtur) eidē Deo vt Domino naturæ dispositionem de futuro tribuit, cuius studii reuelatio & agnitio multum iuuat, & docet veram de Deo fidem. Vnde communis omnium, qui religionis opinione imbuti fuerunt, sententia nata est, vaticiniis prodiderunt. Et vt se Deum mentiretur Diabolus, suos sibi vates corrogauit, eaque cum cæteris ausa fuit religio certare, quæ pluribus oraculis valuit. Idem compromittit sacra scriptura, quam nos veneramur. Nam Esaiæ 41. Deus noster ita per Prophetam idola alloquitur: *annuntiate quæ futura sunt in futurum & sciemus, quia dii vos estis*. Et Ieremias 28. cum ad-

uersarium haberet Prophetam Gabonitam, proponit eandem rationem dirimendi litem, dicitque, eam congruere probationi Prophetarum ante se & a seculis vsque. Æquale est futurorum scientiæ præteritorum reuocatio & annuntiatio, quibus creaturæ testes desunt, vt est mundi initio creati historia, cum neque angeli neque homines essent, credoq; Deum maiestatis suæ declarandæ causa a Moyse primam illam historiam voluisse contexi, sicut inquit apud Esaiam cap. 44. *Quis similis mei, qui vocet, quod præterit, annuntietque illud & ordinet mihi illud, ex quo posui mihi populum antiquum, & ea quæ sunt ventura, & quæ sunt futura annuntiet illis.* Neque potest hæc insignis nota in dubium vocari ab eo, cui de cæteris persuasum fuit. Sola autẽ illa propositio imbecillior est in hoc, quem nunc obseruamus, statu. Verum vt maiori minor aptetur, & in hac cum medio Christianæ religionis codex ponatur, remoueantur autem ab eo omnes dissentientes, attendendum est non solum ad qualemcunque terminorum coagmẽtationem affirmatiuam, sed vt modo indicauimus, ad robur medii ad appropriandum, quod vaticiniorum præstantiam prædicat. Constat autem illud his propriis. I. *Vt prædictiones sint futurorum a causis secundis regulariter non pendentium, nec sagacitati vel ratiocinationi obuiorum, sed omnium creaturarum perspicuitatem fugientium.* II. *Vt comprobentur euentu.* III.

Ne sint

Ne sint infames seruitio falsis diis addictæ. IIII
Ne vetustate vel prima religione posteriores sint.

Prima diuinarum prædictionum & Prophetiarum proprietas est, vt cursum naturæ deserentes, quid præter vel etiam contra ipsam, nõ quidem ex causis contrariis & quomodocunque apparentibus, quæ & ipsæ naturalem intelligenti creaturæ ratiocinationem suppeditant, sed plane ex noua dispositione creatoris, & quid post aliquot secula euenturum sit, annuntient. Sic hic prouoces omnia oracula Ethnicorum, nihil tale ostenderis in ipsis. In nostris autem sacris Bibliis vaticinia etiam admiratione omni maiora præbentur.

Sic enim in Gen. Moysis non tantum scriptionis tempore, sed etiam historiæ vetustate omnes narrationes gentiles, quæ aliquid fidei merentur, anteit longissimo interuallo. Ita in 3. cap. promissionem habet, lõge post, & quidem præter omnem rerum seriem singulari consilio & ordinatione Dei futuram: *Ponam* inquit, *Dominus ad serpentem inimicitias inter te & mulierem. Quis mulieri semen aut spondere potest filium sine congressu maris, nisi is qui marem & fœminam primum creauit?* Atqui hoc auctor nostrorum Bibliorum promisit. Idem repetit de virgine paritura vaticinium, postquam a prima pollicitatione præteriissent anni ter mille ducenti & quinque, Esa. 7. Nec tum statim, verum postquam adhuc anni septingenti quinquaginta 7. elapsi essent, præ-

stitum est, quod prædictum erat. Adde, quod post auctum genus humanum huic semini certa fuit destinata familia: vt Abrahami annis mille nongẽtis triginta nouẽ *Gen*.12. Iudæ annis 1207. *Gen*.49. Dauidis annis mille sexaginta ante aduentũ 2. *Reg*. 7. quod locus natiuitatis designatus Bethlehem est *Mich*.7. designatum tempus ex accidenti memorabili oppressione videlicet regiæ familiæ Iudæ & doctrinæ isti populo traditæ obscuratione *Gen*.49 in Monarchia Romana, *Daniel* 2. & 17. & hoc ipso Propheta annos ministerii & mortis supputante & indicante *cap*. 9. pene annis quingentis quinquaginta antequã nasceretur Christus.

Quam stupendæ sunt historiæ de nobilissimorum regnorum leui initio constitutorum, & postquam ad summum creuerunt, totiq; orbi terrarum terrori fuerunt, leui tamen momento euersorum vicissitudinibus. Has vero prædixit Deus noster simul ordinem regnorum cum moribus pręcipuorum Imperatorum ex multis singularibus indicans, a quo omnium religionum aliarum oracula tã procul absunt, vt ne quidem partem eius sibi vẽdicare possint. Quod enim de Sybillinis oraculis obiicitur, hoc in tertio proprio refutabitur.

II. Secundi proprii, quod nimirũ vaticinia nostri Dei non sint frustrati euentus, sed hi exacte responderint illis in promtu est probatio

bario. Christum enim ex virgine filium Dauidis, qui fuit de tribu Iudæ ex posteritate Abrahami in Bethlehem sub Augusto Imperatore Romanorum, suppressa regia stirpe Dauidis, natum esse, & eo quod Daniel constituit tempore occisum, turpiter quidem a multis derisum, a nullo autē vere negatū est vnquā. Passionem Christi Psal. 22. annis mille sexaginta, Esa. annis fere septingentis sexaginta, antequam fieret, multis circumstantiis, quas historia subsequens commonstrat connotarunt, adeo luculenter, vt Iudæi acerrimi hostes Christi vel verba vaticiniorum mutarint vel vanis cōtorsionib. ludibrio sese exposuerint. Quid vero magis certum & conspicuum in mundo hoc, quam inimicitia inter semen serpentis & mulieris. Si enim alia deessent, quæ tamē grauissima possunt accumulari testimonia, hæc ipsa de religionibus contentio prophetiam abunde stabiliret. De capite serpentis a Christo deque calcaneo Christi a serpente contrito & conterendo omnes in Ecclesia Christiana anguli locupletes testes sunt, id quod pro statu quidem nostro hic nō intempestiue, pro instituto vero nostro minus opportune tractaretur, cum paucis res expediri nequeat. Ad Monarchias vero & illustria imperia quod attinet, prophanas historias diligenter conscriptas vna cum Bibliis nostris consulere licet, ex quibus multa deprehendentur accuratius prædicta a sanctis nostris Prophetis.

antequam fierent, quam dum fierent a prophanis obseruata sunt. Nihil profecto simile in reliquarum religionum oraculis legemus, & possunt de præcipuis illis rationes reddi cõsentaneæ præsagiis Physicorum & coniectationibus ingeniosorum, in quibus tamen mille artifex fraudum versutia excellit, quæ interdum aliunde emendicata proponit, veluti cũ quædam a Deo decreta, aliorumque ministerio patefacta suffuratur, & sibi arrogat, quemadmodũ dictis Samuelis a Pythonissa euocati proditur. Quæ enim viuus & verus propheta Samuel iussu domini Saulo annuntiarat, ea Satan per spectrum repetit, vt collatio cap. 13. & 15. & 28. in lib. 1. Samuel facit palã. Et talia sunt multa Sybillina, cum spiritus etiam nequam salutis hominũ indefessus aduersarius, in Iobe legatur stare ante dominum, eius voluntatem implorare & explorare, & aliquo vsque nõ raro optata impetrare.

Nec est ipsi tribuenda diuina actio, si quid sibi concessum pronuntiet, & iis, quibus facturus est, circumstantiis determinet, cum ex notis permissis & possibilibus idem sit homini licitum non valde astutum: agnoscuntur etiam multa permulta ambiguitatum latibula vt in quãcunque partem res cadat, deceptor ille probe contendere possit.

III. Tertium propriũ est, ne vaticinia falsis diis mancipẽtur, vel horum cultum stabiliãt. Nullæ autem diuinationes Ethnicorum numinum,

minum, quamuis ingeniosissime cõficte, proferri possunt, quæ vel multitudinem Deorum abhorreant, vel Deum vniuersitati rerũ præsidentem, iustitiaque & bonitate erga homines, cum odio contrarii declaratum, constanter monstrent. Sybillæ vates castissimæ & sanctissimæ habentur inter Prophetas gentium. Sed hæ quoque manifestam illam infamiam falsitatis non euitarunt, in quo Augustinus ponit sumtæ ab ipsis instantiæ abolitionem, cum in lib. 15. contra Festum Manichæum cap. 15. ita scribit: *Valent Sibyllæ & Orpheus & nescio quis Hermes, & si qui alii vates & Theologi & sapientes vel Philosophi gentium de Filio Dei aut patre Deo vera prædixisse vel dixisse perhibentur. Valent quidem*, inquit, *aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos idola & dæmonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere non sunt ausi. At illi sancti auctores nostri eum populum eamque Remp. tale regnum imperante & adiuuante DEO propagarunt & rexerunt, vt his sacrilegium esset, quod illis fuit religio.* Hactenus ille. Quamobrem quantũ distat de Christi aduentu inter prædicationem Angelorum & confessionem Dæmoniorum, tantum inter auctoritatem Prophetarum & curiositatem sacrilegorum. Potestates enim aeriæ superbæ & fallaces, vt idem Augustinus

lib.4.de Trinitate cap. 17.ſcribit,etiamſi quædā de ſocietate & ciuilitate ſanctorum,& de vero mediatore a ſanctis Prophetis & Angelis audita per ſuos vates dixiſſe reperiuntur,id tamē egerunt,vt per hæc aliena etiam fideles ſi poſſent ad ſua falſa traducerent.

IIII. Quartū proprium eſt, quod vt omnes religiones ſynceritate vincit prima, ita vetuſtiora vaticinia primæ religioni quaſi coniuratione facta vnice ſtudētia præ omnib. aliis palmam obtineāt. Antiquiſſima autē noſtra Biblia ſupra demonſtrata ſunt, nec Prophetiis ipſorum vlla antiquior alia reperitur. Certiſſima igitur eſt minor, Chriſtianā religionē vaticiniis omnium probatiſſimis & diuiniſſimis confirmatam,ſolam veritate dominari, & omnes alias, vt falſas poſt ſe relinquere. Huc ptinet ꝙ exhibito Chriſto continuere oracula gentium, quod ipſum Biblia noſtra futurum prædixerunt. Nam Zach.13.dicitur. *In illa die erit vena patens domui Domini Dauid atq; Prophetas & ſpiritum immundū auferam de terra:* Eſtque hoc annis plus quam octingentis, antequam fieret, ſignificatum, vnde quidquid gentilia oracula pronuntiarunt, deſumtū eſt, iuxta prouerb. quod Cyrillus li.1. contra Iulianum ſimili intentione refert, σοφὸς ἄλλος ἀπ' ἄλλου Et addit, manifeſtū eſt vero, quod poſteriores a priorib. didicerint,& nō priores a poſteriorib. Fieri tamen poteſt, vt eo tempore aliquid editū ſit,quo diuinā vim, cui reſiſtere nequiuerunt

uerunt, dæmones senserint. Quanti vero ponderis sunt testimonia, quod Ethnicorum dæmones suum interitum prædixerint ad præscriptum nostrorum Prophetarum, euentusq; illos cum religionibus suis sustulerint, nostra tamẽ semper stuperstite. Huc specialius referatur, quod supra generalius attigimus, nostra videlicet Biblia commemorare ea, quæ sine creatura teste facta sunt, nec ab alio, quã a vero Deo fieri, sciri & prodi potuerunt, initiũ videlicet, modus & progressus creationis, antequam Angeli & homines conderẽtur, & sanctæ Trinitatis de creando homine aliæq; diuini consilii deliberationes, quæ cum ad vnũ Deum creatorem commendandum proferãtur, multisque gaudeant præterea κριτηρίοις, merito in admirationem nós abripiant. Iterum ergo concluditur firmissime Christianã religionem omnium esse verissimam.

IIII. Κριτήριον a miranda conseruatione Ecclesiæ Christianæ.

Cum supra de antiquitatis dignitate, vnde religionis præeminentia probaretur, ageremus, id simul confirmauimus, quandoquidẽ ex naturæ conseruatione agnosceretur, multo magis etiam eam in seruato mundo custodem esse doctrinæ de agnitione Dei. Hinc ergo Thesis.

Necesse est, vt vera religio eiusque sectatores aliqui ab initio huc vsque conseruati sint.

Iam si inquiras in omnes alias falsas, quidē reperies satis antiquas, quæ tamen veritate posteriores fuerunt. Nullam autem a principio in vnumDeum creatorem intentam, perpetua eiusdem doctrinæ, huiusque doctorum propagatione & successione ornatam offendes, præter eā, quā Christiani profitentur cū Prophetis & Apostolis a primo ortu hucvsque vnanimiter. Vbi suntBabylonica, Assyriaca, Ægyptiaca, Græca, Romana, aliarumque gentium idola, & his seruientium superstitio? Nonne euanuerunt dii illi & mancipia illorū, quam exiguus cœtus fuit eorum, qui Deū nostrum normam verbi, quod prædicamus, coluerunt, si reliquam mundi multitudinem aspexeris? quot hostibus idem populus petitus? deleri tamen nunquam potuit? Deum nostrū vniuersam terram diluuio perdidisse & deleuisse, paucis veris cultoribus seruatis, commemorant nostra Biblia. Verum Ethnicorum scripta veterum nulla negant, referūt potius, quamuis fabulis obscurarint permulta, sicut plæræque circumstantiæ innotuerunt & celebratæ sunt a gentibus. Cyrillus in lib. 1. cōtr. Iulianum citat Alexandrum Polyhistorē, qui diluuium a Deo, quem Saturnum appellat, quemq; Xenophon in Æquiuocis hominem facit, cuidam Xisutro. (sic ab illo nuncupatur, vt Cyrillus putat, Assyriorum voce) prędictū esse

esse & arcam parari mandatam, in qua homo ille cum animalibus nauigaret. Ibidem Cyrillus Abidenum, & similiter Iosephus Berosum allegat de diluuio, & multa ex gentilibus fragmentis relata sunt in libro. 1. Metamorph. De columba ad explorandam siccitatē terræ emissa in diluuio Plutarchus citat de industria animalium. Xenophon in Æquiuocis & Solinus in collectaneis primum diluuium faciunt nouimestre, & sic inter nonum & 10. mēsem humiliorū montium cacumina prominuisse Gen. 8. scribitur. In hac historia vero vaticinii, miraculi, & pereuntibus contemtoribus omnibus nostri veri Dei, conseruationis piorū, qui nostrum verum Deum agnouerunt, mutuæ traduntur partes. Quæ insignia κριτήρια nonnulli hoc commento eludere conati sunt, quod magna quædam stellarū coniunctio diluuium portenderit, quod effectum peritus Astrologiæ Noa obseruarit & naui periculū euitarit. Verum qui de illa ætate Noe hoc peritis astronomis demonstrarit, nemo adhuc inuentus fuit. Et sunt, qui incendiū potius, quā inundationem ex stellarum positu tum cōiecissent. Adde, quod Aristoteles primo Meteororum Thessalicum diluuium, quod Ouidius celebrat assumtis circūstantiis nostrorū Bibliorum circa Parnassum montem, itaque particulare, & Xenophon confusionem plurium in scriptis prophanis arguant. Hic etiam vniuersalem κατακλυσμὸν, pene octingentis annis

antiquiorem faciat Thessalico. Se ipsas quoq; redarguunt narrationes, in eo, quod post diluuium animalia ex terra & calore solis producta, homines vero ex iactu lapidũ informatos esse tradunt, cum tamẽ masculum & fœminã; nec non animalia naui conseruata fateantur. Quæ antilogiæ derogant fidei gentilium, quo ad stabilitionẽ Ethnicarũ religionũ, & tamen in hoc, quod de miraculo conseruatę Ecclesię maiorũ nostrorũ contestantur, nostrã fidẽ cõfirmant, cum nostræ historiæ sacræ grauitas & constantia illa vitia a se aliena probet. De liberatione Israelitarum ex seruitute Ægyptiaca Alexander Polyhistor multa habet, & inter cætera hoc, quod persequente Pharaone Iudæos, vt supellectilem Ægyptiis ereptam recuperaret, Moyses monente Deo virga mare contigerit, hocque ad tactum illum Moysi & & populo eius illico cesserit, Ægyptios autem insequentes submerserit. Ait etiam populum istum triginta annis in deserto niue quadam pluuiæ instar a Deo immissa nutritum esse. Insignis etiam historia est vindicati populi Iudaici ad preces Ezechiæ a blasphemis in Deũ nostrum minis Sennacherib. & præfecti ipsius Rabsacis Esa. 37. Hãc vero refert Herodotus etiam lib. 2. in Euterpe affirmans, victoriã precibus sacerdotis a Deo impetratam esse. Imprimis autem memorabile est, quod idem recitat Sennacharib, ob illum Dei contemtũ; punito (quanquam hoc Vulcano Ægyptio tribuit

buit, qui dudum euanuit) in templo illius Vulcani ſtatuam lapideam erectã eſſe cũ hac inſcriptione *εἰς ἐμέ τις ὁρῶν εὐσεβὴς ἔστω, in me aliquis intuens pius ſit*, quemadmodum & publica ſcripta ſculptaque Ethnicorum concione promulgatum fuit, quod noſtro Deo vera pietas debeatur, qui miraculoſe tutatus ſit populum ſuum.

V. Κριτήριον *a martyrum ſanguine.*

Hoc argumẽtũ partim externũ eſt, hoc eſt, quod in ſenſus exteriores incurrit, & eatenus iudicio aliorum ſeſe offert, partim internum eſt, quatenus tantũ mente martyris probatur. Quod ad teſtimonium mentis intimũ, nõ eſt ipſi locus in diſputatione, de alienis a noſtra religione fidẽ factura, ideoq; hic illã partem mittimus, & doctrinæ de vſu & effectu verbi diuini reſeruamus. Quoad externã alieni iudicii quædã de ea difficultas inde oboritur, quod Diabolus mentes hominum ſæpe in ſuis falſis & tetris opinionibus pertinaces reddit, & vſq; ad mortem obſtinatas tenet. Sicut autẽ inter falſos & veros teſtes, vbi veritas cauſæ, ſuper qua diſputatur, adhuc ignota eſt, dicentiũ & dictorũ circũſtantiæ collatæ quaſdã pſumtiones pariunt pro vero aut falſo, interdũ etiã in altero mendacia aperta iudicant, alterum autem aliquo vſque ſtabiliunt: ita in hoc noſtro, de veritate religionis argumento cum

teſtes in vtramque partem etiam tortura examinati in ea conſtantes occurrant, quædam adiuncta ſigillatim probentur, & hoc quidem ità peragitur rectiſſime, vt ſi priora & manifeſtiora κριτήρια cum martyrio coincidant. Sicut enim illa compromiſerunt omnes omniũ religionum patroni, ita hic non poſſunt ea homines ſana mente præditi reiicere. Si quis ergo propter eam religionem mortem non dubitat ſubire, qua profitetur Deum vnum conditorem vniuerſorum, ſanctum, iuſtum, miſericordem, qui ab initio mundi ſeſe patefecit & probauit vere diuinis miraculis & vaticiniis, & Eccleſiam iſtis patefactionibus collectam diſſipatis aliis congregationibus & agminibus ſolam conſeruauit, non autem huic, ſed alii poſt hanc vitæ ſuæ conſecratos docuit, ideoq; mortem etiam pro confeſſione nominis ſui, ſi ferat neceſſitas, oppetere iuſſit, is ſanguine & morte ſua teſtimonium perhibet, citra exceptionem veriſſimum. Vt vero illius Dei conſtãs profeſſio, ſanctæ antiquitatis dignitas, miraculorum vaticiniorumq; vere diuinorũ præſtantia & perpetuitas Eccleſiæ, omnibus aliis religionibus ſupra ſunt derogata, ſoli autem Chriſtianæ religioni aſſerta: ita duntaxat Chriſtiani ob religionem ſuam pulcram oppetunt mortem, & ſic veritatis teſtes ſunt probatiſſimi. Illi etiam, qui obſeruare poſſunt aduerſariorum martyrum mentẽ ex moribus & indiciis, quæ in acrioribus paſſionibus &

agone

agone vltimo ostendunt singuli, illi manifestum discrimen deprehēdunt, cum martyres Christi, etsi non sine luctu carnis & spiritus, humilem tamen atque placidam subiectionē carnis & caritatem hominibus etiam hostibus vultu, gestu & voce testentur, & cruciatus ingentes, quos ad sanctitatem, iustitiam, & misericordiam Dei compositos docere possunt, iis exemplis liberationum solētur, quæ ab initio crucis piorum a vero Deo edita sunt, & in solo Christo primo vaticinio promisso ac certissimis miraculis demonstrato, quique solus suā Ecclesiam perpetuam probauit, nō ad quamcunque opinionem, sed ad vnicum verbi Dei præscriptum, infallibilem misericordiam Dei, qua nihil etiā magis opus est hominibus sanctis, & ex hac vitam æternam, cuius etiam gustum, quem in corde sentiunt, quiete atque lætæ mentis significatione produnt, sibi certissime polliceantur. Contra vero martyres Diaboli ferocem potius audaciam, & insanam ac stoicam pertinaciam in opinionibus contra veri verbum Dei conceptis, odiumque in aduersantes truculentum vultu, gestu, voce ostendunt, nec in misericordia Dei omnibus hominibus necessaria, verum in ficta sua iustitia, quæ sine terrore non nisi stupidam conscientiam inuadit, cum fremitu & murmure sonoro impatientiæ indice, in mortem sese præcipitāt. De quo discrimine ad spectatores prouocare non dubitant Christiani.

VI. Κριτήριον *ab exitio hostibus Christianæ religionis diuino iudicio immisso.*

Iudicium de causæ bonitate & veritate ab euentu sumtum multis sane hallucinationibus obnoxium est. Verum potest aliquot roborari fulcris, vt firmum & stabile cognoscatur & feratur. Sicut enim tragicus exitus si rarus manifeste sceleratum manifestum opprimat, sceleris supplicium recte reputatur, & in frequentia, cui deest vniuersalitas, regularitas relata ad antecedens, certum & vt proprium eius consequens veri iudicij normam suppeditat, ita concatenatis reliquis κριτηρίοις veritas verbi Dei ita asserta est, vt si quis eius contemtor vel hostis sit, & horribiliter pereat suo exitio, etiam vnius exempli de veritate dicat testimonium: quod si pluribus exemplis regularitas etiam probetur, habet argumentum insigne robur ad confirmandum, hinc igitur dubitatio de calamitatum æstimatione instituitur. De pœnis nullum sane est dubium, quin iniustitiam comitentur, quemadmodum Plato in 5. de legibus inquit τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος, *pœna iniustitiæ comes est*, seu, vt Horatii grauem versionem citemus: *culpam pœna premit comes.* lib. 4. oda.5. Cum autem boni quoque calamitatibus destinentur, disputatio hæret in quæstione, *quæ sint pœnæ, quæ alto Dei consilio immissæ afflictiones.*

afflictiones. Huius quæstionis plena discussio communibus quidem argumentis non expeditur, cũ res præcipuæ singulare Dei consilium cõcernant. Potest tamen nonnihil vt monuimus communibus niti disputationibus, idq; hoc modo, quod impossibile sit, eius calamitatem ad aliam, quam ad pœnæ rationem reuocare, qui veri Dei auctoritatem & verbũ hostiliter spreuerit, & in scelere impœnitens perrexerit. Imo tam improbum est antecedens (*verbum Dei aspernari*) ex sua facie, vt ex consequente non opus sit, eius probationem venari, nisi quod pœnæ subsecutio cum perfunctoria prius aspexerit ad atrocitatis considerationem magis excitet, itaque simul & coniunctim præsens argumentum corroboret. Sic de regularitatis probatione censendum est, ad quam experientiam plurimum requiritur, quæ Ethnicis hanc pepererit sententiam: Atrocia delicta atrocibus pœnis a Deo puniuntur, celebrem auctoritate Herodoti qui lib. 2. vbi de excidio Troiano inquit: τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ τιμωρίαι παρὰ τοῦ θεοῦ Circumretit enim vis atque iniuria quemque, atque vnde exorta est ad eundem plerumque recedit, vt Lucretius suas obseruationes prodidit. Atrocissimum autem esse peccatum veri Dei verissimũ verbum contemnere & odisse coguntur fateri omnes, qui superioribus demonstrationibus

falsum vero exprobare nesciunt. Et accedit experiẽtia singularis plurimis exemplis Christianam religionẽ respiciẽtibus stipata, qualia retulimus diluuii vniuersalis, submersionis Ægyptiorum, puniti Sennacharib atque præfecti ipsius insignibus historiis supra recitatis, qualia sunt Sodomæ cum vicinis ciuitatibus deletio, excidium populi Iudaici selecti quidem a Domino verum ingrati, & similia multa gentibus etiam non ignota, & de religione apud ipsas testantia. Huc pertinet, quod anno Christi trecentesimo nonagesimo octauo accidit, cum Theodosius primus non tantum idolorum templa claudi, sed etiam destrui iusserat contra Eugeniũ & Arboganastum, Ethnica sacra instaurare, & Christianam religionem delere volentes, pugnans miraculose auxilio ventorum aduersus exercitum multitudine superiorem, & ex faucibus alpium victor exstitit ope diuina adeo conspicua, vt Claudianus Poeta Ægyptius id versibus celebrare non dubitarit,

O nimium dilecta Deo cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Ne tamen opus sit prolixiore deductione, quam status plurimorum collectione fieri postulat, Ecclesiæ veteris & noui testamenti vni Christo addictæ, & semper maximæ orbis terrarũ parti inuisæ conseruatio & perpetuitas, quę simul veri Dei erga suos proprium animũ ostendit, commode propositum conficit.

VII. Kρι-

VII. Κριτήριον a maiestate scriptorum Canonicorum quibus Christiani vtuntur diuinitatem redolente & probante.

Hic rursus sese latissimus aperit campus, in quo nostra Christiana religio exsultat, & contra negantem præeminẽtiam spatiosis excursionibus impetus vehementissimos acquirimus: Sed huius probatio, nisi prædicta quædam assuamus, nõ tam externis quam internis mentis & cordis sensibus promta est, prædicta intelligo constantem confessionem vnius veri Dei creatoris & seruatoris, rerum antiquitatem, vaticiniorum præstantiam, quę sunt doctrinæ materia exterius etiam censenda. Huius tamen generis est styli veneranda maiestas; quæ in explicationibus S. Bibliorum ita ostenditur, vt qui contrarium sentiat facile confundatur. Qui vero simplicitatem orationis Biblicæ rident, illi suum potius iudicium riderent, non solum quod simplicitas veritatem naturam doceat, sed etiam quod in S. nostris Bibliis sit grauissima simplicitas, quam, qui non obiter aspexerit, non poterit non serio venerari, ornatissimis Prophanorum orationibus ad ipsam ceu spuma maris ad mare ipsum æstimatis. Quid magnificentius exordio simplicissimo: *In principio creauit Deus cœlum & terram?* mihi non est dubium in deliberatione & consultatione diligentissima Sena-

tus ex doctissimis, sapientissimis & fœcundissimis, totius mundi collecti concinnius exordiū scripti eius, ꝙ primū esset omniū, Deumq; verū doceret & ostenderet, excogitari nō posse. Quod etiam iuniores nonnihil probent aliquot argumentis declarabimus.

I. Deū verū sine patefactione cognosci non posse, testimoniis omniū consentientib. supra confirmatum est.

II. Prima patefactio creatione præstita est, nec hanc antiquiorē vllā quisquā putabit, nisi patefactionē sine illis quib. fieri debeat, confingat. Moyses ergo scriptū suū veræ religionis principium aliunde, quam a patefactione Dei illaq; omnium prima rectius ordiri nō potuit.

III. Cum a patefactione auspicari debuerit, historiam tradi oportuit, cui omnes veræ eruditionis sapientes æstimatores duos veluti oculos tribuunt, locorū & temporum obseruationē. Vtriusq; vero rationē Moyses talem habuit, vt initio exquisitissime congrueret; tempus ait cœpisse, cum Deus creare inciperet, & in ipso temporis initio creationē factā. Prima autem creatione in temporis exordio cœlum & terram exstitisse, quę sunt locorum initium.

IIII. Cū patefactio Dei veritatis κριτηρίῳ cōmendetur, Moyses cœlū & terrā in principio, anteq̄ præter Deū exsisteret nihil, creata dicit, idq; factum admirandū tota natura rerū prius & superius cōmemoret, vt propriū seruet patefactio, & certitudinē contra vniuersam naturam,

turam, si in aduersationem inducatur, tueatur.

V. Hoc primo opere non solũ verum Deũ generalius innuere, sed etiam quid esset tum essentia tum voluntate ostendere debuit. Hoc vero quis sapientius sapientior proponeret Moyse, qui, inquit, *Principio creauit Deus &c.* Mysterium pluralitatis audis in vnitate cum dicit *Dii creauit.* Hoc mysterium hic quidẽ non euoluit, vt postea facit, appellato Deo huiusq; verbo & spiritu, itaq; pluralitate ad Trinitatem, ceu genere ad speciem deducto, pluribus tamen illis reductis in vnum, ne quid præter patefactionem tradat Moyses appellationem *Dei* cum verbo *creare* diuersis numeris coniungit, vt doceat effectis creationis variis ad vnitatem quandam operis reuocatis mysterium Trinitatis in vno Deo statim cum mundi exordio reuelatũ esse. Primam etiam patefactionẽ opere Dei rescribẽs monet Deũ absolute facie sua videri nõ posse, sed a posteriore cognosci debere. Et quod summũ Theologiæ nostræ apicem spectat, dum mysteriũ de essentia Dei ita prodit *Dii creauit*, ab absoluti Dei consideratione statim ad illã mouet animũ lectoris & remittit ad relatiuã meditationẽ, ne patefactionẽ egrediatur inquisitio, in eaq; bonũ bonæq; voluntatis Deũ commẽdat, quæ sane sunt res amplissimæ. VI. Orationem historicam decet simplicitas veritatis amica. Simplicitas redundantiam respuit & breuitatem sectatur, quæ tamen vt

perspicuitati seruiat, omnes circumstátias necessarias complecti & domonstrari, ac ne grauitati desit, rerum pondera verbis appendere debet. Hæc omnia in oratione ista Moysis seruantur religiose. Simplicissima vero est omni alieno atque superfluo carens, concisa quoque, quæ tamen breuitate nulli deest, necessaria simul seruans grauitatem rerum absq; simplicitatis atque breuitatis iactura, & quod pœne miraculi loco est, omnia illa, de quibus iam diximus, quęque tantum vocabulis proponit. In nouo testamento, vt breuitati studeamus, sit exemplo historia natiuitatis Iesu Christi a Luc. cap. 2. descripta. Quæ quidē simplicissima oratione recensetur, verum singulis vocibus singula diuina pondera aspersa ostentat, adeo vt interpreti etiam copia deficiat in singulis ac omnibus pro dignitate sufficienter enarrādis. Æstimetur etiam textus rerum penitiore intuitu & nunc tantum ad hoc vnū, quod Euangelista in commemoratione circumstátiarum intentus sit, in vaticinia veteris testamenti, & lectorem eo studiose remittat, nempe ad promissionem Propheticam & Euangelicā, id est, quæ est de semine mulieris *Gen.* 3. Qualis autē Eua tum fuit cum promissio ederetur, virgo videlicet matrimoniali vinculo certo marito obligata, de qua intelligendum erat, quod semen mulieris tunc nuncupabatur interprete postea Esa. *cap.* 7. ita declaratum: Talis fuit Maria Iosepho desponsata, viro tamen incognita, & virgo

& virgo. Respexit ergo porro ad omnes promissiones Abrahæ, Isaaco & Iacobo factas, ex quorum posteritate fuit mater Domini: ad vaticinium de Iuda cuius sceptro inclinato Siloh venturus prædicitur, *Gen.* 49. ad promissionem factam Dauid. 2. *Sam.* 7. ad prophetiam Danielis de Monarchia 4. destinata aduentui regis cœlestis Dan. 2. ad Mich. locum natiuitatis nominantem *cap.* 5. ad Zach. paupertatem huius regis prædicentem *Zach.* 9. Hæc omnia circumstantiis, quæ leuiores habentur, negligenti lectori indicantur, & additur euentus, qui tot tantisque vaticiniis ex interuallo, quod Prophetiis esse potest longissimum, respondens, diuina maiestate resplendeat. Quod si præterea pietas Iosephi & Mariæ, & quę tum acciderunt Angelis huic puello ministrantibus cum concione angelica, hymno & consequentibus expendantur, omnia illa etiam prima fronte minutissima seruant harmoniam in amplissimis rebus vere religioni propriis, & ad demōstrata congruentibus, quæ alio quam hoc loco cōmodius & fusius explicantur. Nec figuræ & lumina affectuumque motus, quibus Rhetores in suis scriptis superbiunt, desunt nostris Bibliis, si modo quod Prophani sibi sumserunt indulgeatur Sp. sancto, videlicet omnia suo loco & tēpore pro decore & necessitate rerū atq; personarum obseruāda esse, id quod in sacra scriptura perpetuo obseruatum esse, res ipsa nisi

ſtudium probandi deficiat abunde docet vbique. Ioſephũ videmus vbiq; affectaſſe culturam,& ornatum,quem præcipuis quibuſdam narrationibus Biblicis adhibet. Verum licet Prophanus Rhetor plus Ioſepho tribuat, quã noſtrorum Bibliorum ſtylo atque orationi,ne quo ad ſpeciem vmbratilem eloquentiæ falſum hoc fieri videatur. Titus etiam Imperator Ioſepho ſtatuam decernens, iudicium illud confirmari poſſe putauit. Reuera tamen oratio Ioſephi ſplendorem vndiq; conquirentis ieiunior eſt, quamuis etiam humilioris ſermonis oratione, quæ in ſacris Bibliis legitur: id quod collatione cuiuis non oſcitanti pateſcet. Ac ne quis excipiat,Ioſepho non facultatem ſermonis, ſed lumen intellectus tantum defuiſſe, alium producemus in luce Chriſtianorum verſatum. Gregorius Niſſenus Theologus inter Chriſtianos Græcos excellens,cuiusque ſcripta a Domino Camerario artifice eorum laborum commendantur, in quibus conſpiciatur diſertæ & eruditæ copioſæque orationis pulcerrima ſpecies, in ſermone de Spiritu ſancto digreditur in hiſtoriam Abrahami Iſaacum immolaturi,quam admixtis paraphraſibus ſermonum inter filium & patrem commutatorum & aliquarum circumſtantiarum explicationibus grauioribus lectori videtur gratiorem reddidiſſe quam Moyſes.

Nec

Nec contemnenda ſunt opera, quam vir ille præſtitit egregia. Verum redeunti a lectione Gregorii ad textum Biblicum, eumque in timore Domini exquiſitius conſideranti, multa occurrunt magni momenti pondera, quæ ille ne quidem attingit. Itaque ſua facultate ſuoque ſtudio nihil aliud probauit, quam quod ſermo S. ſcripturæ nullius eloquentis æmulatione poſſit æquari, nedum ſuperari. Sicut etiam illa, quæ cum diſertæ orationis laude expoſuit, non niſi ex textu Biblico depromi debuerunt: Itaque referunt delibationis tantum guſtum aliquem.

His κριτηρίοις Chriſtiana religio veteris & noui teſtamenti tabulis comprehenſa ſola vera, & verbum illud, quo nitimur veri Dei verum verbum eſſe firmiſſime aſſeritur. Quod tamen Iudæi nouum teſtamentum in fundamento, quod eſt Ieſus Chriſtus, aiunt a veteri diſcrepare, & hoc ad debellandum Chriſtum producunt, id præcipuum verum primariorum κριτηρίων, in quibus gloriamur, incidit. *Præter* alia vero antiquitatis dignitatem, & vaticiniorum præſtantiam derogat Chriſtianorum religioni. Itaque nouam eam arguit & vanam, vt ſane neceſſarium, atque operæ pretium ſit huius partis tractationem non negligere. Verum cum paucis res expediri nequeat, & ſubinde in enarrationibus librorum Biblicorum,

refutationes Iudaicarum corruptelarum oc- currāt, auditores eò nunc remittere oportet: ſicut etiā in confirmatione doctrinæ, de Christo ex veteri teſtamento petita, quam ſuo loco inſtituemus, Iudæorum mendacia & fidei Chriſtianæ veritas pateſcet.

REGVLÆ GVBERNANTES ſtudium Theologiæ ſcholaſticum.

CErtum eſt, omnes, qui ſalui fieri cupiāt, o- pere eſſe Theologos hoc eſt, audire & cuſtodire verbū Dei, quemadmodū Chriſtus inquit Luc. 11. *Beati qui audiunt verbū Dei & cuſtodiunt illud.* Item legimus Pſal. 1. qui præfationem in noſtram Theologiam præſtat, *Beatus vir, cuius voluntas in lege Domini, quique in ea meditatur die ac nocte.* Et Ioh. 8. *Qui non audit verbum Dei, non eſt ex Deo.* Eſt autem auditus ille non tranſitorius & perfunctorius, qui carnales tantum aures feriat, ad cor autem hominis non penetret, nec ad timorem Dei & fidem auditores moueat, ſed qui aculeum ſpiritualem relinquat in mentibus auſcultantium, vt cum cuſtodia non ſit fugacis & prælabentis, cōſtet ratio certi & præcepti verbi, ſicut Iohan. 6. ex Eſa. 54. & Iere. 31. Chriſtus loquitur: *Scriptum eſt*, inquit, *in Prophetis & erunt omnes docti a Deo, quisquis audiuit a patre & didicit, venit ad me.* Et ad omnes pertinet, quod pater de filio e cœlis clamat: *Hunc audi*

audite Matth.3.& 17. Et quod Christus, inquit Iohan. 5. *Scrutamini scripturas.* Et si vero Theologiæ studium omnibus, qui vere Christiani esse volunt commendatum est, tamen Deus distinxit, inter homines Christianos, *dans aliquos pastores & doctores Eph.* 4. quibus incumbit cura, vt ita doctrinam cognoscant, quo in publico aliis eam feliciter & fideliter tradant. Hos igitur in scholis informandos præter communiorem modum sua quadam ratione vti oportet, quibus regulas in verbo Dei præscriptas dictabimus.

I. REGVLA.

Futurus Theologus ante omnia timeat Deum.

EXPLICATIO.

COmmunis est hæc regula fere omnibus Christianis, & præter naturam timoris DEI omnibus pietatis motibus & operibus aptam præsenti hoc loco pręcipit, vt homo sapientiæ diuinæ operam daturus, nouum inducat affectum, qui Dei cõspectum semper obseruans & reuerens, nil doctrinę, quæ Christianæ sit fidei, gratum & sanum habeat, nisi quod ex ore ipsius Dei hauserit, timeatq; iram Dei si contrafecerit. In initio statim vitium προσωποληψίας cauẽdũ est, qua permulti Theologi hominibus plus æquo addicti perducuntur, & tamẽ ne quis doctoribus Ecclesiæ plus deroget, quam par est, Dei reuerentia prohibetur, qui falso testimonio indignatur. Etsi

vero hanc regulam primo loco ponimus eam tamen continuationi mancipatam uerimus.

CONFIRMATIO.

Initiũ sapientiæ timor Domini, Psal. 111. Prouerb. 1. Syr. 1. Dan. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo: custodite mandata Dei, quæ ego præcipio vobis* Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantũ facito, nec addas quicquam nec minuas*. Prouerb. 8. *Timor domini est odium mali*. Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanet in æternum* Esa. 33. *Cor ambulantis in iustitiis meditabitur timorem.* Actorum 9. scribitur, *quod Ecclesiæ per totam Iudæam Galilæam & Samariam ædificatæ sint per gentes in timore Domini.*

II. REGVLA.

Theologiæ studiosus meminerit sibi præcipue sapientiam Dei in abscondito latentem propositam esse.

EXPLICATIO.

Prima regula docet studioso Theologiæ pendendum esse ab ore Dei. Proxima hæc est nosse verbi Dei præeminentiam, hoc est, quod Theologia arcana sit doctrina, hominum rationem superans. Constat quidem Theologia Christiana legis & Euangelii doctrina, legisque particula natura nota est, & ratiocinationibus hominum explicata, verũ tamen mysterium habet Theologia nostra, non

non tantum Euangelii, ſed etiam legis reſpectu, cum legis præcipua pars ſpiritualis ſit, *Rom.* 7. Euangelium, vero ex ſinu arcano patris cœleſtis per Filium prolatum, *Iohan.* 1. Hæc conſideratio, in timore domini ſuſcepta ſtudioſum Theologiæ a φιλαυτίᾳ auocat, qua ſibi in verbi Dei tractatione perperam indulget, niſi ſciat doctrinam illam ſcriptam & acceptam, aliis quam rationis oculis perueſtigandam eſſe. Monet ergo non ſolum timore Dei nos duci ad verbi ipſius obſeruationem, ſed etiam iſtud longe ſecus tractandum eſſe, atque ſcripta humana, ſiquidem myſterium continens rationis præſcripto ſeſe non obtemperans, ſed illud excedat.

CONFIRMATIO.

Pſal. 15. Dauid ex concione legis peccati, & ad Deum conuerſus, inquit, *Occulta ſapientiæ tuæ manifeſtato mihi* Pſal. 36. *Iudicia Domini abyſſus multa.* 1. ad Corin. 1. *Scriptum eſt enim* Eſa. 29. *Abolebo ſapientiam ſapientum & intelligentiam intelligentium tollam de medio, vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor ſeculi huius? Nonne infatuait Deus ſapientiã mundi huius. Nam poſtquam in Dei ſapientia mundus non cognouit Deum ex ſapientia, placuit Deum per ſtultam prædicationem ſaluare credentes.* 1. ad Corinth. 2. *Loquimur ſapientiam Dei in myſterio occultam eam, quam præfinierat*

Deus ante secula in gloriam suam, quam nemo huius seculi Principum cognouit. Item, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere quia spiritualiter diiudicantur.* 2. Cor. 10. *Captiuam ducimus omnem cognitionem ad obediendum Christo.*

III. Regvla.

Initium laboris Theologici sit pia precatio.

Explicatio.

QVoniam studiosos Theologiæ primum ad verbum Dei allegatos, & hoc posteà iudicio rationis humanę sublimius & profundius esse didicimus, desperandum esse de fructu laboris, nisi solidæ eruditionis doctorem istius nanciscamur. Monstrant autem sacræ literæ doctorem Spiritum sanctum, quē Christus a patre mittit, & hunc licet præceptorem omnium præstantissimum, non tamen pretio conducendum, sed prece aduocandum esse docet.

Confirmatio.

GEneralis est regula auspicium licitarum actionum humanarum a precibus faciendū esse, sicut Paul. ad Coll. 3. inquit. *Quicquid egeritis sermone aut facto in nomine Domini Iesu facite.* Applicatur autem ista regula ad studium Thologicum multis singularibus dictis & exemplis sacrarū literarum, quia Deus est, qui docet hominem scientiam Psalm. 94. Mandatum autē ante omnia insigne est, quod

filius

Filius Dei in forma orationis,quam ab aucto-re & propter excellentiam Dominicam voca-mus, primum huiusmodi petitioni locum de-dit, *sanctificetur nomen tuum*. Ipse quoq; Chri-stus inuitans discipulos ad precationem Ioh. 14. subiicit, *se rogaturum patrem, vt spiritum veritatis mittat*. De hoc testatur magnifi-cis verbis: *Consolator ille spiritus sanctus*, in-quit, *quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacun-que dixi vobis*. Et Ioh. 16. *Cum venerit spiritus ille veritatis*. Exemplo est ex multis insigni Da-uid, qui in istis precationibus assiduus inueni-tur. Expertus enim est se a Deo Doctore pro-fecisse, sicut Psal. 21. confitetur, inquiens: *Deus docuisti me ab adolescentia mea*. Ideo in Psalm. 119. qui est commendatio studii Theologici aliquoties orat, *Domine doce me iustificationes tuas, & scientiam tuam doce me*, Psal. 25. sic pre-catur: *Vias tuas Iehoua scire me fac, semitas tuas doce me, fac me ambulare per veritatem tuam & doce me*.

IV. REGVLA.

Fusis precibus attendendum est lectioni sacra scriptura & meditationi eius vacandum.

EXPLICATIO.

EST quidem salutaris profectus in Theolo-logiis diuinæ benedictionis, ideoq; precib. impetrandus, Dei tamen ordinatione studiū hominum postulatur, idque tale, quod media

diuinitus proposita sectetur & vsurpet. Studii hoc primum consistit in lectione & meditatione sacræ scripturæ. Etsi autem hic doctore opus est, vt auditus verbi Dei præcipuum locum obtinet in hoc studio, tamen in scholasticis magno cũ fructu requiritur, vt post preces statim ad lectionem & considerationem sacrorũ Bibliorum sese conuertant, antequã auditoria petant. Quod si mortui consiliarii, sicut Alphonsus Rex Arragoniæ libros vocauit, viuis præferendi sunt in ciuilibus, hic multo magis sacra Biblia prius consulenda, quam homines cum deliberationem cum sacra scriptura etiam Christi dictata probent. *Ioh.5. & Act.17.*

CONFIRMATIO.

Paulus Timotheo præcipit, vt, donec veniat, attendat lectioni 1. *ad Tim.4. Psalmus* primus, qui informat Theologiæ studiosum necessariis requisitis, poscit meditationem in lege domini die ac nocte. Et loco inuitatorii sententia Psal. 34. *Semper sonet in auribus nostris, venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Item, *gustate & videte, quam bonus & suauis sit Dominus.* Huc pertinent cum alia Prouerb. Salo. cap. tum 8. imprimis, *quod illi, quibus socordia aliquando obrepit excitãdi animi gratia legere debent.* Ioh. 5. *Scrutamini scripturas.* Ier.48. *Maledictus omnis, qui opus Domini negligenter facit.*

V. RE-

V. REGVLA.

Danda opera est syncero doctori.

EXPLICATIO.

NOn solum Deus verbum suum Ecclesiæ commendauit, vt vniuscuiusque studium cognoscatur, sed etiã singulari beneficio doctores addidit, quibus donum interpretandi concedit, & auditorium ipse corrogat, suam promittens benedictionem. Discipulorũ itaq; ac præceptorum mutuæ operæ conueniãt, & seligatur magister, qui timeat Deum & fidelis sit, cum peruersorum vsus cõtagiosus sit. Huc pertinent etiam collationes discipulorum.

CONFIRMATIO.

Ad Rom. 10. *Quomodo audient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint.* Eph. 4. *Christus ascendens dedit alios Apostolos, alios vero Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores ad coagmentationẽ sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec omnes euadamus in vnitatem fidei & agnitionis Filii Dei.* 1. ad Cor. 4. *Hoc requiritur in dispensatoribus, vt fidus aliquis reperiatur.* Ad Hebr. 10. *Obseruemus alii alios, vt nos acuamus ad caritatem & bona opera, &c.* Matth. 7. *Cauete a pseudoprophetis.* Luc. 8. *Videte quomodo audiatis.* Eccles. 13. *Qui tetigerit picẽ inquinabitur ab ea.* 1. Cor. 15. *Corrumpunt mores praua colloquia bonos.*

VI. Regula.

Ordo seruandus in doctrina cognoscenda.

Explicatio.

SIcut terra mortis obscura ordine carere dicitur Iob.10.ita doctrina ordine destituta obscura est.Hocque maxime dedecet Theologiam,quæ *lignum vitæ* appellatur. Prouerb. 3.Item *lux & via vitæ*.Prouer. 6. Ordo autem iste & vniuersi & singulorum dispositione conficitur.

Confir. et usus Reg.

Prioris ad Cor. 14. vbi Apostolus inter alia studium docendi & discendi moderatur, vt ædificationem pariat & vtilitatem,tandem ita concludit: *Omnia decenter & ordinate fiant.* Quod non tantũ ad mores & ritus, sed etiam ad ordines explicandi & cognoscendi doctrinam pertinet.

Ordo discendi Theologiam e sacra scriptura petitus.

PRimum generaliter obseruãdũ est, Theologiam esse doctrinam de Deo ad hominẽ, & de hoc vicissim ad Deum relato.Huius initii nos admonet Decalogi exordium: *Ego Dominus Deus tuus &c.* Item Symboli *Credo in Deum* Item orationis Dominicæ: *Pater noster.*

Secundo mutuam illam relationem duabus doctrinæ partibus declaratam distincte cognoscendam esse,in legis nimirum & Euãgelii

gelii ſententia explicanda. Ad hæc enim capita tota doctrina Chriſtiana reuocatur *Gen.* 2. & 3. Lex enim hominem Deo obedientia obligans & inobedienti comminans traditur, lapſus homo arguitur, & contra mortem voce Euangelii erigitur. Iohannes Baptiſta legem, quæ per Moyſen data ſit, & gratiam, quæ per Chriſtum exſtiterit, prædicat *Joh.* 1. Chriſto auſpicanti miniſterium docendi Mar. 1. tribuitur, quod dixerit, ***Reſipiſcite & credite Euangelio.*** Act. 2. poſtquam Spiritus ſanctus in Apoſtolos effuſus eſt, & concio a Petro habita, colligitur eius ſumma verſ. 38. in hanc ſententiã: ***Reſipiſcite & baptizetur vnusquiſque veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.***

III. Cum in illis partibus magna ſit doctrinæ copia, diſtribuenda hæc erit in plures locos, vt ſinguli rectius intelligantur. Hic autem ordinem obſeruamus, quem Moyſes ſecutus eſt, a Dei enim patefactione orditur Geneſin, vnumque Deum cum myſterio Trinitatis perſonarum proponit. Huius primum opus externum eſt creatio, & in hac imprimis homo, ad quem Deus relatiue ſe habens potiſſimum cognoſcendus eſt. Qui cum ad imaginem Dei conditus & creatori obligatus ſit, legem diuinam proxime poſtulat diſcendam. Et cum ab hac ſtatim defecerit homo, locus de peccato ſubiungitur, quem interueniẽte praxi legis, arguentis & damnantis peccatorem, Euãgeliũ ſubſequitur de incarnatione Chriſti

& redemtione hominum a Christo præstanda, cum contritione calcanei, hoc est, passione & morte, quæ tamen sit mors serpẽtis, quoad caput conterendi, & hæc doctrina iustificationis articulum continet. Iustificatur autem homo, vt denuo vẽdicatus Deo iterum seruiat ipsi, ad normam quidem voluntatis diuinæ in lege patefactæ, sed fide in Christum factis & æstimatis operibus, quemadmodum sic hæc doctrina in historia Abelis declaratur, ad quem primum respexit Deus misericordia sua, ipsum videlicet sibi asserens, postea vero ad opera ipsius. Fidem vero hominũ in Christum, & huius comitem nouam obedientiam confirmauit & excitauit Deus sacrificiorum institutione, quæ doctrinam de sacramentis præbent. Suntq; ista capita omnia ad pœnitẽtiæ exercitium composita, quo colliguntur in arcam seu Ecclesiam, & coarctati saluantur tantum homines Deo dilecti, abiectis pœnitere nesciis. Mundus vero hic refertus ærumnis, dum pios singulariter exercitatos quasi respuit, restantis verioris iudicii & alterius vitæ doctrinam suppeditat, quam Moyses post præmissos locos viui Enochi translatione, & perpetuo curriculo sanctorum miserorum, fidei tamen & spei certissimæ pleno, pertractat. Cuius postremi loci & fere fasciculi, in quem cæteri omnes colligati sunt, translationẽ Mosaicam Epistola ad Hebr. 11. disertissime explicat.

IIII. In-

IIII. In singulis quoque locis methodus tenenda est discentibus commoda. Sicut enim Paulus in doctore postulat, vt sit didactos, aptius ad docendum 1. *Tim.* 3. seu ἱκανὸς ἑτέρους διδάξαι, idoneus ad docendum alios, *ad Tit.* 2. Et hic auditorib. typus proponitur in sermone 1. ad Timoth. 4. Ita discentibus opus est obseruatione viæ, qua magister docendo incedit. Etsi vero Dialectica magistra methodi suis præceptis ordine non traditur in lib. Biblicis, commendatur tamen & vsurpatur innumeris modis a spiritu sancto. Vt autem multis præteritis paucis probemus aliquē Logices vsum in sacris, & de partibus quibusdam circa methodū spectantibus, testimonia proponamus: Ipsam Dialecticam nouimus appellatam a διαλέγεσθαι, quod est disserere, vel disputare, vel Logicam dictam a ratione disserendi. Vnde & λογίζεσθαι, quod collatis præmissis veluti subductis rationib. statuere aliquid significat. Sacræ autē literæ λογίζεσθαι & διαλογίζεσθαι similiter vsurpant, & quidem Mar. 2. de falsa ratiocinatione ponitur διαλογίζεσθαι dicente Christo τί ταῦτα διαλογίζεσθε ad scribas colligentes blasphemationē ex hoc sermone ipsius, vt filii hominis, *Remittuntur tibi peccata tua.* Quia videlicet solius veri Dei sit remittere peccata. Et Luc. 5. cœperunt scribæ & Pharisæi διαλογίζεσθαι *ratiocinari*, dicentes, *quis est qui loquitur blasphemias: quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* Vtrobiq; tamē Christus διαλογισμὸν, qua voce L. 5. vtit, opponit veriorē, ne ipsā rōcinationē,

ſed vitia reprehenſa, intelligamus. Et 1. cap. ad Rom. ver. 21. Paulus gẽtes ait vanas factas ἐν τοῖς διαλογισμοῖς, quod Deum cognoſcentes Deum non glorificarint. Cap. vero 2. verſ. 15. de teſtimonio conſcientiæ illorum, quos cap. 1. verſ. 20. ἀναπολογήτους *inexcuſabiles* appellarat, pronuntiat, quod ſeſe accuſent λογισμοῖς, vbi certe firmiſſimas concluſiones accipi neceſſe eſt. Officiũ huius artis eſt docere, vnde διδακτικὸς 1. Tim. 1. dictus eſt, vel ſi diſtinctius & ſpecialius agere volumus docere & refutare. Quas duas officii partes ad vnum docendi finem relatas Apoſtolus ad Titum 1. commemorat, inquiens: *Oportet Epiſcopum eſſe tenacem fidelis iſtius ſermonis, qui ad doctrinam facit, vt potens etiam ſit exhortari per doctrinam ſanam & contra dicentes conuincere.* 1. ad Timoth. 1. errantibus in doctrina Chriſtiana tribuitur, quod neſciãt, quid de quo aſſeuerent. Eſt ergo ſpiritus veritatis ſtudioſi, qui vult eſſe νομοδιδάσκαλος, vt ibi appellatur, vt vnum de altero norit διαβεβαιοῦσθαι ſeu affirmare, vel firmiter ſtabilire & confirmare. Item Theologus ſciat ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον ἀληθείας. poſt. ad Tim. 2. Cauſarũ quoque obſeruationem accuratã Paulus eximio Theologicę diligentiæ exemplo commendat ad Rom. 3. cum de iuſtificatione, articulo videlicet fidei, poſt eum, qui de Deo eſt, primario, inquit: *Omnes peccauerunt & carent gloria Dei, iuſtificantur autem gratis eius gratia per redemtionem factam in Ieſu Chriſto.* Quod vltimum

mum pugnantia ſubiicit cauſis. Et tandem cō-cludit Apoſtolus λογιζόμεθα id eſt, *ex certis cauſis præmiſſis & poſitis, remotisque contrariis firmiter concludimus*, fide iuſtificari hominem abſque operibus legis.

VII. REGVLA.

Sine linguarum cognitione Hebrææ imprimis & Græca ſtudium Theologiæ impeditum eſt.

EXPLICATIO.

CVm ordine opus ſit in Theologiæ ſtudio idque poſtulet, vt quid de quo affirmetur intelligatur, quique hoc ignorat, erret 1. *Tim.* 2. Affirmationis autem & negationis regula ſit verbum Dei, *Eſa.* 8. Nec ſpiritus ſancti mēs intelligatur ſine linguæ, qua vtitur, cognitione: Agnoſcunt auditores ordinis eſſe adiunctum noſſe vim vocum, vt 1. *Cor.* 14. Apoſtolus loquitur.

CONFIRMATIO.

Si ex priuatione habitus magis cognoſcitur quam alias, operę pretium eſt, hic ante omnia cōſiderare, quod linguarum varietas propter peccatum ſuperbis hominibus a Deo irato immiſſa ſit, *Gen.* 11. vt pœnam ſuſtinerent impietatis propriam, diſperſionem videlicet & ſegregationem, dum in Deo vno piorum ſit collectio & vnitas. Quandoquidem autem Chriſtus pax noſtra diuerſa fecit vnum, & interſtitium maceriei diruit, Epheſ. 2. ſingulari

miraculo variarum linguarum discretionem cõuertit in vsum collectionis Ecclesię, vna hora conferens discipulis dona diuersarum linguarum, *Act.* 2. Itaque etiam necessitatem huius cognitionis futuro Theologo commendauit, & quod pœnæ & priuationis fuerat gratiæ atq; dono spiritus sanctus asseruit. Paulus quoq; 1. *Cor.* 14. vbi tamen a linguarum ambitioso vsu dehortatur, Deo tãquã auctori, gratias agit, quod magis quam reliqui linguis loquatur, & harũ vsum Ecclesię ædificationi cõsecrat. Quod caput multas suppeditat præscriptis regulæ confirmationes, ex quibus vel hoc argumentũ nobis nunc sufficiat, ad excitandos discentes, vt in studio linguarũ plus operæ ponãt, *nisi*, inquit, Apostolus *sciero vim vocis, ero qui loquitur Barbarus, & qui loquitur apud me Barbarus fuerit.* Talis ergo est Theologus, qui beneficio Hebrææ & Grææ linguæ destituitur, præsertim si vt ille, ad auditores, ita & nos ad Biblia peregrinarum linguarum, quibus tamen vt discipuli operam dare debemus, respiciamus.

VIII. REGVLA.

Ad studium Theologiæ prodest adferre cognitionem, Ethices & Physices & quæ res diuinas tradendo sine fuco ornet, facultas quædam oratoria.

EXPLICATIO.

ETsi simplicior est linguarum cognitio absolut

absolute considerata, tamẽ relatiue sese habet in vsu, quo sese & rebus oratio attemperet, & peculiari necessitati accommodet, cumque ex notitia legis naturæ insitæ & studio sapientum aliquo modo exculte, nec non ex naturæ inspectione & consideratione, nonnunquam Theologia ad exemplum sacrę scripturæ explicationes promat, harumq; rerum cũ mere diuinis collatio, plurimum iuuet intellectũ, cognata recte discernat & diuina eximie illustret, necessaria est cognitio artium istarum, cum ad vocum atque phrasium vim dexterius excipiendam, tum ad finem, quem respicere debet linguarum peritia & vsus, ædificationem videlicet Ecclesiæ rectius præstandam, rerum quoque præstantia sæpe dignum est, si scite & ornate & prolixe tradantur, id quod auditorum ratio etiam aliquando peculiariter postulat.

CONFIRMATIO.

In decalogi explicatione virtutum & vitiorum appellationes ex Ethica Philosophia etiam sacræ scripturæ vsu peti possunt, sicut exempla in promtu sunt plurima, vt vox ἀρετῆς ad Philip. 4. vsurpatur.

Ibidem appellatur τὸ ἐπιεικὲς, quod in Ethicis, est *æquitas* de rigore iustitiæ remittens probabili ratione, hoc in genere accõmodat doctrinæ Christianæ, ex quo moderationis regula petit. Christianus n. ἐπιεικὴς Christũ sibi exemplũ proponit, nec ab hui⁹ obseruatione

diſcedit, itaque homini aliquid indulget, non ad licentiam peccandi, ſed ad vſum caritatis, quæ ſaluo iure Dei etiam hoſtibus præſtatur ad vtilitatem proximi Deo probatam. Paul. 1. *Cor.* 15. ad dictũ Epicuri, *Edamus & bibamus, cras enim morimur*, reſpondet Ethico verſu ex Thaide Menandri, *corrumpunt bonos praua colloquia mores*. Et proxima Dominica (*reminiſcere videlicet*) in diſputatione Chriſti cum Syrophœniſſa inſignis commendatio Ethices continetur, cum ipſe Dominus obiectione Ethica fidem mulieris exercet inquiens, οὐκ ἔστι καλὸν, *non eſt honeſtum*. Cui cum reuerentia Ethicam limitationem opponit mulier ſupplex cum ait: *ita eſt domine, atqui catelli edunt*, &c. Fides igitur Chriſtiana benignitatem Dei immerenti paratam, & poſt ſelectos filios etiã in gentem collatam, cum iuſtitia & honeſtate morali comparat, & huius etiam permiſſu conciliat, itaque ſeipſam inde conformat.

Vſum Ethices & Phyſices Theologicum oſtendit Pſal. 94. *Dixerunt peccatores glorian-tes, non videbit Dominus, nec intelligit Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo & ſtulti aliquando ſapite, an qui plantauit aurem, non audiet, an qui finxit oculum nonne videbit? an qui corripit gentes, anne non arguet?* Atqui multæ ſunt in natura imagines, quibus Deos ſe, & ſuam benignitatem depingit, quemadmodũ permultis parabolis Phyſicis vtitur ipſe. De eloquētię vſu in Theologia, exemplo ſit Apollo Act.

lo Act. 18. Et notetur, quod Paulus prioris ad Cor. 3. ait. *Plantatum a se, per illum fuisse rigatũ*, atque sic vtrumque ministrum fuisse, per quẽ crediderint Corinthii. Obseruandum est autem, quod Apollo a Luca, nõ tãtum eloquẽs, sed etiam potens in scriptura prædicatur, ne quid inani pompæ & spumæ verborum defeat, quod huic oratori in diserta rerum explicatione laudi datur. Et quidem in omnibus Philosophiæ partibus, ad Theologiam assumtis, opus est circumspecto vsu, ne ancilla dominetur heræ, sed obsequatur illi, eiusque præscripto sese accommodet, non opponat. Qua de re monemur ad Coll. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem deceptionem.* Et Tertullianus lib. de resurrectione carnis, sic monet: *Est quidem & de communib. Dei sensibus sæpe in Dei rebus, sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi, quod sit secundum diuinam, non contra diuinam dispositionem.*

VIV. REGVLA.

Crux & afflictio, insigne est ὁρμητήριον *profectus Theologici.*

EXPLICATIO.

EX cõmemoratis laborum Theologicorum partibus, & his in vnum cumulum collatis, ingens copia discendorum apparet, & videtur discipulo necessarium esse tale otium, quod ab omnibus impedimentis etiam cura & sollicitudine, ne dum grauiori afflictione,

vacuum hominem studio isti alacrem & expeditum exhibeat, nec erret, iudiciũ de iis, quib. temere, nulloq; pietatis fine, occupatus scholasticus, & tempus perdit, & ingenii vires frigit. Verum cum non solum hominis circumspectio ad cuitanda mala nunquam & in nullo sufficiat, sed etiam consilio Dei ad erudiendum crux paretur & immittatur piis, ideo ad leuandum tædium carnis, & ad colendum studium spiritus facit, de cruce magistra Theologiæ admoneri inter regulas cursum discentis sacra|gubernantes maxime hoc seculo, quo variæ afflictiones fideles Ecclesiæ doctores obruunt, quibus multi, antequam hanc regulam cognouerint, absterrentur ab hoc miseriis exposito studio.

CONFIRMATIO.

Sicut in omni genere disciplinarum, discẽdi opus est humilitate, cum arrogantia (φιλαυτία) impedimẽtũ sit profectus, ita in studio Theologico humilitas requiritur, eaque eximia pro Theologiæ dignitate & singularitate. Hanc vero virtutem Deus non solum commonefactionibus suadet & operatur, sed etiam afflictionibus, vt auditor Deo attentius auscultet, & auidius hauriat doctrinam. Vnde Dauid in Psalm.119. inquit: *Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas.* Esai. 56. *Domine in angustia requisiuerunt te.* Esa.28. *Vexatio dat intellectum.* Ose.6. In

In tribulatione sua mane consurgent ad me, venite & reuertamur ad Dominum. Ad Rom. 5. Apostolus docet, quomodo in tribulatione homo proficiat, *Afflictio*, inquit, *patientiam efficit, patientia vero experientiam, experientia spem, spes autem non confundit.* Ecclesiasti. 34. *Qui non est tentatus qualis sit?* Cū autem præcipuæ remoræ studii huius adolescētibus, qui animum semel ad id appulerunt, hæ obiiciantur, paupertatis pressura a sinistris, & voluptatum illecebræ, atque passiones a dextris, de illa obseruetur hoc præclarum dictum, Deuter. 8. *Afflixit te, & esurire te fecit, postea te pauit Manna, hoc est, cœlesti rore, quod non noueras, neque nouerant patres tui, vt scire te faceret, quod non in solo pane viuat homo.* Vere enim Manna, hoc est, cœlesti rore reficiuntur & sustētantur, qui sacram scripturam diligenter versant. Quemadmodum Deut. 32. Moyses hac Metaph. vtitur de verbo Dei: *Stillet*, inquit, *vt pluuia doctrina mea, stillet vt ros eloquium meum, vt pluuia super gramen, & imber super herbam.* De voluptatibus, quas adolescentes cum dolore fugiunt, Oseas docet cap. 4. *Fornicatio, vinū & ebrietas auferunt cor.* Esaiæ 28. vino & ebrietati imputatur culpa ignorātiæ & erroris in Theologo. Et ad Roman. 13. omnibus qui illucescente die Euangelii, cum fructu proficere cupiunt, interdicitur *comessationibus, ebrietate, cubilibus & proteruiis,*

præcipitur autem ſobrietas. 1. Theſ.5.9. *Diei ſumus ſobrii ſimus*. 1. Tim. 3. in appetente functionem Eccleſiaſticam requiritur, vt ſit ſobrius, non vero vinoſus. Item ad Titum 1. mādatur, vt videlicet ſtudioſus Theologiæ ſit immunis a κατηγορίᾳ ἀσωτίας, a crimine luxus, non ſit πάροινος, vinoſus, ſed σώφρων, temperās, & ἀκρατής, continens.

X. REGVLA.

Vniuerſum ſtudium Theologiæ finaliter reſpiciat gloriam Dei & ædificationem tum ſtudioſi, tum Eccleſiæ.

EXPLICATIO.

MVltum prodeſt ad excitandum aliquod ſtudium conſideratio finis, quem cum nonnulli Theologi αἰσχροκερδίᾳ, vt Paulus 1. *Tim.* 3. *Titum* 1. Et Petrus 1. *cap.* 1. & 5. loquuntur, alii in dominatione & ſupereminentia 1. Petr.5. alii in aliis rebus, quæ carnalibus affectibus blandiuntur ponant: Monendi ſunt adoleſcentes, vt ſolius Dei gloriæ, propriæ ſaluti & ædificationi Eccleſiæ labores ſuos conſecrent, expendentes, quod Deo nil maius, nihilque vicinius ſit, quam Eccleſia, vt hac æſtimatione faſtidium pellant, quod bonis etiam ſæpe obrepit, & alacritatem diſcendi cieant, ſedulitatem foueant, & ad hunc ſcopū ſemper intenti inoffenſo pede curſum Theologicum fideliter conficiant.

CON-

CONFIRMATIO.

Pſalmo 68. *In Eccleſiis benedicite Domino Deo de fonte Iſraelis.* Hic Domini glorificatio proponitur ſpectanda haurienti ex fontibus Iſraelis, & diſcenti verbum Dei (*nam lex fons vitæ ſapientiæ dicitur*, Prouerb.13. *& fons ſapientiæ verbum Dei*, Eccleſiaſti.1. Item, *Apud te fons vitæ eſt*. Pſalm.36. & Petr. ad Chriſtum ait, *verba vitæ æternæ habes Iohan.* 6. Et quidem in Eccleſiis, qui alter finis eſt, tendens ad congregandum Deo cœtum concelebrãtem nomen ipſius, 1. Cor. 10. *Omnia ad gloriam Dei facite.* Coll.3. *Quicquid egeritis, ſermone aut facto in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes &c.* Ioh. 15. Chriſtus ad diſcipulos, inquit, *In hoc glorificatus eſt pater meus, vt fructũ multum feratis, & fructus veſter maneat.* 1. Cor.15. *Itaque fratres mei dilecti firmi eſtote & immoti* &c. Pſal. 58. *Eſt vtique fructus iuſto.* 1. Corin.14. Non improbatur, ſi quis ædificet ſe: iubetur tamen addi, vt Eccleſia quoque ædificetur. 1. Theſ.5. *Adhortamini alii alios, & ædificate ſinguli ſingulos.* 1. Cor.12. *Vnicuique datur declaratio ſpiritus ad vtilitatem.* 1. Cor.14. *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite, vt excellatis.* Item, *Omnia ad ædificationem fiant.* Et 1. Cor.8. *Scientia in abuſu ponitur, niſi commodo ſtudeat proximi: ſcientia*, inquit Apoſtolus, *inflat, caritas autem ædificat.*

I. LOCVS, DE VERBO DEI.

MVlta hactenus dicta ſunt, quæ ad explica-

tionem huius loci faciunt, quamobrem pau-
cis Thesibus nunc quod restat expediemus.

I. THESIS.

Verbũ Dei appellamus in Ecclesia Dei, quod os Domini locutum est, siue mediate, siue immediate.

EXPLICATIO.

ETsi Deo non sunt membra humana, quẽadmodũ ἀνθρωπομορφῖται finxerũt, & ne-
quidem a sermone dicto ante incarnationem ista fuerunt, ita tamen Deus locutus est primis parentibus, Patriarchis & aliis, vt sermo eius auditus sit, vnde ipsi non ad necessitatem propriam, sed ad nostrum captum os tribuitur. Cum vero ipse Iehoua nullo mediante nuntio locutus est ore suo, immediate verbi protulisse dicitur, cum per alios suam voluntatem nuntiauit, & tum ore suo locutus est, sed mediate, vt tamen omnia verba ori Dei attribuantur, ne scilicet alterius, quam reuera verbum Dei sit, quod dicitur.

CONFIRMATIO.

Prouerb. 2. *Deus ex ore suo sapientiam, scientiam & intelligentiam largitur.* De Moyse Dominus inquit, Num. 12. *Ore ad os loquor eius* hoc est, ita ei loquor, vt etiam os eius instruã, vt nihil plus proferat, quam ego ipsi sum locutus, ad quem audita Aaroni relaturum,
quod

quod appellat ponere verba in os alterius, dixerat, *Ero in ore tuo* Exod. 4. *Verbum, quod egredietur de ore Dei.* Deut. 8. Esa. 55. *Verbum Domini in ore Eliæ*, 3. Reg. 17. Ieremias Propheta locutus est ex ore Domini 2. Para. 36. Misit Deus manum suam, & tetigit os. Ieremiæ dicẽs, *Ecce tibi verba mea in ore tuo* Ier. 1. de prophetia Esaiæ cap. 1. dicitur: *Os Domini locutũ est*, Et cap. 51. *Ipse Iehoua Propheta ait, posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlum & fundes terrã.* Ezech. 3. dicitur. *Audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* Et rursus, *Cum locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus* Luc. 1 Zach. repletus S. sancto & Prophetans, inquit: *Dominus Deus Israelis locutus est per os sanctorum suorum*, &c. Actorum. 3. *Deus locutus per os omnium Prophetarum suorum.* 2. Pet. 1. *Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia, sed acti a spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Zach. 1. *verba, quæ misit Deus exercituum in spiritu, per manum Prophetarum suorum.*

De verbo noui testamenti Moyses Deut. 18. vaticinatur, dicente Domino, *prophetã suscitabo eis de medio fratrum eorum*, Esaiæ 40. dicitur, *In nouo testamento visuram omnem carnẽ, quod os domini locutum sit.* 1. ad Thes. 2. *Gratias agimus domino indesinenter, quod acceptum de Deo sermonem, quem audiuistis ex nobis, excepistis, non vt sermonem hominum*

sed sicut vere est, Dei sermonē. Apostoli autē n[illegible] sunt cauponati verbum Dei, sed ex synceritate, sed vt ex Deo in conspectu Dei per Christ[illegible] locuti sunt, 2. *Cor.* 2. Huc referatur prima regula studii Theologici, timore Domini ve[r]bum Dei purum seruandum monens.

II. Thesis.

Verbum Dei extra Prophetica & Apostolica scripta non est quærendum.

Explicatio.

VEtus testamentum diuiditur quidem i[n] legem & Prophetas Matt. 7. *Ita & lex & Prophetæ* Matth. 11. *Omnes Prophetæ & lex vsq[ue] ad Iohannem.* Luc. 17. *Habent Moysem & Prophetas audiant illos.* Luc. 24. Christus exorsus a Moyse & omnibus prophetis scripturas interpretabatur illis. Prophetarum tamen nomin[e] omnia istius testamenti canonica scripta appellari possunt. Sicut enim liber Iosuæ, qu[i] cum fine Deuteronomii a Iosua scriptus putatur, & vt liber Iudicum, cuius scriptionē Iudæi Samueli tribuunt, inter Prophetas priores numeratur: Ita libris Moysis idem titulus recte competit, cum Moyses Prophetam se appellet, præeunte verbis Domino *Deu.* 18. *& cap.* 34. Quod a Iosua conscriptum diximus legitur, *& non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus a facie ad faciem.* Cum ergo scripta Prophetica appellat Ecclesia, intelligit omnia scripta Canonica veteris

teris testamenti, sicut Apostolica nominat quatuor Euangelia, Acta Apostolica, & epistolas Canonicas. In his scriptis duntaxat verbum Dei quæri & inueniri potest.

CONFIRMATIO.

Thesis hæc ex prima confirmatione stabilitur, cum nobis non liceat immediate interrogare & consulere os Domini, sicuti tempore Patriarcharum, Moysis, & Prophetarum atque Apostolorum factum est. Deus autem verbum suum, positum in ore Prophetarum & Apostolorum, per scripta ad nos miranda conseruatione transmisit. Alligari autem nos ad Prophetarum & Apostolorum scripta; his probatur testimoniis. Esa. 8. Ad legem & testimonium: *Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Luc. 16. Christus exspectantes miraculosas reuelationes remittit ad Prophetica scripta: *Habent*, inquit, *Moysen*, &c. Ioh. 5. *Scrutamini scripturas, nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testificantur de me.* Item, *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit.* De Christo Deus per Moysen, inquit, Deuter. 18. *Hunc audite, ipsum audies*, Item. *Qui verba eius, quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exsistam.* Et pater de cœlis clamat: *Hic est Filius meus dilectus in quo acquiesco: hunc audite* Matth. 17. De Apostolis Christus ait Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.*

Et Paulus ad Ephes.4. *sibi auscultantes ait Christum audire & ab eo doceri.* ad Eph.2. *Exstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius imus angularis lapis est Iesus Christus.*

III. Thesis.

Verbum Dei hominibus traditum docet de essentia & voluntate Dei, quæ considerantur relatiue ad homines, & vicissim.

Explicatio.

HÆc Thesis cum præmissis duabus conficit veram definitionem verbi Dei. *Genus* est, quod sit doctrina, de qua modo dictũ est, quod ex ore Dei accepta, & in certa scripta relata sit, quæ ad causam efficientem & materiam spectant. *Forma* autem est ostensio Dei relatiua, quis nimirum, & qualis sit hominibus, & rursus, quales hos esse velit. Expressior autem redditur forma, si voluntas Dei legalis & Euangelica cognoscatur. De relatione Dei ad homines mutua, deque legali & Euangelica voluntate sub regula sexta, quæ ordinem studii Theologici commendauit, quasdã probationes attulimus, illis hęc dicta adiungãtur.

Confirmatio.

Oseæ 12. ait Dominus: *Ego per ministerium Prophetarum me patefacio.* Esa.48. *Sic dixit Iehoua redemptor tuus sanctus Israel, ego Iehoua Deus tuus, docens te vtilia.* 1. Cor.2. *Ea quæ sunt*

Dei

Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei, de quo prius dixerat, nobis autem Deus reuelabit per spiritū sanctum. Esa. 45. *Nonne dixi semini Iacob frustra quærit me? ego Dominus loquens iustitiam, annuntians vera.* Ier. 9. *In hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dominus faciens misericordiam, iudicium & iustitiam in terra.* Psalm. 143. *Doce me per verbum voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

IIII. Thesis.

Verbum Dei in se perspicuum, vt aliena luce non indigeat.

Explicatio.

ETsi Thesis hæc diserte in sacris literis ponitur, tamen experientia communis videtur instantias obiicere grauissimas, quibus obscuritas verbi Dei conuincatur. Vnde ad lucē extra hoc verbum quærendam prona est curiositas propria hominū. Accidit autem hoc inde, quod Thesis in sua intentione nō relinquatur, & quæ obscuritas apparet, ex veris causis, intraq; suos terminos non censeatur. Quāobrem, vt & Thesis recte intelligatur, & confirmatio certe constet explicatione, occasiones diuersæ sententiæ dispellemus, & obstacula pleni assensus remouebimus. Mens propositionis hæc est: *Verbum Dei traditum in scriptis Propheticis & Apostolicu splēdere lumine proprio, nec quatenus integrum conferatur, opus habere humana illustratione ab extra illata.*

Hoc cōstante quædā obscuritas manet, nō

verbi Dei, ſed extraneo vitio. Primum enim verbum Dei intelligimus id, quod prodat ſapientiam Dei, non quidem omnem, quam Deus generi humano patefacturus eſt, ſed quā Eccleſiæ in hac valle ærumnarum, & infirmitate naturæ noſtræ, communicare conſtituit. Quatenus ergo ſermo Dei terrenæ ſcholæ, in qua Chriſtiani informandi ſunt, accōmodatus eſt, eatenus perpicuus eſt, quatenus autem multa reſeruat, iñ cœleſti quidem Academia demum diſcenda, eatenus obſcuritatem relinquit iis, qui limites reuelationis diuinæ transſcendentes, etiam quod tacuit Dominus, curioſius & temere inquirunt. *Exempli gratia.* Perſpicue proponitur in ſacris literis doctrina de vita æterna fidelibus parata, in qua Dominus Iehoua abſterget lachrymas ab omni facie, & dicet populus in die illa, *Ecce dominus noſter, exſpectauimus eum, & ſaluauit nos iſte Iehoua, exſpectauimus eum, exſultabimus & lætabimur in ſalute eius.* Eſ. 25. Deus enim futurus eſt omnia in omnibus 1. *Cor.* 15. Et conſpicietur a facie ad faciem. 1. *Corinth.* 13. Eritque ſatietas lætitiarum cum vultu eius, & iucunditates in dextera ipſius in ſeculum, *Pſalm.* 17. Guſtus etiam illius vitæ exhibetur fidelibus in hac militia, quem Paulus ad Rom. 5. deſcribit. *Iuſtificati igitur fide, pacem habemus erga Deū per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et tamen ad 1. Cor. 13. profitetur Apoſt. multa eius cognitionis nos ad huc latere, cum ex parte

tantum

tantũ cognoſcamus & ex parte prophetemus expectationes, quid futurum ſit. Item, quod cernamus nunc per ſpeculum & per ænigma, tũc autem corã, nunc ex parte cognoſcamus, tunc vero prout edocti fuerimus. Id quod etiã ex 64. cap. Eſaiæ Paulus 1. Cor. 2. teſtatur. Prædicari nimirum, quod oculus non viderit, nec auris audierit nec in mentem hominis venerit, quæ parauit Deus iſtis, qui eum diligunt, hæc, inquit, prædicari tamen, quia aliud eſt, quod clare annuntiandum eſt, aliud quod occultandum. Et abſque hoc illud tamen ſcitur & creditur, ſicut 1. Ioh. 3. legimus: *Chariſſimi nunc filii Dei ſumus ſed nõdum patefactum eſt, quid erimus: ſcimus autem fore, vt cum ipſe patefactus fuerit, ſimiles ei ſimus, quoniam videbimus eum ſicut ipſe eſt.* Et ſic de cæteris, quæ in myſterio latent, & tamen per ſcripturam ſacrã docentur, ſtatuẽdum eſt. Magnum eſt myſterium copulatio & Eccleſia, nõ ſolum ſpiritu, ſed etiam corpore, *ad Eph.* 5. nec pauca continet, quæ ſunt inexplicabilia huic ſcholæ, & tamen manifeſtum eſt atque clarum, quod nõ ſolum cogitatione ſidei, conſenſu & caritate, vel etiam ſpiritu eius mediante ipſi Chriſto iungamur, ſed etiam corporibus noſtris corpori ipſius iungamur cum ἁφῇ quadam, contactu & commiſſura, *quemadmodum ad Eph.* 4. *dicitur*. Etſi quomodo a Phyſicis res illa formaliter diſcernenda ſit, nullo ſtudio huius vitæ aſſequi poſſimus. Hic ergo maneat lector

ſacræ ſcripturæ in patefactis, & licet modum aliaque ad formalem cognitionem requiſita nō perſpiciat, claritatē tamen certæ lucis De conſilio cum gradu quodam inferiori cōmunicatæ gratus agnoſcat & prædicet, & ſciat, obſcuritatem, quam arguat, non eſſe præſentis, ſed alterius, futuri nimirum ſtatus, & quidem eius in quem ſe præter oleas, quod dicitur, ingerat. Itaque concluſiuncula, a diuerſis argumentari ad idem. Deinde verum quidem eſt, multa in ſacra ſcriptura obſcura occurrere, at eadem collatione dictorū earundem tabularum illuſtrari tantum, & nequaquam lumine alieno, quod extra diuini verbi radios micare putatur, indigere, certū eſt. Obſcurū eſt, quid ſit, quod legitur Chriſtus *aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia.* Eph. 4. Attendatur autem, quod textus, quod ad eccleſiaſticam illi impletionem interpretetur de donorū in miniſterio verbi conceſſione, de effectu eorū ad coagmentationem ſanctorum miniſterii, ad ædificationē corporis Chriſti: Itaq; de pſentia quadam ſingulari, qua Chriſtus & ſpiritus atq; corporis coalitione & inhabitatione, & poteſtatis gratioſa efficacia, fidelibus omnibus, & ſingulis adſit realiter & vere. Quod ſi alia hic conferantur loca, de carnis & ſanguinis ſpirituali communicatione, quoad modū, corporali vero quoad res coagmentandas, & ineffabili ac ſimplici fide teneatur, iucunda illuſtratio percipietur. Sic, ſi quis quærat num de car-

nis-

nis Christi præsentia accipiēdum sit, q̃ dicitur Matth.18. *Vbi duo aut tres congregati sunt in nomine meo*,&c.Et Matth. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus*: loca sane illa sola obscuritatē habent, cū cōcretis vtrobiq; vtatur Christus, & quæstio sit de humanitatis Christi in Ecclesia præsentia.Errant tamen, qui lumē aliunde emendicantes,rationib.suis explicationē promittunt.Sumatur potius declaratio Christi ex 6.cap.Ioh.*qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum,in me manet, & ego in ipso*. Huic profecto magna & certa lux affulget loco alias obscuro, vt verbum Dei sibi satis sit lucidum hoc beneficio collationis. Sic de Phrasi, *Omnia in omnibus implere*,adEph.1.vbi simul de vniuersali impletione dicitur, non metiatur nostra ratio hoc vel illud lucis, sed sufficiat, q̃ scriptura illā vniuersalitatē perpetua dominatione,virtute, operatione & gubernatione ac certitudine describat, & nullibi humanam Christi naturā omnibus creaturis substantiali præsentiæ agglutinet,quēadmodū in Ecclesia ipsius corporis Christi cum corporib. fideliū vnio quædā docetur, vt corpora illorum sint mēbra Christi,1.Cor.6. *Vnū sit corpus & vnus spiritus* Eph.4. *& oēs illi vnū sint in Christo*.Gal. 4.Est & hęc cā obscuritatis verbi Dei in hominib. q̃ cœca ratio humana de ipso iudicatura, sua ꝓsupponitq̃, tanq̃ indubitata principia,ad q̃ sapientiā diuinā ꝓbandā, vel improbādā,opinatur cū poti⁹ q̃dquid hoc sit tenebrarū,id tm̄ sit in mente vani iudicis, rē nō ex se æstimātis,

ſed ex præconcepta peregrina opinione, quid pro quo, vt dici ſolet, cenſentis. Hinc Paulus ſynceritatem Dei opponit ſapientiæ carnali 2. *Corinth.* 1. Et ad Eph. 4. ait *Gentes in vanitate verſantes mẽtis ſuæ cogitationem habuere obſcuratam, abalienatam a vita propter ignorãtiam, quæ eſt in ipſis ex obſcuratione cordis.* Perſpicuitatis autem, quam verbo Dei tribuimus probatio, deferenda eſt menti captiuatæ in obſequium Chriſti, 2. *Cor.* 10. Quæ eſt obedientia fidei *Rom.* 1. cum videlicet aliquis exemplo Abrahæ, aduerſus verbum Dei non diſceptat infidelitate, ſed robuſtus fit fide, tributa Deo gloria, ac plane perſuaſum habeat, Deum, q promiſerit, etiam poſſe præſtare. Fides autem noſtra non conſiſtit in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei 1 *Cor.* 2. Huc igitur pertinet cura tertiæ regulæ de ſtudio Theologico traditæ, iubentis meditationem ſacræ ſcripturæ auſpicari a pia precatione, vt Deus in nobis attentionem cieat, ſicut Lydiæ Dominus aperuit cor, vt attenderet ad ea, quæ dicebantur a Paulo *Act.* 16. & aperiat mentes noſtras, quo intelligamus ſcripturas, *vt Luc.* 24. *factum legimus, cum diſcipulis Chriſti.* Et Paulus ſuorum Epheſinorum mentionem facit in precibus ſuis, vt Deus Dominus noſter Ieſus Chriſtus det ipſis ſpiritum ſapiẽtiæ & reuelationis, per agnitionem ipſius, illuminatis oculis mentis ipſorum, *ad Epheſ.* 1. Deus quoque ſucceſſiue auget ſui agnitionem. Transformantur autem

a glori

a gloria in gloriam, tanquam a Domino in spiritu 2. *Cor.* 3. vt instandũ sit precibus & studio, sicut ad Coll. 1. Apostolus inquit: *se non desinere orare pro ipsis, vt impleantur omni agnitione voluntatis Dei, & incedant crescentes in agnitione Dei.*

Et Paulus iubet Timotheum, attendere lectioni, ne negligat donum, quod in se habeat, 1. *Tim.* 4. 2. Tim. 1. scribit: *Suggero tibi, vt suscites donum Dei, quod in te est per impositionem manuũ mearum.* Et Dei more dicitur ad Phi. 1. *Qui cœpit bonum opus, perficiet.* His ergo obseruatis, quæ regula de obscuritate verbi Dei iactata inanis redditur, & lux ex ipso verbo Dei effulget, ne alibi quæratur, vbi non lux, sed tenebræ exsistant.

CONFIRMATIO.

Psalm. 19. *Præceptum Dei lucidum illuminãs oculos* Psal. 119. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* 1. Pet. 1. *Habemus firmissimum sermonem Propheticum cui recte facitis, quod attendatis, veluti lucernæ splendenti in obscuro loco, vsque dum dies illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus vestris.* 2. Cor. 4. *Non falsamus sermonem Dei, sed* φανερώσει τῆς ἀληθείας, *id est, declaratione veritatis, commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei*, Et paulo post, *quoniam Deus qui dixit, vt e tenebris lux splendesceret, splenduit in cordibus nostris, ad lumen cognitionis in facie Iesu Christi.*

V. Thesis.

Verbum Dei in scriptis Prophetarũ & Apostolorum traditum, omnia continet, quæ ad salutem nostram in hac vita scitu sunt necessaria.

Explicatio.

Assensum huic Thesi debitum intercipit veritas, sed alterius circumstantię, ideoq; male ad inhibendum consensum vsurpata. Omnino n. multa desunt patefactioni sacrarum literarũ, quæ sanctis reuelabũtur in die postremæ & plenarię glorificationis, multaq; scripta non sunt cõmissa, quæ videlicet Deus immediate, vel Prophetæ, & Apostoli, & Christus in terris hisce conuersans, ad ædificationẽ Ecclesiæ docuerũt & fecerunt. Quantũ n. volumen requirerẽt tot tantorũ atq; tã sedulorũ doctorũ virorũ dicta atq; facta, si cõscribi omnia debuissent. Hoc ergo verũ quidem est, sed nũ hic defectus detrahat doctrinæ ad salutẽ nostrã in hac vita necessariæ, de eo quæstio est. Et saluo illo statuitur, ꝙ nullũ necessarium desit sacræ scripturæ. Sicut n. Christus cõpendio recitat summã totius legis in duob. tantum versibus *Mat.* 22. & subiicit, *Ab istis duob. mandatis tota lex & Prophetæ pendent*, & nemo audet dicere Christũ omittere q̃dã, quæ sunt necessaria ad legis ἀνακεφαλαίωσιν. Et sicut doctrinã Euãgelii Petrus ex omnib. Euangelistis, hac breuissima sentẽtia proponit Act. 10. *Huic omnes Prophetæ testimoniũ perhibent, &c.* Sic multo magis vberior istorũ capitum explicatio, plena esse pro-

fectu

fectui ad salutē sufficere potest, quæ tot prolixis libris Biblicis, miranda Dei conseruatione in Ecclesia custoditis, continetur. Accedit, quod de omissis nullis possit esse certa narratio, & scripta sacra, quorum summa auctoritas supra demonstrata est, ingenue concedant omissionem, & tamen sufficientiam promittant.

CONFIRMATIO.

Psal. 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati, qui obseruant testimonia eius, & toto corde inquirunt eum.* Christus Lucæ. 16. tantam tribuit sufficientiam scriptis Moysis & Prophetarum, vt detrectet reuelationes per mortuos. Io. 5. *Scripturas scrutamini quia vos videmini vobis in iis habere vitā æternam.* Et Apostoli omnia sua ex Prophetis probarunt, ne suarum Epistolarum ac concionū accessione defectum verbi scripti prius arguerent. Acto. 26. Paulus negat, se coram paruis aut magnis quicquā dixisse extra ea, quæ Prophetę & Moyses futura prædixerint. Act. 20. de suis concionib. hoc testatur, se annuntiasse omne consilium Dei. Certum est igitur, vel in Propheticis scriptis plenariam contineri doctrinam consilii Dei, ad salutem sufficientis, nedum in vtroque volumine cōiunctim. Ioannes quoque Euangelista & Apostolus diserte concedit multorū omissionem, & tamē vrget certum salutis finem. Sic enim inquit, cap. 20. Euangelii sui: *Multa autem alia signa edidit Iesus in discipulorum suorū conspectu, quæ*

non scripta sunt in hoc libro. Hæc autem scri-
sunt, vt credatis, Iesum esse Christum filium D-
1. Ad Tim. 3. Apostolus suo discipulo præci-
q a pueris sacras literas nouerit, & addit, *q-*
hæ possint illum eruditum reddere ad salutem
subiicit, *omnis scriptura diuinitus inspirata v-*
lis est.

VI. Thesis.

Verbum Dei ad cunctorum dogmatum Chri-
stianæ fidei defensionem, & ad hæresiũ omni-
destructionem sufficit.

Explicatio.

Pondera huius propositionis in eo con-
stunt, quod nec integrum aliquod dogm-
nec pars eius realis aliunde constitui aut d-
fendi possit, quam ex verbo Dei, quod sol-
res doctrinæ Christianæ promittit, absque
lius humano aut angelico additamẽto, quo-
que hæresium pestis sit præstantissima verb-
Dei, quacunque etiam negatiua auctorita-
agens, hoc est, siue fingenti noua dogmata r-
spondeatur, id nullibi exstare in sacris liter-
siue ostendatur contradictoria manifesta. D-
stinguendum tamen est, inter res & verba,
sermonem. Vt enim non licet res extra D-
verbum natas importare in doctrinam Chr-
stianam, & tamen verbis & phrasibus in sac-
scriptura non exstantibus, modo res tradi-
ibi teneantur, vti concessum est.

Ita nulla probanda est necessitas in propugnatione doctrinæ cœlestis, res aliunde petēdi, quam ex verbo Dei in scriptis Propheticis & Apostolicis tradito: illa vero arripiendi occasio, quæ verbis & phrasibus, in sacra scriptura non vsurpatis, lubricitatem Hæreticorum astringit, & veritatem ad ambiguitates redactam in sensu orthodoxo detineat. Qui enim donum variarum linguarum, ministerio Euāgelii, singulari miraculo concessit, *Act.* 2. ad Hebræa & Græca, quibus originalia canonicorum scripta concepta sunt, ita non alligauit Ecclesiam, vt nō sine illis idiomatis loquatur, sed suis ministris potestatem facit prorsus etiam alia lingua vtendi, si modo doceāt omnia, quæ præcepit, *Matt.* 18. Nec pręcipit Paulus superstitionem tantum verbis, quæ ipse conceperit, adhærescendi, cum inquit ad Timoth. *Exemplar teneas sanorum sermonum, quos ex me audiuisti* 2. *Tim.* 1. Ipse enim 1. *Tim.* 6. sanos sermones Domini nostri Iesu Christi cōmendat discipulo suo, quos tamē alio quam Christus sermone proposuerat, & desertionem illorū sermonum vocat ἑτεροδιδασκαλίαν, & hāc rursus opponit τῇ κατὰ εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, vt ita sani sermones ex sana doctrina sint definiendi, non vero ex superstitiosa verborum & syllabarum numeratione. Id quod permultæ Apostolorum allegationes ex veteri testamento probant, de quibus Hieronymus in 5. caput Amos scribit, *Apostolos & Apostolicos viros in*

ponendis testimoniis debere in veteri testa nō verba considerare, sed sensum, nec cadē c re sermonum vestigia, dummodo a sententiis recedant. Paulus ad Tit. 1. Episcopum vult tenacem fidelis sermonis, quoad doctrin & Tim. iubet esse typum τῶν πιςῶν ἐν λόγῳ ι. ς. Et Tito mandat, vt loquatur, quæ dece doctrinam sanam, & prębere λόγον ὑγιῆ ἀκα γνωςον immensum sermonem sanum, qui prehendi nequeat. *Tit.* 2.

Id itaque, quod sibi in hac parte sum suis quoque sectatoribus permisit, tantum hil rei addatur doctrinæ cœlesti, & necess nouis vocabulis & phrasibus Hæreticos co stringendi probata erit, sicuti multos Hære cos nō potuit Ecclesia tenere verbis scriptu qui tamen sacrarum literarum apertissim doctrinam impugnarunt. Πραξέας dixit, vn esse personam diuinitatis, & illam alio atq alio respectu nominari, nunc patrem, nu Filium, nunc Spiritum sanctum. Sabelli docuit, in vna substantia diuinitatis esse tr nomenclaturas. His ergo verbis scriptu locuti sunt, esse videlicet vnum tantum De um, qui tamen sit pater, Filius, & Spiritu sanctus. Intellexerunt autem tria nomin quemadmodum vna persona est τριώνυμος, ha bens prænomen, nomen, & cognomen. A rius essentiæ vnitatem in tribus personis di uulsit, & vnum tantum Deum dixit, patre

cum

cum Filio & Spiritu ſancto ſcilicet conſenſu. Hic opus fuit nouis vocabulis. Hæreticos ſub verbi Dei allegatione aſtute latentes, & virus occultantes protrahentibus, qualia ſunt ὀυσία, ὑπόστασις, ὑφιστάμενον eſſentia & perſona. Eſt ergo aliquando laudata neceſſitas quædam, cum Eccleſia alio ſermone, quam ſcripturæ vti, ſed nunquam eſt neceſſitas probata pro defenſione doctrinæ Chriſtianæ, alias res in Eccleſia quærendi, quam quas ſacra ſcriptura ſuppeditet. Id quod Theſis ſpectat.

Eſt tamen adhuc quædam neceſſitas diſputandi extra ſacræ ſcripturæ probationem, cum videlicet ſtatus eſt, num ſcripta Prophetica & Apoſtolica ſint veri Dei certiſſimum verbum. De qua diſputatione Tertullianus recte loquitur, cum in libro de præſcriptione aduerſus Hæreticos, inquit, ***Ergo non ad ſcripturas prouocandum, nec in his conſtituendum certamen, id quod pontificii*** eo tradunt, quod oborta diſceptatione de dogmate, ex articulo aliquo fidei Chriſtianæ, non ſit ad ſcripturas prouocandum, ſed ad traditiones. Id quod ſubiecta confirmatio oſtendet eſſe falſiſſimum.

CONFIRMATIO.

Non ſunt vllæ acriores diſputationes, quæque plus acuminis & iudicii requirunt,

quam quæ tentationibus propriis ſuſtine[...]
His vero decidendis ſolum verbum Dei ſ[...]
ficit, ſine quo ſi eſſemus, ſuccumbendum ſ[...]
ret ſicut Dauid. 119. Pſal. inquit: *Niſi lex tua [...]ditatio mea, tunc periiſſem in afflictione mea.* Hiſtoria quoque Chriſti & Apoſtolorum ple[...]na eſt multis exemplis diſputationum con[...]
Iudæos, Phariſæos, Saducęos, & quoque fal[...]ſos doctores, in quibus Chriſtus & Apoſtol[...]
neruum ſemper petierũt ex ſcriptura. Et qui[...]dẽ in diſputatione omniũ grauiſſima a Chri[...]ſto, videlicet cum Diabolo in ſummis tenta[...]tionibus habita: ita ſane filius Dei ſua auctori[...]tate vſus eſt, ad abigendum Diabolum ſua vo[...]ce, vt tamen omnes obiectiones eius ex verbo
Dei ſcripto refutarit. Ad Eph. 6. militis Chri[...]ſtiani πανοπλία deſcribitur, & ſcuto *fidei*, ai[...]
Apoſtolus, *omnia ignita Diaboli tela extingui.*
Fides autem ex auditu eſt, auditus vero per
verbum Dei, *ad Rom.* 10. Ioh. 20. *Multa fecit Chriſtus, quæ non ſcripta ſunt in libro hoc*, &c. [...]
Tim. 3. *Omnis ſcriptura vtilis eſt ad redargutionem.* Hoc verbum Dei, *ad Eph.* 6. appellatur
ſpiritualis gladius.

VII. THESIS.

Verbum Dei lectum & auditum neceſſarium & efficax medium ad illuminationem & conuerſionem hominum, diuinitus ordinatum & paratum.

EXPLICATIO.

HÆc Theſis opponitur putrido Stecfeldi[...]

errori, quo fingit, verbum Dei ſcriptum, vel vocale, lectione vel auditione vſurpatum, mortuam eſſe literam & inanem ſonum, cui illuminatio & conuerſio hominis adeo non debeatur, vt etiam ante prædicationem verbi, & ſine ea homo illuminetur a Deo immediate.

Neceſſarium autem hic vocamus, neceſſitatem immutabilis conſtitutionis diuinæ, ſicuti ſacræ literæ ſæpe allegant neceſſitatẽ huius vel illius, quod præordinante & prædicente Domino factum eſt. Luc. 24. Chriſtus ad Emaunticos viatores, inquit, *O amẽtes & tardi corde ad credendum omnibus his, quæ locuti ſunt Prophetæ, nonne hæc oportuit Chriſtum pati, &c.* Deinde appellamus verbum Dei lectum vel auditum medium, hoc eſt, quod ſe habet in actu illuminandi homines ceu organum alterius agentis. Verbum autem ipſum efficax ſimul medium dicimus, quia ſacra ſcriptura ita loquitur: in quibus quidem dictis veritatem & efficaciam Dei intelligimus, per medium ſuum ordinarium operantis, non tamẽ nobis ſumimus explicationem modi, ſecundum rationem humanam & inuſitatam, veluti ſerra & ſecuris in manu fabri non recipiunt vim & induſtriã, viui artificis, mouentis & regentis inſtrumenta, quæ mortua ſunt, & mortua manent, in ipſo etiam ſectionis actu. Sed in hoc admirando opere conuertendi homines, ſtatuimus aliquid euenire inexplicabile, quo

medium verbi vocalis vel miniſtri opera
Sp. Dei, ſit organũ viuũ & efficax, modo q
dem a Dei proprietate diſtincto, ſuo tame
quem ipſe Deus voluit & efficit, ſingula
Itaq; teſtimoniis ſcripturæ fidem adhibem
ſimplicem, nõ præſcribentem arcanis Dei a
ctionibus & ordinationibus, & tamẽ id, quo
Deus non eſt, a Deo, vt diſtinctum quiddam
credimus. Hanc pietatẽ perſuaſit nobis Chri
ſtus, qui Nicodemo regenerationis doctrin
traditurus, & Spiritus per ſe agentis, nec no
aquæ, ceu medii mentionem proponit. Ratio
nes vero inquirentem verbi naturalis obſer
uatione confundit, quaſi dicat: *Hæc terrena*
inquirere volueris multis in partib. te relinquam
hæſitantem. Noli igitur cauſas explorare cœle
ſtium. Quare cum non tantum de ſacramen
tis, ſed etiam de verbo ſacræ ſcripturæ magni
fice loquatur, diſcamus plus ineſſe ſententi
illis, quam vt noſtra perſpicuitas ea formali
ter exploret & cognoſcat.

Confirmatio.

Pſalm. 19. *Præcepta Domini recta lætificantia*
cor, præceptum Domini purum illuminans ocu
lum. Eſa. 55. *Quomodo deſcendit imber & nix de*
cœlo & illuc nõ reuertitur. Huc referatur The
ſis prima, quæ verbum vocale & ſcriptum, &
ſi mediate propoſitum, docet eſſe verbum
oris Dei. Ioh. 6. Chriſtus inquit, *Verba, quæ ego*
loquor vobis, vita & ſpiritus ſunt. Ioh. 8. *Si vos*
manſeritis

manseritis in sermone meo, vere mei discipuli e-ritis. Ioh. 17. *Veritas Dei est verbum*, Ioh. 12. *Pater mihi mandauit quid loquar, & quid dicã, & scio mandatum eius esse vitam æternam*. Act. 7. *Moyses excepit viua eloquia, quæ nobis traderet*. Ad Rom. 1. *Euangelium est potentia Dei ad salutem*. Ad Gal. 4. *Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Et 1. Cor. 4. hanc vim gignendi verbo Dei ascribit: *In Iesu Christo per Euangelium*, inquit, *vos ego genui* 1. ad Thes. 1. *Euangelium nostrum, quod ore nostro sumus testati, consistit apud vos, nõ in sermone tantum, sed etiam in veritate*, & cap. 2. *Gratias agimus Deo indesinenter, quod acceptũ a Deo sermonem, quem audiuistis ex nobis, excepertis non vt sermonem hominum, sed sicuti vere est, vt Dei sermonem, qui agit in vobis, qui creditis*. 2. Cor. 3. *Quod idonei sumus, id ex Deo est, qui etiam fecit, vt idonei essemus ministri noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus*, Et cap. 4. *Habemus thesaurum hunc in vasis testaceis, vt huius virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis*. Ad Heb. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrãtior, quouis gladio ancipiti, ac pertingit vsque ad diuisionem animæ* &c. 1. Pet. 1. *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem viui DEI & manẽtis in æternum*. Concludamus autem hanc doctrinã de verbo Dei testimonio amplissimo, latius prędicãte huius diuini beneficii fructus 2. Timo. 3.

Sacræ literæ possunt te eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus.

SECVNDVS LOCVS DE DEO.

I. THESIS.

De Dei essentia, voluntate, & cultibus ipsi præstandis, non aliter est sentiendum aut docendum, quam sicut se Deus in suo verbo per Prophetas & Apostolos tradito patefecit.

EXPLICATIO.

EXstat hæc Thesis in Categetico nostro libello, in quo essentia Dei intelligitur generatim & de vno Deo, & personarum trinitate. Etsi enim essentiā alias a personis distinguimus, tamē ad Dei essentiam, hoc est, ad id, quod sit, personarum etiam mentio pertinet, quæ non sunt quoddam accidētale, & tamen sui modi distinctionē ab vna essentia accipiunt. Cum igitur communiter dicitur de essentia Dei, quærendum esset ei, qui Deum velit cognoscere, an vox essentia extra receptum illud a persona discrimen intelligatur de eo, quod verus sit Deus pater, Filius & Spiritus sanctus. De hac, sicut de voluntate quoque, & cultibus ipsi præstandis dicitur, quod sine patefactione verbi

verbi Prophetici & Apostolici nihil sit statuendum: Quod ita intelligatur, ne iudicia Dei natura nota plane negentur. Natura enim cõstat, esse Deum : ratio quoque colligit, qualis, & quod sit colendus, de quibus supra egimus, cum eos refutaremus, qui omnem religioné negãt. Verum quis sit verus Deus, & quæ eius certa & voluntas salutaris, quomodoque coli velit, de eo vel conticescit, vel ambigit omnis ratio, & exspectanda est vnica patefactio ipsius Dei, id quod vel indigentia profiteri Ethnicorum non dubitauit, vt supra meminimus. Sed cum eadem necessitate ad consulendum Deũ & verbum eius adigamur, inde nos informari petamus.

CONFIRMATIO.

Chrysostomus scripsit quinq; Homilias de incomprehẽsibili Dei natura cõtra Arrianos, in quib. de hac Thesi multa non contẽnenda, sed præclara habentur, huius probationis argumenta & testimonia. Obseruandum tamé, non omnes scripturæ sentẽtias ab ipso, & aliis patribus vsurpatas, eodem vsu amplexandas esse nobis. Quod citat dictum Esa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* & in hoc exsultat, quædam vocum pondera perpendens, impertinens est. Non enim agit hoc testimonium de natura Dei incomprehensibili, aut de Filii Dei naturalis æterna generatione, sed de filiis adoptiuis, qui innumerabili copia & inenar-

rabili perpetuitate ſint adſciſcendi Chriſto. Ipſe enim Eſaias ſententiam ſuam ita exponit. Cum enim primum dixiſſet, *De anguſtia & iudicio, ſublatus eſt, quis enarrabit generationem eius*: poſtea ſic ait, *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. Teſtimonia autem de vero Deo ex ſola patefactione nata hæc ſunt, quod ſacra ſcriptura ſtatim ab initio apparitiones Dei cõmemorat, & Abraham pater omnium credentium inde definitionem conficit.

Nam Gen. 24. cap. ſeruo conciliaturo nuptias filio ſuo Iſaaco inquit, *Dominus Deus cœli & terræ, qui tulit me de domo Patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & iurauit mihi, dicens, ſemini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet angelum ſuum coram te.* Exod. 3. *Moyſes quærens nomen Dei, hoc aufert reſponſum dicente Domino ero qui ero.* Item, *ero qui vos ex Ægypto educturus, & hinc nomen mutaturus eſt, miſit me ad vos* Item, *Dominus Deus patrum noſtrorũ Deus Abraham, Deus Iacob miſit me ad vos, hoc nomen mihi in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Oſæ. 12. Iehoua inquit: *ego per miniſterium Prophetarum me patefacio.* Ioh. 1. *Deũ nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu patris.* 1. Cor. 2. *Ea, quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi Spiritus Dei.* Subiicit autem hanc Theſin ceu rationem eius, quod dixerat de

ſapientia

sapientia Dei, latente in ministerio, quod nobis Deus reuelabit per Spiritum suum. Ideo autem reuelarat Apostolis, vt nobis eadem loquerentur, id quod Paulus ibidem fatetur. Deuteronom. duodecimo versiculo octauo *Non facietis singuli, quod vobis rectum videtur*, & versiculo trigesimo secũdo. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam nec minuas.* Matthæus decimoquinto. *Frustra colunt, docentes doctrinam, & mandata hominum.*

II. THESIS.

Deus est essentia Spiritualis.

EXPLICATIO.

IN appellatione & definitione Dei, ante omnia discendũ est, nullam dari aut intelligi posse vocem, qua Deus appellatur, nisi a creaturis desumtam, & tamen longe aliam esse rationem earundem vocum, quibus Deus nuncupetur, quam qua in creaturis noscitur. Sic definitio Dei more isto conficitur, qui creaturarum rationi pro captu intelligentiæ humanæ aptatus est, & tamen eadem ratio non est sine discrimine intelligenda, sed quicquid de Deo dicitur, id primo consideretur, tanquã a recreata, sub intellectũ nostrũ aliquo modo cadente, desumtum. Statim autẽ simul cogitetur diuersimode Deo applicari, & tãto

quidem cum diſcrimine , quanto crea
creaturis,infinitũ a finito,ſeu quiddã vni
humanę ratiocinationi inexplicabile ab ex
cabili differat.Deus eſt inuiſibilis *Coll.* 1. 1.
1.& tamen Dei inuiſibilia, *vt inquit Paulu*
*Ro.*1. dũ ex rebus cõditis intelligũtur, ex cre
tione mundi perſpiciuntur æterna eius, tu
potentia,tum diuinitas. Rectius autem illa
det fides,quæ habet, ἔλεγχον οὐ βλεπομένων, id e
demonſtrationem eorum,quæ non videntu
& ab apparentibus mentem reuocat ad no
apparens & inuiſibile. Sicut Moyſes fide dic
tur vidiſſe inuiſibilem Deum, *ad Ebr.* 10.

Quamobrem hoc loco non ſunt admitté
dæ argutiæ de genere, quod definitio ſit ſupe
rius, de diſcrimine inter eſſe & eſſentiam,
eſt in creaturis, de vocabulorum concreto
& abſtractorum (*vt Deus eſt bonus,* vel *Deu*
eſt bonitas & ſimilium) analogia & conuenien
tia,ſiue quo ad compoſitionem, quæ concre
ta in rebus creatis ſuggerit,ſiue quo ad ſimpli
citatem, non plane ſimplicem, quam abſtra
ctorum cõſideratio in creatis ſuppeditat, hoc
eſt,eorum,quæ abſtractiue conſiderantur,&
tamen extra compoſitionem vera non ſunt.
Huiuſmodi igitur rationabiles modi hinc fa
ceſſant, etſi de Deo loquamur ὅσον ἡμῖν ἐφικτόν,
quantum nobis licet aſſequi,vt Baſilius loqui
tur Homilia de fide & Trinitate.

CONFIRMATIO.

Nomen Iehoua, quod Deus ſibi ipſi indi
dit,

dit, eſſentiam ſignificare extra controuerſiam eſt. Et Exodi 3. Deus appellat ſe τὸν ὄντα. Licet n. variare tempora, nec eum, qui extra tempus eſt, fuit & erit, tempori aſtringamus, ſicut Hebræi in futuro trium temporum differentias colligũt, præſentis, præteriti & futuri. Et hinc extra & ſupra temporum cogitationem æternam eſſentiam Dei conſiderandam proponunt: quo facit quod Apoc. 4. dicitur, *Sanctus ſanctus ſanctus Deus omnipotẽs*, ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος Iohan. 4. *Deus eſt Spiritus* ad Rom. 1. *Chriſtus declaratus Filius Dei ſecundum ſpiritum.* Ex quo teſtimonio patet, Spiritus vocem non eſſe ſemper perſonæ, ſed interdum eſſentiæ, quemadmodum Chriſtus Iohan. 4. loquitur de Deo adorando, qui ſit Spiritus. Adoramus autem ſicuti credimus, & credimus ſicuti baptizati ſumus. Adoramus inquam patrem, Filium & Spiritum ſanctum vnum Deum.

III. THESIS.

Deus verus natura ſeu eſſentia vnus tantum eſt, nec vllus alius præterea.

EXPLICATIO.

HÆc Theſis habet additam excluſiuam cum negatione vniuerſali propter Iulianæ Apoſtatæ cauillationem, qui conceſſit Iudæis vnum Deum, & eatenus dicta veteris Teſtamenti voluit intelligi: Salua autem hac ſententia dixit, ſtatui poſſe plures Deos, nõ quod Dii ſint Iudæorum ſed aliorũ gentium. Cõtra

vero sacrę literæ docent, nõ solum vnum Iudæis Deum, sed præter hunc non esse alium verum Deum, quarumcumque etiam gentium respectu accipiatur.

Confirmatio.

Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus noster Deus vnus est.* Deu. 32. *Videte q ego sim solus & nõ sit alius præter me.* Esa. 44. *Hæc dicit Iehoua rex Israel, & redemtor eius Dominus exercituum: Ego primus & ego nouissimus, & absque me non est Deus.* Esa. 45. *Ego Iehoua & non est amplius præter me Deus.* Item, *Vt sciant ab ortu solis & occidente, quod nihil præter me, ego Iehoua, & nullus est vltra.* Ibidem dicitur: *Gentes veneraturas Ecclesiam, cuius Iehoua Deus sit, dicturas: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus.* 1. Cor. 18. *Scimus quod nullum sit idolum in mundo,* (teste Psalmo 135. de idolis gentium) *& quod nullus est alius Deus quam vnus. Nã etiãsi sint, qui dicantur Dii in cœlo & in terra, sicut sunt multi Dii, nobis tam vnus est Deus.* Gal. 4. *Ignorantes Deum seruiebatis iis qui natura non sunt Dii.*

IIII. Thesis.

Tantum vnus est verus Deus nec alius Iehoua præter hunc vnum, qui sit Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Explicatio.

AB vnitate essentiæ Dei progrediendum

erat ad attributa Dei, quæ ſunt ipſa Dei eſſentia, & tum demum ad perſonarum diſtinctionem. Verum cum vel vnitas eſſentiæ contra perſonarum trinitatem accipiatur, vel diſtinctio ὑποστάσεων contra vnitatem iſtam conducatur, prius vnitatem cum Trinitate, & hanc cum illa, ſingula vero ſuo loco & reſpectu conſtare oſtendēdum eſt. Theſin autem propoſuimus verbis ſcripturæ, cui applicanda eſt Eccleſiæ lingua, quam Hæreticorum peruerſitas coegit talem conformare: *Deus eſſentia vnus eſt: Perſonæ autem vnicæ Deitatis tres: Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Hæc oratio nihil in ſenſu ſcripturæ mutat, nec formam ſacri ſermonis reiicit, ſed ſanum & ſyncerum intellectum verbi Dei allegat verbis præcedentibus, ambiguitatem tollit, qua ſenſum ſcripturæ varie Hæretici deprauarunt. Eſt autem operæ pretium, noſſe, quomodo Eccleſia compulſa ſit munire doctrinam de Deo, aſſumtis his vocibus οὐσία ſeu eſſentia, & ὑπόστασις, ὑφιστάμενον ſeu perſonæ.

Fuerunt enim in Eccleſiæ ſinu, qui vnum tantum Deum docuerunt, etiam qua Pater, Filius & Spiritus ſanctus dicitur. Itaq; verbali tantum, non reali diſtinctione, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum profeſſi ſunt, cum tamen tres nomenclaturas in vna ſubſtantia agnouerint, abutentes ad id teſtimoniis, de vnitate Dei productis, & horum verbis errorem ſuum contegentes.

Quem Noetus cœpit ſpargere circa annum Christi 170. Praxeas vero paucis annis poſt, hic in Africa, ille in Aſia. Sabellius vero longe latèque propagauit circa annum 270. His ergo eſt oppoſita ſententia ſacræ ſcripturæ his verbis explicata, *Deus verus eſſentia vnus, nō nominibus tantum, ſed* ὑποστάσεσιν, *& perſonis tribus diſtinctis eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus*, quanquam alii Hæretici interueniente neceſſitate noua illarum vocum vſum aliquāto post interpolarūt. Vixit enim circa annum Christi 270. Paulus Samoſatenus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui negauit λόγον in 1 capite Ioannis ſignificare ὑφιστάμενον. Triginta annis poſt Arrius conceſſit quidem λόγον ſubſiſtentem: ſed hunc filium, cum patre eiuſdem eſſe eſſentiæ, dignitatis, & æternitatis negauit. Cum autem vnitas eſſentiæ Dei, quibus distinctorum ὑφισταμένων patefactione, pater & Filius & Spiritus ſanctus apertiſſime negat eſſe λόγον προφορικὸν ſeu pronuntiatū tantū ſermonem, nec Filium a patre eſſentia diſcerni patiatur; Hæretici quoque vehementiſſime has voces oppugnando oſtenderint, nullis aliis ſe fortius premi & teneri, neceſſitas ingēs allata fuit, quæ vt extorſit iſta vocabula, ita variis cogitationibus coegit retinere. Vſus etiam poſterior magis probauit & commendauit eorum neceſſitatem ac naturam, vt ad plures hæreſes deſtruendas, & ad veritatem ſynceram obſeruandam, iſta vocabula nunc ſint ſignificantiora reddita.

Con-

CONFIRMATIO.

Vnitas hic essentiæ constat, quod vnus tantum sit Iehoua, quæ vox essentiam omnium eruditorū testimoniis significat Deut. 6. *Audi Israel Iehoua Deus noster Deus vnus est*. Psalm. 18. *Quis Deus præter Iehouam*. Salua autem vnitate, quam scriptura diserte in essentia Dei ponit, Pater a Filio & Spiritus sanctus ab vtroque distincte patefacti sunt, patefactionibus singula ὑφιστάμενα testātibus. Filius enim in Iordane baptizatus a Iohanne cōspicitur in ripa, nec Pater aut Spiritus sanctus baptizatus fuerit: Imo Pater de cœlo inquit, Hic est Filius meus dilectus, vt ὑφιστάμενα Patris & Filii distinctissime probētur, & Spiritus sanctus distincta specie columbæ apparet. Athanasius inquit, *Ite ad Iordanum claritatis patefactionem*. Hæc vero distinctio ὑποστατικὴ, non tollit vnitatem essentiæ. Christus enim, de se & Patre dixit. *Ego & Pater vnum sumus*. Ioh. 10. Item, *Qui vidit me, & vidit Patrem, & ego in Patre sum, & Pater in me*. 1. Ioh. 5. *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Filius & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*. Matth. 28. *Baptizate in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti. In nomine* ait, non in *nominibus*, vt vnitas essentiæ ostendatur inquit, Ambrosius lib. 1. de fide Catholica cap. 2. Esse autem vnius illius nominis ceu vnius essentiæ distincta ὑφιστάμενα, in Baptismo Christi luculenter traditur.

V. THESIS.

Attributa Dei, sunt essentia Dei, non ac-dentia.

EXPLICATIO.

ATtributa Dei appellantur, quæ acciden-tium more de Deo prædicantur, vt qu[od] sit bonus, iustus, sanctus &c. nec tamen s[unt] accidentia Dei, sed eius essentia. Distingu[un]tur autem ab iis, quæ relatiue de Deo dicu[n]tur, mutua nimirum personarum relatio[ne] & proprietates vel relationes appellantu[r] imitationem Augustini *libro sexto de Tri[ni]tate capite sexto.* Duplici tamen modo p[ræ]dicantur attributa, tum per vocabula abstr[a]cta, tum per vocabula concreta, in [il]lis ratio deitatis immutabilis respicitur, [im]propria est locutio, nisi translatione a crea[tu]ris ad creatorem tropum statuas, cum prop[rie] dicitur, *Deus est bonitas, caritas, sanctitas*; [in] concretis magis captui hominum seruit[ur] qui nisi accidentium more non potest p[er]cipere illa, quę ita de Deo dicuntur, *Deus [est] bonus, iustus* &c. Huc tamen resumantur qu[æ] Thesi secunda monuimus de abstractis & c[on]cretis, ad nostrum quidem intellectum [a]liquatenus aptatis, singulari tamen Deitat[i] nobisque inexplicabili modo relinquend[is]. Nata est auté in Ecclesia recepta data The[]sis, quod ad quędam de Deo in scriptura cert[a] pronuntiata necessario consequatur, quam[]obrem confirmatio antecedentis Theseos e[t]

sacris probabit id, quod est vnitas & immutabilitas Dei. Vnitas enim summa, simplicissima vt sit, necesse est, cui contraria est lex compositorum, & immutabile non recipiet accidens, cum istud mutabile sit mutabilium. Nosce̅tur aute̅ de attributoru̅ circumspecta co̅sideratione, admonitiones veteru̅: Athanasius dialogo 1. de Trinitate ait. *Illa̅ diuersitatem esse* κατὰ διαφόρους ἐπινοίας, οὐ κατὰ σύνθεσιν, *hoc est, secundu̅ diuersas considerationes, non per compositionem.* Idem in symbolo inquit: *Patris & filii & spiritus sancti, una est diuinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas, qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus.* Item, *Non tres aeterni, sed vnus aeternus, sicut non tres increati, sed vnus increatus, nec tres immensi sed vnus &c.* Basilius quoque in epistpla ad Eustatiu̅ medicu̅ negat attributa πληθυντικῶς pluraliter enuntiari, sed duntaxat singulariter. Id quod Augustinus quoque monet lib. 5. de Trinitate, Cyrillus lib. 11, Thesauri cap. 1, *sapienter certe dicitur nihil accidere substantiae Dei, quonia̅ in seipsa perfecta est, sed tame̅ cogimur no̅nu̅qua̅ quasi accide̅tia, etia̅si omnino non accidu̅t Deo, haec dicere, & me̅te accide̅tiu̅ modo concipere.* Et ibide̅, *voce modoque dicendi accidentia in Deo esse dicimus, quia modo accidentium illa intelligimus.* Augustinus libro 11. capite 4. *Deo hoc est esse, quod forte esse & sapiente esse, & si quid de illa simplici multiplicitate & multiplici simplicitate dixeris, quo substa̅tia eius intelligitur.* Bernhardus in

tractatu de diligendo Deo, *quicquid in summa & beata illa Trinitate summam & ineffabilem illam conseruet vnitatem, nisi caritas? Nemo tamen existimet me caritatem hic accipere qualitatem vel aliquod accidens, alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid, quod Deus non esset, seu quod Deus non est. Sed substantiam illam diuinam, quod vtique nec nouum, nec insolitum est. dicente Ioh.* Deus est caritas. Dicitur ergo recte, *caritas & Deus est, & Dei donum.* Itaque caritas dat caritatem substantiue accidentalem, vbi *dantem* significat nomen substantiæ, vbi *donum* qualitatis nomen.

CONFIRMATIO.

Huc pertinent testimonia de vno Deo Iehoua præter quem non sit Deus alius. Summa ergo est illa vnitas & simplicissima: De immutabilitate hæc sunt testimonia Num. 23. *Non est Deus vt filius hominis, vt mutetur* Psal. 102. *Initio Domine fundasti terrã, & manuum tuarum sunt opera cœli: tu autẽ permanes, & omnia sicut vestimentum, veterascent, &c.* 1. Tim. 1. *Regi æterno, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo, gloria & honor in secula, Amen* 1. Tim. 6. *Rex regum & dominus dominantium qui solus habet immortalitatem, &c.* Et hæc est causa, quare Deus verbis ad captum hominũ paratis describatur, qui ipse locutus est ad Moysen, sicut homo solet loqui ad amicum, *Exod.* 33.

VI. THESIS

VI. THESIS.

Deus est æternus.

EXPLICATIO.

ETsi in Dei essentia nihil prius, nihil posterius est, docendi tamen gratia primum attributum dici potest *Æternitas*, vt quæ sui definitione, quod videlicet sit eius, cuius neque initium sit, neque finis, pro captu nostro primum sibi locum poscat. Præmittitur autem æternitas reliquis attributis hoc graui consilio, vt de constanti veritate, omnibusque pręmissis Dei minus sit dubii, credenti iam æternitatem Dei. Nil enim prius, nil posterius erit eius veritate, misericordia, iustitia &c. qui sine priore & posteriore semper est vnus & idem. Sic *Esa*.43. firmatur fides saluationis nostrę in hoc ipso, dum per Prophetas Dominus ait, *Vt sciatis & credatis, & intelligatis mihi, quia ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Dicitur autē æternum, quasi æuiternum, & æuum, ab αἰών: atque hoc rursum ab ἀεὶ, vt ęternum sit, quod semper sit, alias tamen simpliciter, alias secundum quid. *Simpliciter* æternum est, quod initii & finis respectu, imo & durationis incommutabili ratione consideratur. Assumenda est enim in simplici æternitate, præter initii & finis carētiam, & etiam οὐσίας omnimoda immutabilitas, cum mutatio collatione prioris & posterioris æternū tollat. Mentis affectu inquit August. de vera

religione cap.49. *Omnem mutabilitatem ab-æternitate seiungo, nulla spatia temporis cerno.* Atque huc spectaret Etymologia Eustatii, qui ἀΐδιον vocat τὸ μὴ ἴζον βέβαιον, καὶ στάσιμον, quod subsidendo non concidat, sed firmum sit & stabile. Verum Etymologia est violentior. Vniuersaliter æternũ creaturæ non cõpetit. Sancti quidem angeli & homines viuent in æternũ, quia finem nõ sentiet vita illorũ, interim tamen initium habent, ita victuri, nec ab initio omnia ipsorum ita perfecta fuerunt, vt mutationis plane expertes manserint. Non igitur æterni sunt ἁπλῶς, quãdo aliquid semper est sine exceptione, quomodoq; intelligendũ est æternum, cum est naturalis proprietas seu attributũ Dei. Græci ἀΐδιον & αἰώνιον appellant, & vtrumque cum ab ἀεὶ descendat, non perperam sine discrimine permutant, siue de æterno simpliciter, siue de perpetuo, & nunquam desituro dicturi sint, quod tamen initii habuit. Quamuis enim ἀΐδιον ex frequenti vsu videatur æternum vniuersaliter dictum significare, tamẽ, vt illud nõ est constans, ita αἰώνιον nonnunquam etiam simpliciter significat æternum. Ex ἀϊδίου dicimus *ab æterno*, cum initium negamus, εἰς ἀΐδιον *in æternum*, cum finem tollimus, & ἀΐδιος δόξα quę hominibus contigit apud Plutarchum in Pericle. Sic vita sanctorũ dicitur αἰώνιος, quæ collata creaturis, nõ caret in ipsis initio, duratura tamẽ sine fine. Rursus hæc vox de vita, quæ est λόγος filius æterni Dei

Dei vſurpatur. 1. Iohannis 1. *Annuntiamus vobis* ζωὴν τὴν αἰώνιον quæ erat apud patrem. Non igitur conſtans eſt eius Etymologia vel vſus diſtinctus, niſi ex re ſubiecta & circumſtantiis contextus, vel pertinentibus collationibus petatur interpretationis firmitas. Fallitur Daneus, qui contra Chemnitium pagina 40. αἰώνιον creaturis, ἀΐδιον Deo quaſi certo diſcrimine aptat, vt omnem poteſtatẽ humanæ Chriſti naturæ cõmunicatam neget proprietatem Dei eſſentialẽ. Cui opponimus vſum ex Iohanne diuerſum citatum. Fallitur & Zanchius, qui Daneo in hac parte ex diametro contradicit, inquiens, αἰώνιον ἀπὸ τοῦ αἰῶνος. Quid eſt autem αἰὼν niſi ἀεὶ ὤν. Ergo neque principium habet, neque mutationem vllam, neque finem. *Libro 2. de Diuinis attributis cap. 3.* Potius cum Fauorinus dicat ἀΐδιος ὁ αἰὼν ſtatuamus, quod origo vocabulorum nihil diſcriminis ſuppeditet. Hæbrei olam vocant ſempiternum ab alam occultauit, quia æternitas nos latet, nullique patet. Item Meth, quod ſignificat alias vſque ad, quia æternitatem nemo aſſequitur, quia ſemper vlterius procedatur, eiuſq; meditator audiat *vſque ad*, & nunquam tamen ad vllum terminum perueniat.

CONFIRMATIO.

Gen. 21. *Abraham plantauit nemus in Ber-*

sabea, & vocauit ei nomen æterni Dei. Esa.
Ante me nō est Deus, & post me non erit. Psal.
Antequam firmaretur terra orbis a seculo, &
in seculum, tu es Domine. Gen. 1. *In principio*
auit Deus &c. Ergo fuit ante principiū, &
sine principio est ipse. Psal. 10. *Dominus*
ternum permanet. Psal. 102. *Dies mei sicut*
bra declinauerūt, & ego sicut fœnum arui, tu
tem Domine in æternum permanes. Esa. 40. *D*
æternus Iehoua, &c. Esa. 57. *Deus excelsus*
inhabitat externitatē. Danielis 6. *Deus Dan*
ipse est Deus vnus, & æternus in secula. Mal.
Ego Iehoua & non mutor. 1. Tim. 1. *Regi*
æterno.

VII. Regula.

Deus est infinitus, immensus & vbiq;.

Explicatio.

EX eo, quod Deus neque initium habe
neq; finem, sequitur, eum esse infinitu
ac ne multis hic opus sit, proprietates æter
huc referantur. Immensum addimus non so
lum, quatenus synonymon est infinito, sed e
iam propterea, ne quod mensuram omne
excedat, pro captu nostro metiri p̄sumamu
Sunt tamen infinita quædā & immensa secu
dū quid, quorum videlicet terminus præte
mensuram æstimationis humanæ protendi
tur, siue tandem finem habeat, siue non, u
cum

eum numerum infinitum dicimus, quem pro libitu coaceruamus, vel vitam sanctorum in infinitum iri protractum docemus, licet etiam non sine initio adeant, quales etiam sunt creaturarum infinitates atque immensitates δυνάμει, sicuti materiæ ad formas habilitas, sine fine & numero statuitur. His missis infinitum & immensum simpliciter intelligimus, quod sine vlla purę infinitatis exceptione consistat. Hoc tamē obseruetur, cum certū sit, nihil vocum Deo attribuendarum nobis suppetere, quin etiam sonus ipse, & humana explicatio modum creaturarum, sine quo intellectus noster in hac vita nullus est, suggerat, vt illis adminiculis vtamur, vt allusionem vsurpem ad verba Apostoli dę vsu mundi. 1. Cor. 7. Quamobrem vehementer malitiose ait Daneus (ruditatem enim ei imputare non ausim) quod ex datis & nostro captui accommodatis, quamquā ex his immensurabilibus terminis cœli & terræ, eo ipso loco, vbi mensura tanquam vere diuinarum rerum nostris mentibus erepta est plane, finitatem colligit, cū aduersus D. Chemnitium scribit pag. 367. *Potestatem in cœlo & in terra, qua Christo data sit secundum humanitatem, esse quidem immensam ratione aliarum creaturarum, sed tamen creatam tantum, non autem increatam gloriam & maiestatem.* Hoc si licuerit ipsi, cur non idem de Deitatis immensitate dicet, cum his ad nostram mentem compositis li-

mitibus ea describatur. *Ier.* 23. Hæc igitur phantasiæ crassi cerebri hinc procul absint.

De vbiquitate, quod additum est propter propinquissimam cognationem factum est, qua rursus remoueãtur cogitationes de expansione & extensione, siue solidi, siue rari corporis: Item de inclusione Dei in aliqua creatura vt dum intus sit, foris non sit, & quicquid intellectui nostro Deitatem creaturis conformatam insinuat. Notetur & hoc, Deum statui vbique vt, nulli creaturæ commisceatur quo vel anima vel pars eius fiat, sed creator Dominus a creaturis suis distinctissimus manet in omnem æternitatem.

Confirmatio.

3 Reg. 8. & 2. Par. 2. & 6. *Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt.* Psal. 139. *Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam.* Esai. 66. *Cœlum sedes mea & terra scabellum pedum meorum.* Sic non incommode huc refertur, quod Genesis 1. dicitur, *Spiritus incubabat, hoc est, vbique erat præsentia spiritus Dei.* Sic sapientiæ 1. *Spiritus Domini impleuit orbem terrarum.* Dictum est enim Ierem. 23. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, inquit Dominus.* Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem excelsus et immensus.* Syrac. 2. *Ingens bonitas & misericordia Domini tã est immensa, quã ipse est.* Act. 17. *Deus non longe abest ab vno quoque nostrum, per ipsum enim viuimus, mouemur & sumus.*

VIII. THESIS.

Deus est omnipotens, intelligens, liberrimus.

EXPLICATIO.

OMnipotentiam appellamus, quæ est πᾶσα
ἐξουσία καὶ πᾶσα δύναμις. Non enim imita-
ur quosdam, qui singularis opinionis ductu,
, quæ S. sacræ intulerunt de suo, in com-
enta cum specie quadam tueantur. Confin-
runt inter illa hoc discrimen, de quo Eccle-
e ante istos homines nihil fuit notum. Nam
ul. ad Ephes. 1. *Omnem potestatem extollit*
ὑπεράνω πάσης ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, *super omnem po-*
testatem & potentiam, quam homines possint con-
pere. Et Basilius ἐξουσίαν nominat Epistola
c. ὑγιαστικὴν, ex qua probat, Spiritum sanctum
se Deum. Ἐξουσία ergo & potestas sine po-
ntia est essentialis communis toti trinitati,
& blasphema vox est, quæ siue in Deo simpli-
ter, siue in Christo ἐξουσίαν quandam vocet
centiam absque potentia, quemadmodum
ias homini est potestas seu ius in quosdam,
quos tamen non potest sibi subiicere potẽtia
domante, vel alia ratione efficaci. Addo intel-
ligentiam, ne brutam omnipotentiam intel-
ligamus, vel somniemus similem viribus, quæ
sunt in naturaliter agentibus. Sed hac sapien-
tia iuncta omnipotentiæ, fides nostra in Deo
plus roboris habet contra casum vel Stoicum
fatum, aut similia remorantia consolationes
ex omnipotentia Dei hauriendas, aut harum

neruos excidentia. Sic etiam omnipoten
libertatem adiicimus, ne omnipotentia
ſus a poſſe, videlicet ad factum inſinuet
peritiori, aut a non facto ad non poſſe
datur. Qua de re nota ſunt hæc teſtimonia
terum. Tertullianus aduerſus Praxeam: N
ne Deo nihil difficile eſt: ſed ſi tam abrupte
præſumtionibus noſtris hac ſententia vta
quiduis de Deo confingere poterimus, quaſi fe
rit, quod facere potuerit. Auguſtinus de na
ra & gratia cap. 7. *Conſequens eſt, vt quod*
eſſe potuerit. Non eſt autem conſequens, vt q
eſſe poteſt, etiam ſit. Quia enim Deus Laza
ſuſcitauit, ſine dubio potuit: quia vero Iudam
ſuſcitauit, nunc quid dicendum eſt, non pot
potuit ergo, ſed noluit. Nam ſi voluiſſet, ea
etiam hac potentia feciſſet: quia filius Dei, q
vult, viuificat. Ioh. 5. Diſputatur & hoc de
mnipotentia, *num valeat præſtare contrad*
ria? De quo reſpondemus ſimpliciter, cu
contradictoria ſint oppoſita, quorum alter
falſum eſſe oportet, non poſſe Deum iſta
mul præſtare, ne verax & mendax ſimul ſta
atur, qui verax tantum eſt, vt ſuo loco dicet
In hoc tamen attendendũ eſt, quomodo co
tradictio probetur. Sæpe homo ſibi fin
ἀντιφατικὰ, quorum vnum phyſico modo
alterum alio modo contradictorium pon
Verum hoc iudicium de contradictoriis pe
cat in regulam oppoſitorum, quam ratio h
mana genuit. *Exempli gratia.* Phyſico m
do

do verum corpus in loco vno tantum recte esse creditur; In pluribus, si simul & semel simul dicatur, contradictio metuitur. Idque contra oppositionum contrarietatem, cum quod Physico modo ita esse deprehenditur, si alio modo aliter esse ponatur, diuerso respectu ab omni contrarietate iure liberetur, præsertim cum illud ad hanc quæstionẽ affirmetur, num Deo volenti possibile sit verum corpus in pluribus exhibere locis simul & semel. Quod si igitur de causa saluante illum alienum respectum, quem Physica negat, quæritur, Deo sunt relinquendi modi inexplicabiles, quibus veritas essentiæ corporis seruetur, etsi quantitas, quæ ipsa essentia non est, sed ab hac in creatione distincta & mutabilis tollatur, quæ tamen eiusdem imperscrutabilis potentię ratione tam potest seruari, quam destructa nobis putatur. Vbi itaque contradictio nobis constare nequit, ibi nullam addamus exceptionẽ omnipotentiæ Dei. Inprimis vero caueamus, ne declinando istam non probatam contradictionem, huiusque prætextu fugiamus τὸ ῥητὸν dictorum Christi, quemadmodum Caluiniani faciunt in doctrina cœnæ Domini. Vitetur & hæc præcipitantia, quæ statuit, tum negari omnipotentiam Dei, vbi Deus dicitur, aliquid non posse. Nam Paul. Post. 2. inquit: *Si increduli sumus, ille fidelis est, negare seipsum non potest*. Quæ igitur immutabilitati & iustitiæ Dei aduersantur, ea Deus non potest, quo-

modo vero omnia posse, & tamen qua
non posse, concilianda sint, haud possum
quisite demonstrari. Vsitate tamen respo
tur, cum Deus dicitur se ipsum negare, & p
care non posse, eo non absentia potentiæ,
impotentiæ, dicatur, & sic omnipotentia
per illud non posse confirmatur. Quid e
aliud est se ipsum negare, quam non esse q
sit? Si n. non est quod esse dicitur, nec omnip
est Deus, potius ergo hoc statuendũ est, I
non posse, vt se neget, quo omnipotens r
neat, quã vt putetur, posse ne possit omn

CONFIRMATIO.

GEnes. 17. Ipse Dominus inquit: *Ego* I
omnipotens. Genesis 28. *Isaac & I*
Deus omnipotens benedicat tibi. Exod. 6. Do
nus ait: *apparui Abraham, Isaac & Iaco*
Deo omnipotente, id est, in diuina omnipot
tia: *at in nomine meo Iehoua non sum cogn*
eis. 1. Cor. 6. vbi citatur testimonium Prop
tæ, quod Ierem. 31. Iehouæ tribuitur. Apo
lus addit λέγει κύριος παντοκράτωρ, quæ vox I
Schaddai, id est, omnipotens a septuaginta
sita est Iob. 5. vbi dicit Eliphas, *profecto bea*
est homo, quem increpauerit Deus, proinde
correctionem omnipotentis spernas, & cap. 11.
Sophar sic loquitur: *Num inuestigationem I*
inuenies, an vsq; ad perfectionem omnipoten
inuenies. Gen. 18. inquit Iehoua Saræ non c
denti fœcunditatem sui: *Nunquid Deo qu*
quam difficile est. Numeri 11. Deus ad M

sem dubitâtem : *Nunquid manus Domini abbreuiata est ? nunquid videbis , an eueniat tibi verbum meum an non?* Luc.1. Angelus Gabriel ad Mariam inquit: *Apud Deum non est impossibile verbū vllum.* Matth.19. Christus ad discipulos a difficultate hominum ad difficultatem argumentates inquit: *Apud Deum omnia sunt possibilia.* Ad Rom. 4. Apostolus Abrahamo tribuit fidem dantem Deo gloriam, cum plane persuasum habuerit, *Deū quod promiserat, posse etiā prestare.* Ad Ephes. 3. *Qui potest superabūdāter omnia facere, supra ea quæ petimus aut mente cōcepimus.* Psal.104. *Quā multiplicata sunt opera tua Domine, omnia in sapiētia fecisti.* Iere.10. & 51. *Qui facit terram potentia sua qui stabilit orbem sapientia & prudentia sua.* Psal.135. *Quia ego cognoui, quod magnus Iehoua & Deus noster , omnia quæcunq; voluit fecit.* Apoc.4. *Viginti quatuor seniores procidentes corā insidente in Throno, adorantes & proiicientes coronas suas dicūt*, dignus es domine, qui accipias gloriam & honorē & virtutem, &c.

XI. THESIS

Deus est verax.

EXPLICATIO.

POst Dei vnitatē, æternitatē, immutabilitatē, eiusdemq; immensitatē, omnipotentiam, sapientiam, ac libertatem, de veritate agimus, vt huius ex illis videlicet pmissis sanctior & firmior obseruetur ratio: Vnitas n. veritatē simplicissimam, & perfectissimam docet, ab

omni falſo & fuco puriſſimam. Æternitas nunquam eam mutabilem arguit, immenſitas eam vbique ratam ſtatuit, omnipotentia nihil violentum, quod eam impediat, ſimul certam promittit. Sapientia Dei inconſtantiæ caſum remouet, & quia inexhauſta eſt, humanas rationes, quæ ſapientiæ ſpecie contrarium veritati diuinæ ſubinde obiiciunt, illidit. Libertas vero moram, & ſecus, quam collegimus, facta, ne veritati Dei detrahant, iuſtificat. Quamobrem hæc coniunctim conſiderata, Deum non ſolum veracem, ſed veritatem ipſam demonſtrãt, & ingens robur fidei addunt, a veritate Dei pendenti. Et ſicut fides extra verbum non euagatur, ita nobis ea Dei veritas perpendenda potiſſimum venit, quæ certo verbo eſt edita, cui vt abſolutiſſimo veritatis diuinæ exemplari, nobis in hac vita ſufficienti, vnice eſt attendendum, & ſiue quid neget, ſiue quid affirmet, ſiue bona promittat, ſiue mala minetur, firmiſſime credendum eſt. Quædam tamen explicatius, quædam nudius aſſeruntur, vt quod Deus ſit ipſa veritas, hoc creditur propter nudam aſſeuerationem, & quod alias prioribus affirmatis contraria ponerentur, magis vero, ſed non ſatis intelligitur. Quod Deus omnia ſciens, verax ſit, nonnihil latius pateſcit veritas illa Dei in promiſſionum & comminationum dictis ac euentis. Quicquid autem deficit, noſtra culpa fit, & veritati in Deo nihil derogari poteſt.

Con-

CONFIRMATIO.

Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, ipse dixit, & non faciet.* Deut. 32. *Deus veritas est, & non est iniquitas in eo.* Sal. 3. Reg. 8. expansis palmis, ita alloquitur Deum Iehouá, *Deus Israelis, non est similis tibi Deus in cœlo & desuper, nec super terram deorsum, custodiens pactum*, & post finem orationis, dum benedixit, congregationi ait. *Non cecidit verbum vnicum ex omni verbo eius, quod locutus est, &c.* Psal. 14. & Rom. 3. *Deus est verax.* Psal. 31. *Redemisti me Deus veritatis meæ.* Psal. 119. *Omnia mandata tua veritas.* Ad Titum 1. *Deus mentiri nescit.*

X. THESIS.

Deus misericors est & iustus.

EXPLICATIO.

QVicquid attributorum diuinorum, quæ in sacris literis tantum enumerantur, restat, vt sunt bonitas, longanimitas, clementia, gratia, sanctitas, castitas, & similia; Ista omnia misericordiæ & iustitiæ vocabulis, tum breuitatis studio, tum synonymias seu singularis cognationis ratione quadam complectimur. Et in Deo quidem prius & posterius attributum minus conuenienter ponitur. In relatione tamen ad creaturas ordo quidam obseruatur, & misericordia iustitiæ præponitur, quod initium sit omnium creatorum, ex gratiosa bo-

nitate Dei, quæ cum misericordia est coniunctissima, teste Psalmo, *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* Misericordiam porro intelligimus, nisi ex nostri affectus, vnde misericordia dicitur, sensu. Non enim hic succedit philosophatio de misericordia, quatenus virtus, & quatenus affectus est distinguenda, & veritatis ratione Deo attribuenda. At tamen cum hic affectus absque mutatione nostri a nobis non concipiatur, misericordiam Dei citra motum seu passionem statuimus. Iustus est etiam Deus, tum per se, tum relatiue. Per se iustus est Deus propria iustitia, seu quia iustitia ipsa est, & a se sine causa priore iustus est. Id, quod ad differentiam hominis in integritate originali constituti notandum est. Homo enim ante lapsum per se iustus fuit, propria iustitia, sed non a se, verum creatoris beneficio & participatione iustitiæ. Relatiue est iustus Deus, non ex gratia, cum, vt dictum est, iustum ante se non nouit Deus, sed actiue respectu creaturarum, quibus dum prima causa est vel iustificando, vt, cum hominem peccatorem propter Christum reputat iustum, vel iustos faciendo homines, cum renouat eos, vt qualitatiue etiam iusti sint, tum iustas pœnas immittit in vindicta exercenda. Quæritur igitur, quomodo iustitia & misericordia, tum inter se, tum ex circumstantia, quod in pares & æquales conferantur, itaque vnius conditionis

ditionis respectu non sunt inuicem contraria. Dum enim Deus miseretur, iustitiæ pœnam condonat: dum punit, misericordiam remittentem videtur deserere. Nec est inter homines distinctio, quorum tamen nonnullos reiicit, quosdam vero recipit. Resp. Iterum pia modestia hic fateri iubet, conciliationem exactam non esse nostro ingenio promtam, nec ductu verbi Dei longius progredi licere. Paulus *Roman.* 9. diserte negat, iniustitiam esse apud Deum, siue misereatur, siue condemnet, & tamen ἐν τῷ ὅτι potius acquiescit, quam vt τὸ διότι inquirat, nisi quod a potestate, quam creator in creaturam, seu quam figulus in figmentum habeat. Etsi hæc a creatura immerito postuletur, quo ad calculum colligat, vtrumque probandum, vt iustum, ideoque contrarietatem non metuendam. Item, quod iustitia cum misericordia quodam temperamento conueniat, ita doceri a Deo tradat, quod is volens ostendere iram, & notam facere potentiam, multa tamen lenitate tolleret vasa iræ, vt per misericordiam demonstret diuitias gloriæ suæ. Omnium autem tutissime expeditur hæc disputatio, si deuoluta ad Christum in ipso abrumpatur. Hic etiam pro omnibus mortuus misericordiam in infidelibus damnatis, & iustitiam in credentibus receptis, aperte demonstrat. In

quo ceu medio interiecto inquisitorem d[illegible]
tineri oportet, & cauendum, ne inde vlte[illegible]
in arcanum Dei consilium perscrutando c[illegible]
scendatur.

CONFIRMATIO.

Num. 14. *Iehoua dicitur Deus multa miseri-cordia*. Exod. 34. *Misericors, clemens, patiens & multa miserationis*. Psal. 86. *Tu Domine bon[us] es, patiens, & multus misericordia*. Psal. 14[illegible] *Miserator & misericors Dominus, patiens, & multũ misericors*. Luc. 1. Zacharias Baptistæ p[a]ter, *viscera misericordia Dei* appellat. Chri[stus] inquit Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & pa[ter] vester, &c*. Ephes. 2. *Deus diues misericord[ia]*. Phil. 4. *Deus pater misericordiarum*. Deut. 3[2]. *Deus est veritas, & absq; vlla iniquitate iust[us] & rectus*. Psal. 5. *Iustus Dominus, & iusti[tiam] dilexit*. Psal. 115. *Iustus Dominus in omnibus vi[is] eius*. Esa. 45. *Deus iustus, & saluans non est præ-ter me*. Rom. 3. *Num iniustus est Deus? abs[it]*. Rom. 9. *Nunquid iniustitia est apud Deum? absit*.

DE DEO PATRE.
Locus III.

I. THESIS.

Pater hic dicitur Deus, non absolute, nec ta-men relatiue, non quoad creaturas, sed quoad vnigenitum filium.

EXPLI-

EXPLICATIO.

CVm patris nomen relatiuum ſit, Deo abſolute non conueniet. Relationes autem Dei, ſicut actiones Dei diſcernuntur in interiores & exteriores. Interna relatio eſt, non, quæ omnis egreſſionis expers ſit, ſed quæ Deitatem ad ea, quæ extra Deum ſunt, non egrediatur. Nam de interna dicitur egreſſus eius a diebus æternitatis, Mich. 5. *Exiuit enim a patre filius*, Iohan. 14. 16. 17. Sic tamen vt manſerit in patre. Iohan. 14. *Credite mihi, quod ego in patre, & pater in me eſt.* Iohan. 1. *Filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe nobis enarrauit.* Exiens ergo manet in eo, a quo exit, hoc eſt, non ſeparatione & diuulſione partis a parte ſeu toto, ſed egreſſione inexplicabili, & internam rationem ſeruante. Explicabitur autem interna relatio in quarta Theſi, ex eo, quod genuerit filium. Externa relatio eſt, quæ ad creaturas fertur. Etſi enim omnes in ipſo viuimus, mouemur & ſumus, *Actorum* 12. tamen Deus gloriam ſuam alteri non dat, *Eſaia* 42. & 48. Itaque extra Deum ſtatuitur, quicquid Deus in ſeſe non eſt. Communiter dicitur patris nomen alias eſſentiale, alias perſonale. Etſi autem eſſentia Dei non eſt extra Deum, conſideretur tamen in relatione iſta communitas paternitatis ad creaturas. Quod vero commune eſt, hoc eſſentiæ tribuitur propter vnitatem eius, quæ communem iſtam rationem parit, vnde

nomen patris essentiale dicitur, vt *Malach.* 2. *Numquid non pater vnus omnium nostrum?* Personale autem dicitur nomen, quod respectu vnigeniti filii, & relatione personæ ad personam dicitur, ne distinctorum confusio statuatur, etsi actioni Dei ad intra, qua etiam essentiæ communicatione pater filium generat, aliquo modo essentiale videatur, & sem potius, quam cum creaturas condendo pater factus est.

Confirmatio.

Ad confirmandam hanc Thesin ex sacris literis pertinent aliquot quæstionum dicta, non solum, quæ patrem filii appellent, sed etiam, quæ filii vnigeniti patrem nuncupent, & simul probent, quod filius cum patre sit æternus, vnus & verus Deus. Sint ergo in promtu hæc testimonia. Luc. 10. *Nemo scit, quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.* Etsi enim hoc loco de notitia, quæ est inter patrem & filium, agitur: tamen ἀντιστροφὴ appellationum patris & filii, naturam relatiuam huius doctrinæ diserte tradit. Iohan. 1. λόγος dicitur *filius, per quem omnia facta sunt.* Et rursus: *Vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti a patre.* Iohan. 5. *Qui non honorat filium, non honorat patrem.* Huc assumantur, quæ de filio vero & æterno Deo suo loco proponentur.

II. The-

II. THESIS.

Pater eſt perſona.

EXPLICATIO.

IN Theſi quarta de Deo dictum eſt, quod fuerit Eccleſiæ illata neceſſitas perſonæ ſanctæ diuinitatis appellandi. Explicatum eſt etiam, antequam ad dictationem harum Theſium accederemus, quid ſit perſona, nempe ſubſtantia indiuidua, ſeu ſingularis, id quod Sabelliani cum aliis negarunt. Theſis igitur ſecunda probare debet, quod pater ſit diſtinctum indiuiduum, & a filio ſit ſingularis, nec non incommunicabilis ὑπόστασις.

CONFIRMATIO.

Prima confirmatio a natura relatiuorum ſumitur, quæ ſine diſtinctione nunquam ſunt: Etſi autem vna perſona diuerſo reſpectu eaſdem relationes reſpicere poteſt, vt, cum quis filius eſt ſui genitoris, & rurſus pater ſobolis ſuæ reſpectu, tamen pater & filius mutua relatione vna ὑπόστασις non ſunt. Vtque hoc argumentum firmius ſit, ipſis actionibus internis ſimul innitamur. Patri ſoli tribuitur, quod genuerit filium, filio ſoli, quod genitus ſit, gignens autem & genitus diſtincta ſunt ὑφιστάμενα. His probationibus ſuccurrit patefactio diſtinctorum ὑφισταμένων, qualis eſt inter inſignes illuſtriſſima illa, quæ ad Baptiſmum

Chriſti facta eſt, vt ſupra Theſi quarta de-
recitata eſt. Cumque Chriſtus in delegatio-
ne diſcipulorũ ad baptizandum ita loquatur:
*Baptizate in nomine patris, filij, & Spiritus ſan-
cti.* Matth. 28. ipſeque *Ioh.* 14. Spiritum ſan-
ctum aliũ paracletum, quam ſe appellet: ma-
nifeſtum hinc eſt, quod filius quoq; alius ſit,
quam pater, id eſt, non ipſa perſona patris, ſed
alia. Illuſtriora vero hęc erunt, poſtquam pro-
prietates ſingularum perſonarum fuerint de-
monſtratæ.

III. THESIS.

Pater eſt prima perſona diuinitatis.

EXPLICATIO.

PRimus hic gradus ordinem ſignificat ex-
cluſo reſpectu temporis, vel inæqualitatis
eſſentiæ, aut dignitatis omniumque rationum,
quæ συναιδίαν perſonarum, vel ὁμουσίαν aut ὁμοτι-
μίαν earundem negent, vel in dubium trahant.
Vſurpatur hæc vox alias de Deo generaliter.
Eſt enim Iehoua primus & nouiſſimus, præ-
ter quem non eſt Deus. Eſa. 44. *Ante quem
non eſt formatus Deus, & poſt quem non erit.*
Eſa. 43. Hic igitur primus dicitur, quem non
ſolum in tempore nihil antecedat, ſed cui nul-
la ſit ratio prioris & poſterioris, ſed eodẽ mo-
do filius & primus eſt, & Spiritus S. ſicuti pa-
ter, quia ſunt vnus Deus eſſentia, quæ non eſt
in primam, ſecundam, vel tertiam diuiden-
da vel

da vel distinguenda. Hinc est, quod Paulus 2. *Cor. vlt.* non seruet ordinem, quem personæ poscunt, cum, inquit, gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Hæc igitur sanctificatio nunc hic facescat, vbi non tantum primum appellatur in Deo, sed etiam secūdi & tertii collatione intelligitur, id quod de personis, non de essentia accipiendum est. Et non tantum hic notetur ordo, sed etiam assumatur, quod de ὑποστάσεων reali distinctione dictum est, ne in sola ordinis relatione inhærens ea, quæ ordinem sustineant, negligat. Dicitur igitur in Thesi prima, Persona; atque hinc explicandæ sunt phrases, patrem esse ἄναρχον, ἀναίτιον, esse originem ceu fontem Trinitatis, qui tamen non habeat originem & principium, vt filius & Spiritus sanctus. Personarum enim respectu & ordinis ratione hoc intelligitur, cum filius sit a patre, & Spiritus sanctus a patre & filio, pater autem a nullo, seruata semper coæternitate, coessentialitate, & æqualitate atque paritate honoris personarum istarum.

CONFIRMATIO.

Ordinem quidem personarum seruat formula baptizandi, a Christo præscripta, Matthæi 28. *Baptizate in nomine patris, filii, & Spiritus sancti.* Sed hæc probatio infirmior est, vel ideo imprimis, quod alia dicta alium

ſequantur ordinem, vt modo vnum indic-
mus. Quo pertinet, quod ad Galat. 1. ſcri-
tur Paulus Apoſtolus, *non abs hominibus, n*
per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum ac De
patrem. Ad Epheſ. 5. 2. Theſ. 2. *Ipſe vero D*
minus noſter Ieſus Chriſtus. De quibus dict
hæ adferuntur cauſæ omnes verbo Dei co
ſtantes.

Prima, quia filius eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξη
χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, ſplendor gloriæ
character ſubſtantiæ patris Hebr. 1. *Vt qui vi-*
deat filium, videat & patrem. Ioh. 14.

Secunda. Quia filius miniſterio ſuo etiam
monſtrat patrem per ſe, etiam nulla ratione
ad nos facta: *Deum nemo vidit vnquam, niſi v-*
nigenitus filius Dei, qui eſt in ſinu patris ipſe
narrauit nobis.

Tertia: Filius mediatoris ratione primo lo-
co ponitur, vt per quem habeamus acceſſum
ad Deum patrem ad Epheſ. 2. & 3. Ita tamen, vt
quarto loco ſciamus æqualitatis rationem in-
teruenire, ſine qua impoſſibile eſſet patefier
acceſſum quendam ad Roman. 8. *Poſita im-*
poſſibilitate legis, quia infirmabatur per carnem
ad filium Dei neceſſitate quadam officium in-
uoluitur. Infirmitati igitur dicti teſtimonii
ſuccurrit iuſtiſſima & verbo Dei probata ra-
tio, quod pater ſit a nullo, filius a patre, ſpi-
ritus ſanctus a patre & filio, quæ pars doctri-
næ tum in ſequenti Theſi tum in filii & ſpi.
ſancti proprietatibus ſuis dictis ſtabilietur.

Quod

Quod autem hinc ſit ducendum tale argumentum, aperta teſtimonia ſcripturæ probant. Iohann. 5. *Non poteſt filius a ſemetipſo operari, niſi viderit patrem operantem.* Ac ne quis hinc imparitatem ſtatuat, addit, *quæcunque enim ille facit, hæc etiam filius* ὁμοίως *ſimiliter vel pariter facit.* Et rurſus, *vt omnes honorent filium, prout honorant patrem.* Iohann. 14. *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor ſed pater, qui in me eſt, ipſe facit opera.* Promiſerat autem his verbis gloriam æqualitatis inquiens, *non credis, me in patre, & patrem in me eſſe.*

IIII. THESIS.

Pater eſt perſona gignens ab æterno filium coæternum.

EXPLICATIO.

HÆc Theſis agit de proprietate perſonæ patris, quæ eſt gignere filiũ. Græci ἀγέννητον ingenitum patri tribuerunt, quæ vox differt, ab ἀγεννήτου. Ἀγέννητον Athanaſio Dialogo 1. De Trinitate eſt, τὸ μὴ πατέρα ἔχον, vel τὸ μὴ ἐκ τῆς ὑποστάσεως γεννόμενον, quod non eſt ex perſona genitum. Ἀγέννητόν ἐστι τὸ γενεσιουργὸν μὴ ἔχον, aut τὸ μὴ ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ γενεσιουργοῦ, quod non eſt a poteſtate opificis: Hoc commune eſt tribus perſonis, illud cõmune eſt patri & Sp. ſancto. Ideoque Atha. nõ tantũ cognationẽ vocũ diſtinxit, ſed etiam ἀγέννητον retinuit agnoſcere proprium

patris. Conuenit tamẽ patri, si vnigenitu[m in-]
telligatur, quod simul a nullo sit. Taliter e[nim]
est ἀγέννητον τὸ ἅγιον πνεῦμα, qui natus quide[m non]
est, sed tamen non est a nullo, cum sit a p[atre]
& filio, a quibus procedat. Simplicius & ac[com-]
modatius est, cum ingenitum non præbea[t gi-]
gnendi rationem, si patris idioma χαρακτηρισ-
κὸν, vt Græci proprietatem personalem app[el-]
larunt, dicamus, quod sit gignere seu gign[ere]
filium. Additur autem, quod ab æterno pa[ter]
genuerit filium coæternum, vt nõ solum[...]
sa ratione temporis æternitas patris, sed e[tiam]
coeternitas filii in ipsa generationis indica[tio-]
ne, in qua Arrius & eius sectatores tempo[ris]
interuentu multis vrserunt, intelligatur. E[t si]
vero in creaturis generatio a tempore & m[o-]
mento non potest liberari, quãdo tamẽ qu[is-]
piam pater actu est, non potest non ipso mo[-]
mento illi esse filius, vt ita ex correlatiuoru[m]
natura ab æternitate patris ad æternitatem fi[-]
lii, & contra insigne sit argumentum, quo[d]
Ambrosius ingeniose adhibuit & extendit[ad]
refellendum cauillum Arrii: *Si natus est fil[ius,]*
erat tempus, quando non erat filius. Hoc enim
posito necesse est: non solum filium non e[sse]
æternum, id quod Arrius contendit, sed eti[am]
patrem cœpisse, id quod Arrio religio fuit d[i-]
cere. Sic igitur Ambros. lib. 1. de fide ad Gra[-]
tianum cap. 5. *Cum patrem dixeris & filium de-*
signasti, quia nemo ipse sibi pater, cum filium no-
minas & patrem fateris, quia nemo ipse sibi filius

est, itaque nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio. Semper igitur pater, semper etiam filius item, fuit ne quando omnipotens Deus pater non erat & Deus erat? Nam si pater esse cœpit Deus, ergo primo erat, & postea pater factus est, quomodo igitur immutabilis Deus est, si enim antea Deus, postea pater fuit, vtiq; generationis accessione mutatus est.

CONFIRMATIO.

Ad Heb.1. Auctor epistolæ Deo patri tribuit filium, qui sit splendor gloriæ & character ipsius substãtię. Citatq; ad hoc testimoniũ psalmi secundi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et rursus illud Samuelis 2. cap.2. *Ego ero ei pater, & erit mihi filius.* Ad Heb.5. *Nemo sibi ipsi sumit hunc honorem, sed qui vocatur a Deo, sicut & Aaron, ita & Christus non sibi hunc tribuit honorem, vt fieret pontifex, sed is, qui dixerat ei, filius meus es tu, hodie ego te genui.* Mich.5. Iehoua dicit, *Ex te Bethlehē mihi egreditur, qui sit dominator in Israel.* Etsi autem de hoc dicto disputatur, & quidem ideo, quod egressiones in plurali nominentur inter phrases ab initio, & a diebus æternitatis oppositionem faciunt, duas natiuitates intelligentes, humanam videlicet temporalem, & diuinam æternam: Manet tamen in hac etiam explicatione confirmatio propositi nostri. Si tamen Hebraicum Mickeden, pro eo quod est ab antiquo, vt multi eruditi interpretantur, intelligitur;

tum illa vox de diuina generatione ac[...]
non obſtabit æternitati. Iohan. 1. *In pr[...]
pio erat λόγος. Hic vero λόγος dicitur, p[...]
vnigenitus a patre. Hæ Theſes de patre [...]
ciunt, quibus breuem adiicio explicatio[...]
eius clauſulæ, quæ definitio in libello ca[...]
chetico annectitur, quod nimirum pater c[...]
filio & Spiritu ſancto omnes res ex ni[...]
condiderit & conſeruet. Res ipſa ſuo lo[...]
probabitur. Hic autem eius fit mentio, q[...]
in patris agnitione ab interna ratione ad [...]
ternam patefactionem, pia meditatio de[...]
ctere debeat. In creatione enim cum fi[...]
non operetur a ſemetipſo, niſi viderit pa[...]
operantem. Iohan. 5. Pater autem dice[...]
hoc eſt, per filium, vt Iohan. 1. explicatur, c[...]
et, & Spiritus ſanctus incubando operi a[...]
Geneſ. 1. *Vt ex ipſo, per ipſum, & in ipſo* [...]
ſint omnia. Roman. 11. Confirmantur Th[...]
ſes, quę patrem perſonam, & quidem prim[...]
ſtatuunt. Monet præterea creatio, quod ſi[...]
gularitas vnius perſonæ, extra commun[...]
tem eſſentiæ non conſtat, ſed ſubſiſtenti[...]
ſingularem in eſſentia, quæ vna & in ſingu[...]
perſonis tota eſt, quaſi fundatam, nec pa[...]
definitionem ab eſſentia diuina plane ſep[...]
randam eſſe.

DE DEO FILIO.

Locus IV.

I. THESIS.

Fili[...]

Filius est æternus λόγος æterni patris.

EXPLICATIO.

CVm non videatur necesse, hoc loco hasce tractare Theses, primo, quod filius hic dicatur naturalis, non adoptiuus: secundo, quod filius sit persona: tertio, quod sit secunda persona diuinitatis: siquidem hæ Theses pendeant ex præmissis de patre, qui non nisi correlatiuo filio agnosci potest, & sic filium naturalem, eundemque singularem ὑπόστασιν demonstrat, idque etiam filium secundam personam probet, quod cum tres sint, & Spiritus sanctus a patre & filio procedat: Filius vero a patre generetur, non possit secundo loco alius, quam filius nominari, ideo omissa noua & immediata illarum confirmatione de λόγῳ propositionem instituimus, quo tamen ipso etiam prædicta quædam accedunt. Respondet autem Thesis iis, qui inquirũt, nũ λόγος officii tantũ ratione appelletur, an vero etiã secundũ substantiã, & affirmat vtrumq;, quomodo autem hoc fiat, nõ decernit. De similitudinibus, quæ alias adhibentur, sciendũ est, eas nõ improbari, si non tam modũ arcanũ, quam quod verbo Dei patefactũ sit, declarare intelligantur, vt animis nostris cõmodius percipiatur, vt quod libellus noster Catecheticus de sermone cogitationũ mentis effigie ὅμοιον proponit, vt dexterius tradat, non modũ generationis filii, sed quod filius sit imago integre lucens sapientia patris. Nã filius dicitur imago Dei inconspicui. Col. 1.

Character substantiæ patris. Hebr. 1. *Sa*
patris. Prouerb. 8. Quod si vero aliqui
quam certum docuerit, filiũ a patre in
se cogitando gigni, tum vlterius, quam v
bum Dei procedat, excurritur. Dicam po
cum Ambrosio de fide ad Gratianum cap
Mihi impossibile est generationem scire se
tam, mens deficit, vox silet, non mea tantum
etiam angelorum. Item, *Si Paulus ea, que*
diuit, raptus in tertium cœlum, ineffabilia d
quomodo nos exprimere possumus paterna ge
rationis arcanum, quod nec sentire potu
nec audire.

CONFIRMATIO.

Caput 1. Iohan. vtramque habet ration
& eam, quæ patris respectu, hoc est, subs
tiæ ratione, & eam, quæ nostri respectu, h
est, quæ officii ratione consideratur. Ioh
nes enim diserte λόγον in principio fuisse sc
bit, id est, ante omnia, quæ facta sunt, vt Co
loss. 1. explicat, *Cum quibus principium tem*
ris exstitit. Genes. 1. Reuocat ergo λόγον ra
nem extra temporarium respectum ad æ
nitatem, & rursus cum ait, λόγον *apud Deu*
fuisse. Item, *Deum fuisse & mundum per*
factum, non potest λόγος non esse ὑφιστάμεν
subsistens quiddam. Non igitur ῥητὸς, sed
ώδης λόγος est, vt Ignatius inquit ad Magne
num. Et Epiphanius pag. 364. ad verba I
annis θεὸς ἦν ὁ λόγος annotat, ἵνα μὴ τὸν ἐν

ἀλλὰ τὸν ἐν ὑποστάσει λόγον νοήσωμεν, id est, ne verbum prolatum, sed subsistens intelligamus. Quod ad officium λόγος etiam dicitur, quod enarret decretũ Trinitatis Ioh.1. *Filius qui est in sinu patris ipse enarrauit nobis*, ad Heb.12. *Videte ne aspernemini* τὸν λαλοῦντα, cum, qui loquitur, & qui de cœlis est.

II. THESIS.

Secunda persona Trinitatis vna quidem est, sed quondam vna diuinitatis nunc duabus naturis constans, diuina videlicet & humana.

EXPLICATIO.

RES plana est in Thesi, cum λόγος ante incarnationem in sola deitate substantiã aut personã habuisse, in ipsa vero incarnatione eadem ὑπόστασις duabus constare intelligitur. Græce hoc discrimen ita notatur, cum λόγος ἀσυνθέτως vel συνθέτως consideratur, nec hoc idem est, cum eo, quod dicitur λόγος alias absolute, alias respectu officii consideratur. Aliud n. est nõ solum cũ λόγος dicitur ἀσυνθέτως, & nondum caro factus, sed etiam incarnatus, quam cum officii relatione agnoscitur, quia ex officio, nec persona, nec Deus, nec homo est, sed ideo hæc persona non solum Deus mansit, sed etiam caro facta est, vt officio saluatoris plenissime fungeretur. Et officium in se recipit λόγος ante omnia secula ; atque nondum incarnatus. Præordinatus enim fuit ante conditum mundum, manifestatus autem

extremis seculis. 1. Petr. 1. *Et pater nos dilex[it] antequam iacerentur fundamenta terræ*, ad [E]phes. 1. Est igitur hoc officium λόγῳ etiam a[nte] huc ἀσυνθέτως iniunctum, quique ante incarna[]tionē intercessit pro genere humano. Incar[]natus etiam manet persona, estq; Deus & ho[]mo, & si pro reprobis non intercedat, sed [] hoc iudicis, non vero saluatoris officium e[x]erceat. Quamobrem errant, qui λόγον ἀσυν[θετον] seu non incarnatum & ratione officii con[si]deratum, ita conferunt, vt isti officii rela[tio]nem hac distinctione adimant.

CONFIRMATIO.

λόγος autē filius Dei fuit psona Deitatis [ab] æterno, itaque ante incarnationem, & tam[en] caro factus est, grauissimo teste Ioanne ca[p.] 1. *In principio erat verbum.* Item, *Verbum [ca]ro factum est.* Quod vero sequitur: *Vidim[us] gloriam eius, quasi vnigenitum a patre*, hoc [v]nitatem personæ in duabus naturis asserit, [si]cut etiam appellatio *Emanuelis*. Est enim nomen Immanuel nomen proprium, & v[]nius indiuidui appellatio, significans nobi[s]cum, id est, cum hominibus Deum, hoc e[st] duas naturas coniunctas in vna persona, Lu[]cæ 1. *Quod ex te nascetur, filius Dei vocab[itur].* Matth. 16. *Filius hominis est filius Dei v[iui].* Ad Roman. 5. & 9. *Hic vnus Christus Isra[eli]tarum sunt patres, ex quibus Christus secund[um] carnem, qui est super omnia Deus benedict[us in] secula seculorum.*

III. Th

III. THESIS.

Secunda persona diuinitatis est verus æternus Deus, coessentialis coæterno patri.

EXPLICATIO.

IN Thesi præcedenti probatum quidem est, secundam personam Deitatis esse Deum & hominem, sed tanquam in loco generaliori, minusque proprio, breuius, quam necessitas postulabat, rem tractauimus. Resoluenda ergo nunc est Thesis illa, & de Deitate filii, qui dicitur IESVS CHRISTVS, plura sunt firmamenta colligenda. Distinguam autẽ confirmationem in aliquot classes.

I CONFIRMATIO.

Ex appellatione Dei propria. Manifesta sane est nuncupatio veri Dei, Rom. 9. *Propter annexa propria Christus est Deus super omnia benedictus in secula.* Verum Iehouæ appellatio etiam sola hac auctoritate pollet, vt cui tribuatur, eum verum Deum esse conuincat. Num. 14. *Israelitæ dicuntur tentasse Jehouam.* Hoc Paulus 1. Corinth. 10. de Christo interpretatur. Esaiæ 6. vidit Iehouam Propheta in maiestate, quod Iohan. 12. Christo in gloria ab Esaia viso accommodatur. Zachar. 2. Filius Dei suum aduentum per os Prophetæ prædicens, ait: *Lauda & lætare filia Syon, quia ecce veniam, & habitabo in medio tui, ait Iehoua, & congregabuntur gẽtes multæ, &c.* Eadẽ prædictio repetitur Zach. 9. Et Christo ac

commodatur. Matth. 21. Iehouæ autem appellatio hic mittenti & misso attributa, ius probat veram Deitatem filii, siquidem solum nomen veri Dei proprium arguit esse verum Deum, sed etiam in comparatione filium eundem cum patre Deum demonstrat quod addit prophetia tunc cognosces, plura argumenta esse obseruanda monet.

II. Confirmatio.

Ab vnitate communis essentiæ Dei, quia tum est pater, filius & spiritus sanctus. Vnum esse Dei essentia & trinum personis supra probauimus, quod si igitur cum patre filius vnus Deus est, erit verus Deus essentia. 1. Iohan. 5. *Tres sunt, qui testimonium perhibent de cœlo, pater, λόγος & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Iohani. 10, inquit : *Ego & pater vnum sumus.* Iohann. 14. *Ego sum in patre & pater in me.*

III. Confirmatio.

A proprietate filii. Sacra scriptura non tantum hanc psonam filiũ Dei appellat, quemadmodũ etiam adoptiui nũcupãtur, sed addit etiam quasdã differentiæ notiones, vt hic filius vnicus proprius intelligatur. Appellat n. ipsum *vnigenitum filium Dei*. Iohann. 1. & 3. *Imaginem Dei inuisibilis, primo genitum vniuersæ creaturæ, quoniam in ipso sunt creata omnia.* Collos. 1. *Characterem substantiæ patris* Hebre. 1. *Hic proprius est filius Dei.* Ad Roman. 8. *Sine enim spiritus*

spiritus communicatione nemo est Christi, & quisquis spiritum eius accipit, spiritum adoptionis habet, qui spiritus testatur nos esse filios Dei. versi.16. *Quod si filii etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, versi.17. Quod si quis obiiciat, proprietatem personæ filii a patre distinctam ad probationem, quæ identitatem Deitatis statuat incommode adhiberi, huic respondeo: Argumentum præsens contexi non e proprio consistẽdi modo, qui cuiusque singularem ὑπόςασιν constituat, sed ex proprio generationis. Filius n. naturalis essentia patri æqualis est. Quod si igitur pater verus Deus est, filium etiam genuit verum Deum.

IV. CONFIRMATIO.

Ab attributis essentiæ diuinæ Christus dicitur *Deus fortis & pater æternitatis.* Esa. 9. *Rex seculorum.* 1. Timoth. 1. *Primus & nouissimus.* α & ω. Esai.44. & Apocal. Ioh. 1. Item *est omnipotens vt pater.* Iohann. 10. *Oues meæ non peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam ex manu mea, pater meus, qui dedit eas mihi, maior est omnibus, neq; quisquã potest eas rapere ex manu patris mei Ego & pater vnum sumus.* Ioh. 5. *Sicut pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio vitam habere in seipso.* Quam sententiã Dominus Lutherus in vltimis verbis Dauidis interpretatur de æterna datione per generationem æternam. Iohann. 16. *Omnia quæ pater habet, mea sunt.* Ibidem Apostoli de

Christo dicunt, *Nunc scimus, te nosse om-* *nec opus est tibi, vt quisquam interroget te,* *hoc credimus, te a Deo exiuisse.*

V. Confirmatio.

Ab operibus Dei propriis. Opus creatio- est proprium æterni patris & veri Dei. Na- Esaiæ 40. dicitur. *An non audiuisti, quod De- æternus crearit terminos terræ.* Et Ierem. 10 *qui cœlum & terram non crearunt pere- terra.* Pater autem *dicendo* creauit Gen. *& verbo Dei cœli facti sunt.* Psal. 33. *Per i- mnia facta sunt.* Iohan. 1. Collos. 1. Et ad He- 1. *Qui* Esai. 43. inquit: *Ante me non est form- Deus, & post me non erit. Ego sum Iehoua, non est absque me saluator.* Item. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et cap. *Ego sum primus & nouissimus & absque me n- est Deus, deleui vt nubem iniquitates tuas, quasi nubeculam peccata tua.* Hunc Chri- se esse probat ipso opere Marc. 2. & Luc. Et Iohann. 5. de se testatur inquiens: *Sicut p- ter suscitat mortuos, ita & filius, quos vult viui- cat.* Iohann. 5. *Hæc scripta sunt, vt credatis I- sum esse Christum filium Dei, & vt crede- habeant vitam per nomen eius.*

VI Confirmatio.

Ab honore & cultu soli Deo conuenien- Deut. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum a- dorabis, &c.* De filio autem Dei primoge- dicitur Psal. 97. Teste epistola ad Hebr. cap.

Adora-

Adorent eum omnes angeli. Et quod Esai. 45. *Is qui se solum nec præter se alium esse Deum pro-fitetur, hic,* inquam, *quod ait, mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Hoc ad Rom. 14. & Phil. 2. ad Christum accommodatur:. Nec minor est honor filii Dei, quam patris, sed æqualis vtrique exhibetur. Id, quod ex baptismi forma exstruxit Basilius epistola 78. *Baptizari nos oportet*, inquit, *sicut accepimus, credere autem sicut baptizati sumus, glorificari autem sicut credimus patrem, filium, & spiritum sanctum,* Iohann. 5. *Omnes honorent, prout honorant patrem, qui non honorat filium, non honorat patrem.*

IV. THESIS.

Secunda persona diuinitatis ex Maria virgine assumsit humanam naturam veram.

EXPLICATIO.

HAnc Thesin eius esse necessitatis, vt nobis vera consolatio constet, testātur multa sacræ scripturę testimonia. Quia enim hac assumtione opus fuit ad redemtionem generis humani, non aliam quam humanam naturam, eamque non nisi veram τῷ λόγῳ copulari oportuit Itē cum seruandi, non abolendi hominis gratia facta sit τοῦ λόγου incarnatio, nullo modo abolitioni Eutichianæ fauendum est: quāobrem hæc Thesis nō est leuiter, sed serio cōsiderāda & defendēda. Inserui aut mētionē virginis, quod ita scriptura nos doceat,

&c id, quod communi ſymbolo Apo
profitemur, ſacrarum literarum calculo
firmari oporteat.

CONFIRMATIO.

Chriſtum in natiuitate temporali hab
matrem virginem, id eſt, quæ homo exſi
vere ex ſeſe, ſed ſine congreſſu cum viro, co
ceperit filiũ illũ, quẽ peperit, hoc manifeſ
dictis ꝓbari poteſt. Conſideretur tamẽ imp
mis hoc, q creator Adamo, ne ſolus eſſet, le
tur creaſſe e coſta viri mulierẽ, quã Adam a
gnouerit carnem de carne ſua, & vt ideo in
id eſt, ἀνδρὶς ſeu virago, vt Aquila vertit, n
minaretur, decreuit. Qua voce talem indic
uit, quæ viro deſponſata eſſet, quæ licet nõ
modo, quo mulier ex carnali copula cenſet
ſingulari tamen cognitione caro de car
ſponſi æſtimaretur. Et hiſtoria docet, fuiſſe
ſtam neceſſitudinẽ carnis de carne, cum pro
miſſio de ſemine mulieris ederetur inter vi
& mulierem. Prima igitur promiſſio ad vi
ginem deſponſatam viro dirigitur, id qu
poſtea de virginitate apertius fuit explicatu
Eſa. 7. *Ecce virgo prægnans concipiet.* Ha
ma enim, Angelo Matth. prim. Interprete,
virgo. Et vtitur Gabriel iſto loco Prophe
teſtimonio hac intentione, vt remoueat ſuſ
cionem violatæ pudicitiæ ſeu virginitatis,
de Maria Ioſeph conceperat. Ipſa etiam Ma
ria ad Angelum ait, ſe virum non cognouiſſ

quod

quod angelus vt verum Luc.1. acceptat, eamque non a viro, sed spiritus sancti interuentu & virtutis altissimæ obumbratione grauidam esse annunciat.

De vera humana Christi natura promissio seminis mulieris, *Genes.* 3. & *Abrah.* 2. *Genes.* 22. diserta est. Quapropter epistola ad Hebræ. 2. conficit inde aliarum creaturarum negationem. *Non angelus*, inquit, *sed semen Abrahæ assumsit.* Et addit: *Vnde debuit per omnia similis fieri fratribus, cū exceptione tamen peccati* vt meminit cap. 4. 2. Reg. 7. Deus ad Dauidem ait: *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te,* &c. Psal. 131. *Dominus iurauit ipsi Dauid veritatē, nec frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponā super solium tuum.* Christus autē est filius Dauid: Matth. 22. Item, *de semine Dauidis Deus secundum promissionem suscitauit Israeli saluatorem Iesum.* Actor. 13. *Filius Dei factus est ex semine Dauidis secundum carnē* ad Rom. 1. Athanasius ad Epictetum in epistola Corinthi episcopum, quę recitatur apud Epiphaniū sub refutatione Dimeritarum, vrget in verbis angeli ad Mariā Luc. 1. phrasin τὸ γεννώμενον ἐξ σοῦ Indeque concludit, veram humanam naturam ex Maria assumtam esse a filio Dei. Ad Gal. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium factum ex muliere.* Et hoc dicto Basilius in disputatione de spiritu sancto cap. 5. contra Manichęos grauiter vrget pondus

præpositionis ἐκ. *Si dixisset*, inquit, *per... re*, potuisset ostendi παροδοτικὴ ἔννοια τῆς ... id est, *transitorius generationis intellectus*... cum dicit *ex muliere*, sufficienter declara... munionem naturæ nati ad genetricẽ. Et ... bolũ Athan. sic habet: *Dominus noster I... Christus, filius Dei Deus & homo est, De... substantia patris ante secula genitus, & hom... substantia matris in seculo natus.* Nec co... tantum nobis Christus coessentialis est, ... rumetiam anima rationali & immortali, ... ipse dicat, *tristis est anima mea vsque ad... tem*, Matth. 26. & Luc. 23. *Pater in manu... trado spiritũ meũ.* Quod de anima imm... expresse loquitur. Et Augu. contra Feli... cap. 13. *Christus nõ est perfecte mediator no... animã nostram non assumsit, quæ & ipsa pe... vt caro pessime vulnerata est. Itaq; sanand...*

V. THESIS.

Duæ naturæ in Christo vnitæ sunt in v... personam ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχ... *inconfuse, inconuertibiliter indiuulse & ... sibiliter saluis propr etatibus vtriusq;.*

EXPLICATIO.

VErba huius Theseos sunt desum... Symbolo Chalcedonensis Synodi, ... Eutichis iam mortui Hæresin damnauit... ponitur a. ista congeries simul Nestorii &... tichis erroribus, cum ille Christum p... geminam naturam in duas personas di... rit, hic ex personæ vnitate naturarum ...

nē aboleuerit, vt ἀσυγχύτως & ἀτρέπτως Eutichianismum, ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως Nestorianismū contrarietate respiciat.

CONFIRMATIO.

Confusionem & conuersionem vnius naturæ in alteram manifeste refutant testimonia, quæ post incarnationem Christum & filium Dei & filium hominis appellant. *Filius hominis est filius Dei*, inquit, *Petrus*, *suggerente Deo*, *& grauiter approbante Christo*. Matth. 16. & 26. Iesus Caiphę roganti, an ipse sit Christus ille filius Dei, respondet: *Tu dixisti, quin etiam dico vobis ab hoc tempore videbitis filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venietem in nubibus.* Probatur ergo naturarū duplicitas & distinctio ex ipsa vnione perpetuo incolumi, salua etiam fuit & confusionibus expers proprietatū differentia. Diuinis n. operibus & miraculis demonstratur Christus verus Deus. Ioh. 1. Deus n. probatur quod omnia per ipsum facta sint, & absq; eo factum sit nihil, quod factum est. Item, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre.* Ioh. 20. *Hæc signa scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum filium Dei.* Et ibidem, Christus sese videndum Apostolis & contrectandum Thomæ offert, cui historiæ Luc. 24. addit, quod Dominus dixerit, *Contrectate me & videte, nā spiritus carnē & ossa non habet.* Rom. prim. Apostolus describit Euangelium suū, quod sit de filio Dei facto ex semine Dauidis

ſecundum carnem, declarato autem po
ſecūdum ſpiritum ſanctificationis per re
rectionē a mortuis. Ne autem diſtinctio
pter diuulſionem habeatur, & ex naturiſ
gulis ſingulę perſonæ fiant, dicta de vn
perſonæ ſub Theſi ſecunda allegata huc
ferantur. Quo adiiciatur teſtimonium: 1
Timoth. 2. *Vnus mediator Dei & homin
homo Ieſus Chriſtus*, cum allegatione cauſſa
ob quas mediatorem iſtum vnū oportu
Deum eſſe & hominem, quas paucis hiſd
ctis complecti poſſumus. Ad Gal. 4. *Miſit D
filium ſuum in terras, factum ex muliere, f
ctum legi obnoxium*. 2. Corinth. 5. *Eum, q
non nouit peccatum, pro nobis peccatum fec*
Luc. 24. *Oportuit Chriſtum pati & reſurg
tertia die*. 1. Petri 5. *Chriſtus paſſus eſt pro no
carne*, & cap. 3. *Mortificatus quidem eſt car
viuificatus autem ſpiritu*. 1. Corinth. 2. *Dom
num gloriæ crucifixerunt, at in carne damna
peccato, &c.* Rom. 8. *Et per mortem abol
morte*. Oſe. 13. & 1. Corinth. 15. *Deſtructeq
Sathana, qui mortis habebat imperium*, ad He
2. *Sanguine Ieſu Chriſti emundamur*. 1. Ioh
*Nulla eſſet condemnatio iis, qui ſunt in Chriſ
Ieſu*. Rom. 8. *Cum ipſum ſacerdotem hab
mus, qui in æternum maneat, ideoque æter
habeat ſacerdotium*. Hebr. 7. Quæ perpetui
non ſolum Deitatis, ſed etiam humanitatis
tione accipienda eſt. Non enim habem
pontificem, qui non poſſit affici ſenſu inf

mitatum

mitatum nostrarũ, sed *tentatum in omnibus similiter* nobis absque peccato. *Hebr.*4. Et in propheta Esa.55. Dominus, inquit, *Feriam vobiscum pactum æternum*, &c. Id quod Paul. Actor.3. sic reddidit: *dabo vobis sancta Dauid fidelia.* Vt ergo promissio Dauid facta, & in lege hominis, quę sit Iehoua fundata, quemadmodum ipse loquitur. 2. Samuel. 7. vt, inquã, promissio Dauidis fidelis est, id est, constans & perpetua, ita fundamentum eius conuelli & conturbari nunquam debet. Sed discrimen naturarum in vnitate personæ Christi perpetuo inspiciendum & credendum est.

VI. THESIS.

Christus est mediator secundum vtramq; naturam.

EXPLICATIO.

CVm dictum sit, mediatorem oportuisse Deum & hominem esse, non difficile foret attento ex iisdem probare, quod Christus mediator secundum vtramq; naturam. Verum, vt tyronibus inseruiretur, & confirmatio definitionis mediatoris, quæ in libello extat, accuratius accommodaretur, quæstio hęc singulariter tractanda fuit. Notetur autem, quod definitio mediatori inter Deum & homines constituto, tribuat has partes officii. I. *Redemtionem*, quæ fit applicatione meritorũ, satisfaciendo iustitiæ Dei, & sustinendo pœ-

nas pro peccato. II. *Intercessionem.* III. *Iustificationem*, quæ fit applicatione meri[illegible] præstitorum, & remissionem peccator[illegible] ad imputationem iustitiæ. IV. *Saluati*[illegible] quæ ab auditione precum fidelium co[illegible] netur. In quæstione, quæ persona diui[illegible] assumserit humanam naturam, eadem nu[illegible] ro & ordine hoc recensetur: vt Iesus C[illegible] stus Immanuel sit noster mediator, redem[illegible] iustificator & saluator. Vbi mediator sp[illegible] lius dicitur ratione intercessionis. Interc[illegible] autem redemtioni non sine causa pręmi[illegible] aut postponitur, quia filius Dei deprec[illegible] satisfactionem subiecit. Rursus autem a[illegible] factione instat interpellando. Ad partes[illegible] officii respicientes, oportet mediatorem v[illegible] que deferre naturæ. Stancarus soli natur[illegible] manæ hoc munus asseruit, vt Osiandrum[illegible] Deitate iustitiam nostram ponentē refut[illegible] Verum, vt Osiander sibi tantum proposu[illegible] stimonia de Deo nostro & saluatore; Sta[illegible] rus vero ea solūmodo considerauit, q̄ red[illegible] tionē in passione, morte, & sanguine coll[illegible] rent, ita vterq; falsus fuit, in eo, quod vtri[illegible] naturæ vnionē in persona, & hinc sequen[illegible] κοινωνίαν atq; communicationem neglex[illegible]

CONFIRMATIO.

1. Tim. 2. *Vnus est Deus, vnus etiam* [illegible] *tor Dei & hominū, homo Iesus Christus.* Ho[illegible] stimonio multū pro se vsus est Stancarus[illegible] rū contra manifestā vim verborum. Ho[illegible]

Iesus Christus non est vna tantũ natura, sed quod in Maria virgine natũ est, ex Spir. S. est, *Matth.* 1. Et filius Mariæ filius est Dei altissimi, *Luc.* 1. In natiuitate illa vnctus Spiritus Domini, *Esa.* 61. *Luc.* 4. Absq; mensura, *Ioh* 3. Vt esset Iesus, qui saluaret populum suum a peccatis suis, *Matth.* 1. Quamobrem Paulus 1. Cor. 5. inquit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Rom. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. Quod enim legi erat impossibile, quia infirmabatur per carnẽ, hoc Deus misso filio suo, in similitudine carnis, &c.* Hinc Deus sanguine suo dicitur acquisiuisse Ecclesiam, *Act.* 20. & sanguis eius pretiosus æstimatur, 1. *Pet.* 1. Quia est sanguis filii, emundans nos ab omni peccato, 1. *Ioh.* 1. & *Hebr.* 2. χάριτι θεοῦ, beneficio Dei Iesus pro omnib. gustauit mortẽ. *Heb.* 9 Sanguis Christi, qui p spiritũ æternũ seipsum obtulit inculpatũ Deo. *Heb.* 4. Quia habemus pontificẽ magnũ filiũ Dei, accedamus cũ fiducia ad thronũ gratiæ. Hũc adorãt populi vt Dominũ, q corda omniũ norit, *Act.* 1 Huicq; Stephanus tribuit, quod audiat gemitus populi sui, *Act.* 7. Exauditio autẽ adfert certã saluationẽ. Si n. scimus, eũ audire nos, quicquid petierimus, scimus nos habere petitiones, quas ab eo petimus. 1 *Ioh.* 5. ad Heb. 7. Plene seruare potest eos, q p ipsũ accedũt ad Deũ, semper viuens, vt interpellet pro eis. *Heb.* 9. Ingressus est in cœlũ, vt appareat in conspectu Dei pro nobis. Omnia autẽ ad officiũ mediatoris spectantia,

coniunctim enarrantur. *Rom.* 8. In
vero ponderoſe a verſu 28. vſq; ad finem.

VII. Thesis.

Chriſtus eſt ſummus & æternus ſacerdos.

Explicatio.

IN doctrina de officio mediatoris Chr
proponenda, Spiritus ſanctus gaudet i
ginibus ſacerdotis & regis, quamobrem
iam Leuitici ſacerdotes & rex Dauid typi
Chriſti maxime frequentes, ad quos e
celebris de Chriſto Pſal. 110. nos deducit,
gni & ſacerdotii appellationibus vtens.
batur autem, Chriſtum eſſe ſacerdotem,
definitionē ſacerdotis reſpiciamus, quæ
partialis confici ſoleat, enumeratione ha
partium præcipuarū ſacerdotalis officii c
ſtat, vt videl. doceat, ſacrificet, oret, & be
dicat pontifex. Teſtimonia ſubiectæ con
mationis ad iſtum ordinem concinnabim
Addita ſunt autem ſummus & æternus, e
theta, ne quæuis illorum operum ratio,
perfectiſſima & æterna conſideretur.

Confirmatio.

Primum ex ſacris literis quatuor præ
ſacerdotum officia probata, poſtea in Chri
ſingula ſumma oſtendam.

I. Sacerdotis ergo eſt docere. Nam *Le*
10. præcipitur, vt ſacerdos habeat ſcienti
inter ſanctum & prophanum diſcernendi,

ter mundum & pollutum, vt doceat filios Israel omnia statuta, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysis. Idem repetitur Ezech. 44. & Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ab ore eius, quia angelus Domini exercituum est.*

II. Sacerdotis porro munus est sacrificare, id quod in Leuitico Moyses ex mandato Dei ordinat pluribus. Leuit. 9. *Aaroni mandat Moyses, vt accedat ad altare, & immolet.*

III. Sacerdotis est orare pro populo. Leu. 9. Moyses ad Aaronem ex præcepto Dei ait: *Offer hostiam, & deprecare pro te & populo, cumq; mactaueris hostiam populo, ora pro eis, sicut præcepit Dominus.* Leuic. 16. *Pontifex sanctuarium ingreditur, vt oret pro se & domo sua, & pro vniuerso cœtu Israel.*

IIII. Sacerdoti mandatur benedictio. Numer. 6. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Loquere Aaroni & filiis eius, sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat tibi Dominus faciem suam & misereatur tui.* Lex autem Moysis futurorum habuit bonorum vmbram. Hebræorum 10. Et sacerdotes legis deseruierunt ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων, exemplari & vmbræ rerum cœlestium. Rom. 8. Vmbræ vero ipsius est corpus Christi. Collos. 2. Hæc ergo recte ad Christum accommodantur.

I. Christus docuit, & quidem sapientiam sibi immediate cognitam, omnibus aliis ho-

minibus ignotam. Ioh. 1. *Deum nemo vid[it]... quã vnigenitus filius, qui, &c.* Hinc Apost. P[aul]... discrimen sumit inter se suosque ministr[os &] Christũ. 1. Cor. 2 cũ inqt, *Quis nouit mentẽ D[o]mini, qui instructurus sit eũ, nos autẽ mentẽ Ch[ri]sti habemus*, i. e. ex Christi re uelatione habẽt A[postoli] postoli quod docẽt. Christ⁹ aut in sinu patris co[n]cóspiciendo cognouit omnia, & factus est [no]bis sapiẽtia a Deo. 1. Cor. 1. docens ὡς ἐξουσίαν [ἔχων] tãquam habẽs potestatẽ. Matt. 7. Cũ Apo[stoli] fuerint ministri Christi. 1. *Cor.* 4. Et ex plen[itu]dine Christi oẽs accipiãt. *Ioh.* 1. Sic ad Heb[r.] dicitur, *aliã esse rationem doctrinæ Christi, qu[am] cum singuli proximum aut fratrem suũ doc[ent].*

II. Christus sacerdos fuit sacrificio om[nes] alios superans. *Heb.* 7. Sacerdotes legis plur[es] facti sunt, quod mors prohiberet eos per[ma]nere. At Christus propterea, quod manet in æternum, perpetuum habet sacerdotium, vnde & seruare potest eos, qui per ipsum ac[]cedunt ad dominum, *ad Hebr.* 8. Tanto præ[]stantius ministerium sortitus est Christus, quanto præstantioris fœderis intercessor e[st]. *Heb.* 9. Adueniens Christus pontifex futuro[]rum bonorum per maius ac pfectius taber[na]culum non manibus factum, neq; per sang[ui]nem hircorũ, aut vitulorũ, sed p propriũ san[]guinẽ ingressus est semel in sanctuarium æter[]nam redemtionem nactus. *Hebr.* 10. *Sancti[fi]cati sumus per oblationẽ corporis Iesu Christi se[]mel factam.* Omnis igitur sacerdos astat quo[ti]dis

die offerēs & easdē sæpe offerēs hostias, q̃ nūq̃ possūt auferre peccata. Hic v. vna pro peccatis oblata victima in sempiternū sedet ad dexterā Dei. Itē: *Vnica oblatione cōsecrauit in æternū eos, qui sanctificātur*. Itē: *Habemus libertatē ingrediēdi in sanctuarium per sanguinem Christi.*

III. Christ⁹ orat ꝓ populo suo, id q; egregie explicat. Ioh. 17. *Summus autē est intercessor, que pater semper audit*. Ioh. 11. *In quo omnes promissiones sunt etiam & amen*. 1. Cor. 1. *Et per quē adoratores veri habēt aditū ad patrē*. ad Ephes. 2. *Siquidē in eius nomine*. Ioh. 14. *orādū est ? Qui ipse semper viuit, vt interpellet pro nobis*. Hebr. 7. *& nūc etiā apparet in conspectu Dei pro nobis*. Heb. 9. IV. Nulli magis ꝓpriū est benedicere, quā Christo. Ipse n. est Deus benedictus in secula. *Ad Rom.* 9. Est semē illud Abrahæ, in quo benedicētur omnes gētes. *Gen.* 21. Explicante hoc ita Paul. Gal. 3. *Christus nos redemit a maledictione legis, dum ꝓ nobis factus est maledictū. Scriptū est n. maledictus omnis, qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ exstet in Christo Iesu* Act. 3. Petrus sic Israelitas alloquitur, *vobis primū Deus excitatū filium suū Iesum misit, qui benediceret vobis : Hic est qui benedictione mādando Leuitis inquit: Inuocabūt nomē meum super filios Israelitas, & ego benedicā eis*. Num. 6. Sic igitur omnibus sacerdotis partibus, & quidē in gradu absolutissimo cōgruentibus Christo, certum est, ipsum esse summū sacerdotē, & æternū, vt eū Psal. 110. appellat.

VIII. Thesis

Christus est rex æternus & cœlestis.

Explicatio.

VT hæc Thesis dextre muniatur, testim-
nia primum notanda sunt, quæ partes of-
ficii regũ præcipuas tradant, tum in collecti-
one & obseruatione subditorum, tum in pro-
fligatione & deletione hostium. Deinde il-
partes in Christi officio demonstrentur, ea-
demq; in gradu eminentissimo agnoscantur.

Confirmatio.

Cum Deus consilium suum, 1. *Reg.* 9. in-
dicaret Samueli, de Dauide rege constitue-
do, inquit: *Saluum faciet populum meũ à Phi-
listeis.* Hic regi certus populus ab hostibus a-
serendus decernitur. Suntque perpetua hæ
magistratus adiacentia, vt bonis sit bono, ma-
lis vero terrori, *Rom.* 13. Constitutus ad la-
dem recta facientium, & ad vltionem mal-
perpetrantium, 1. *Pet.* 2. Has ergo duas pa-
tes in Christo rege ita probamus. Rex a pr-
cipuo beneficio eleganter pastori compa-
tur, quod pascat & nutriat populum suum, v-
luti pastor oues. Hic Christus pastor dicit-
bonus, *Ioh.* 10. quo pastore nihil deerit nobi-
sed ad læta pascua & aquas refectionis deduc-
mur, *Psal.* 23. Qui regit Israel, & veluti oues
deducit Ioseph, *Psalm.* 80. Cuius populus e-
spontaneus, *Psalm.* 110. In quo florent & re-
gent iustitia, pax, & gaudium, *Rom.* 14. Ite-
po-

positus est benedictio in seculũ, *Psa.* 21. & finaliter saluat subditos; Id quod Christo, vt regi attribuitur, *Matth* 25. Est boni porro pastoris pedo suo tueri & solari oues, *Psal.* 23. Id quod Christus facit, animã relinquens ꝓ ouibus, vt arceat lupũ, *Ioh.* 10. Itẽ delere hostes regni sui. Christus enim aboleuit mortẽ, 2. *Tim.* 2. Per mortẽ aboleuit eum, qui mortis habebat imperium, Sathanam videl. *Heb.* 2. Exspoliatosq; principatus & potestates ostentauit, palam triumphans de illis, *Coll.* 2. & *Psal.* 68. Et in fine fiet, quod scriptum est, ***Absorpta est mors in victoriã, vbi tua mors victoria, vbi tuus o inferne aculeus, aculeus autẽ mortis peccatum est***, *Os.* 13. 1. *Cor.* 15. Rebelles item & cõtumaces homines regit in virga ferrea, & quasi vas figuli confringet eos, *Psal.* 2. Ponet eos tanq̃ fornacem ignis in tempore iræ suæ, *Psal.* 21. Id quod etiã *Matth.* 13. & 25. indicatur, & quidem impiorum ablegatio ad supplicium æternum tribuitur voci regis, *Matth.* 25. Et regium est, quod Antichristum interfecturus sit spiritu oris sui, 2. *Thes.* 2. Hæc igitur Christũ regem probant, sic alias sæpe in sacris literis vocatum. Non est autẽ mundanus rex, sicut ipse inquit: ***Regnum meum non est de hoc mundo***, *Ioh.* 18. Sed est vnctus in regem super Zion montem sanctum eius. Estque caput omnis imperii, *Coll.* 2. Rex immortalis & æternus, 1. *Tim.* 1. Qui conuincet vniuersa regna mundi, *Dan.* 2. & 7. Ipse enim obtinet regnum cœleste, 2. *Cor.* 4.

DE MODIS LOQVENDI pro-
batis & improbatis in Articulo de perso-
Christi & de duabus eius naturis.

QVi doctrinam de Iesu Christo recte a-
scere voluerit, imprimis sibi ob oc-
ponat, & in conueniente intuitu conte-
tur hæc duo. I. Vnam esse indissolubilem p-
sonam filii Dei in vtero Mariæ virginis inc-
nati. II. Duas istius personæ vnius natura-
uinam videlicet τȣ̃ λόγȣ assumentem, & hu-
nam ex Maria virgine assumtam, perpetuo-
se distinctas, saluasq; manere proprietates e-
rum sine confusione, exæquatione & abo-
tione alterius naturæ vel proprietatum. Vt ve-
ro hoc non solũ mente & fide, sed etiam fo-
mis loquendi seruaretur, antiquitas ortho-
xa nominũ & vocabulorum discrimen qu-
dam in sacris literis obseruauit, quod cer-
quibusdam obseruationibus seu technicis te-
minis notarunt scholastici, abstractum & co-
cretum vocantes. Id quod pii & eruditi sing-
lari Dei beneficio tribuerunt, nosq; cum E-
clesia fidelium retinemus. Quod vt recte im-
tari possint adolescentes, non promiscua m-
tatione ab aliis, quæ multos decipit, sed acc-
rata vocum, harumque discriminis & vsus
præscriptum sacrarum literarum conuenie-
tis, cognitione & peritia indigent.

DE ABSTRACTO ET
Concreto.

Voca-

VOcabula hæc technica in sacris literis nō exstant, nec a Patribus fuerunt vsurpata, vnde ab imperitis eruditionis Theologicę, vel in iuuentute ad hos terminos non assuefactis contemtus eorum obrepit. Qui tamē in piorum animis euanescit, vbi res, quas ipsa nomina designant, accurate a Sp. sancto distincte animaduertantur: Patrū quoq; in hac causa labor, indeq; necessitas huiusmodi obseruationis deprehenditur. Abstractū enim dicitur ἰδιωματολογικῶς, cum cōiuncta distrahuntur & diuelluntur, sed τεχνικῶς & artificialiter, idq; primū & extra hoc forū nostrū generaliter ita potest explicari, cum res quædam, & si cum alia iuncta, composita & concreta, nec reipsa extra coniunctionem rapta, ideo tamen, quod in ipsa concretione adhuc quiddam per se distinctum maneat, & considerari debeat, vocabulo appellatur simplicis significationis rei simplicitati & singularitati respondentis. Hoc nonnulli Grammatico discrimini Substantiui & Adiectiui accommodant, vbi sane ex vtriusque collatione generalis illa ratio emergit. Verum, cum substantiua etiam concretorum quendam modum assumant, vt *homo*, *animal*, discretio ista minus exquisita est. Dialectici potissimum accidentibus tribuunt abstracti terminum, cum ipsa, licet extra subiectum non sint, sed ex inesse suum habeant esse, a subiecto tamen distincta sua propria appellatione insigniuntur, vt *albedo*, *iustitia*,

sunt abstracta, cum *albus, iustus*, sint c
Ad similitudinẽ istius vsus dialectici A
cta & Concreta in doctrina de λόγῳ in
to vsurpare cœperũt, quoad proprieta
turarũ, vt *omnipotẽs, omnipotẽtia*, vsu tam
culiari de distinctis quoq; essẽtiis & psõ
cepta sunt. Abstractũ n. appellatur a Theo
gis, singulari vsu vocabulũ, quo altera ex
is vnitis in Christo appellatur p se, hoc
sola distincte & expresse quasi digito m
serata denotatur, etsi seorsim & separata
quã sit, sed in vnione personali ppetuo in
lubiliter maneat. Talia sunt vocabula *hu*
tas, humana natura, humanitas vel huma
tura Christi, Deitas, Diuinitas, diuina na
Christi, Deitas Christi, caro, corpus, sangui
sti, q hac opinione ducuntur, quoties app
tio Christi addatur, cõcretiuã reddi locutio
[illegible] lũtur. Etsi n. quatenus Christi appella
[illegible] vsurpatur, concretum omnino po
[illegible] men cum altera huius natura app
[illegible] bstracta est & manet locutio, cu
[illegible] oce Christi, cum abstractum alias
[illegible] non recipiat naturam extra perso
[illegible] nec aliam, quam, quæ Christi sit,
[illegible] hoc loco intelligi velit. Concretu
[illegible] crescendo siue a concernendo
[illegible] t vox Theologis τεχνικὴ significat vo
[illegible] d suæ significationis cõplexu
[illegible] positam seu ὑφιστάμενον vel perso
[illegible] e naturæ vnitæ sunt, vt *Deus*,

Dei, λόγος, *homo, filius hominis, semen mulieris,* Christus, *Iesus, Immanuel.* λόγον concretum dicimus non abstractum. Etsi n. ante incarnationem τοῦ λόγου & sine hac concretum proprie non appellatur, cum concretum tale non solum vnius, vt personæ, sed etiam plurium, et naturarum in vnum coeuntium rationem postulat: Quia tamen ei, quod siue in vnione diuersarum naturarum, siue ante eam personam notat, abstracti definitio non conuenit: ideo λόγος ne quidem ἀσύνθετος abstractum erit. Iohann. 1. legimus, *In principio erat λόγος & hic λόγος erat apud Deum.* Quibus verbis distinctio τοῦ λόγου a patre indicatur, quæ non nisi respectu personæ accipi potest, cum ratione naturæ vel essentiæ, quæ communis est toti trinitati, λόγος a patre non distinguatur. Quoniam etiam ibidem dicitur, *Verbum caro factum est,* cum deitas caro facta haud vnquam pronuntiatum sit locutione ecclesiæ probata. Ex his, inquam, constat λόγον semper personã denotasse, & in incarnatione cõcretũ esse statuendum, *semen mulieris* & *semen Abrahæ,* eãdem habẽt formam sermonis. Ne igitur vrgeam, quod Eua semen suum intellexerit Immanuelem, cum Gen. 4. dicat: *Possedi virum dominum.* Sufficit nunc Paulus, qui Gal. 3. semen Abrahæ concretum facit, cum inquit: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit seminibus tamquam de multis, sed tãquã de vno, & in semine tuo, quod est Christus.*

Si quis nihilominus abstractum esse
hanc formam loquendi nunquam po
obtrudet Ecclesiæ, *humanitas est (Chri*
tandum tamẽ, quod concreta transeam
stracta, quoties distinctiua particula a
vt cum dicimus, *Christus, qua homo, se*
dum quod homo, quatenus vel quo filius D
hominis est. Recte igitur Dominus L
in disputatione quadam scripsit: *Cum*
liud velint ista forma locutionis, Christus
dum quod homo, vel secundum humani
humanitate, vel per humanitatem, vel in h
nitate est creatura, quam quod habet crea
vel assumsit creaturam humanam, vel qu
plicissimum est, humanitas Christi est cr
contemnendi sunt parui Logicales, q
uersis formis Grammatice loquendi d
affingunt in eadem re sententias. Hu
discriminis & notionis fundamenta ex
literis ostendi possunt. Christus post re
ctionem apparens Apostolis, putaban
Spiritus, sed humanam veram naturam
nuum, pedum, carnis atq; ossium oste
atq; contrectatione probauit. Et histo
angelii vocibus ipsis potius naturæ vni
cium seruauit, *Luc. 24. & Joh. 20. N*
Christus de fructu lumborum Dauidis s
carnem. Sic Paul. ad Rom. 1. inquit: *Fi*
genitus fuit ex semine Dauidis, secund
qui declaratus fuit filius Dei potenter sec
spiritũ sanctificationis ex eo, q̃ resurrexi

is. Hic filius Dei persona appellatur, cui duę
turę attribuũtur, altera carnis, altera spiritus
appellatione. Rom. 9. *Israelitarum etiam patres
sunt, ex quibus est Christus quoad carnem, qui in
omnib est Deus benedictꝰ in secula.* 1. Pe. 3. *Chri-
stus mortificatus carne, viuificatus autẽ spiritu.* 1.
Pe. 4. *Christus passus est ꝓ nobis carne.* Ioh. 5. *Pa-
ter dedit filio potestatem, &c.* His dictis diserte
discernũtur vocabula, q̃ alterã naturã denotãt,
& quæ personã vtraq; natura cõstantem desi-
gnant. Ex patrũ libris constat, qꝫ ipsi sequentes
literarũ sacrarum vestigia, discrimen aliquod
obseruarint, etsi nõ semper exquisita eius cura
fuerit: tempore tamẽ Nestorii cõtrouersia hu-
ius quandam explicandi necessitatem attulit,
quemadmodũ Cyrill. historiam breuiter cõ-
plexus est Epist. 29. *Nestorius,* inquit, *simulat se
eundem confiteri, quod verbum incarnatum sit:
incarnationis vero virtutem ignorans, duas qui-
dem naturas nominat, sed illas a se inuicem dis-
tingui, Deum seorsim ponens, & hominem simili-
ter separatim Deo habitualiter secundum solam
honoris æqualitatem, i. e. auctoritatẽ coniunctum.*
Antiocheni vero fratres ea quidẽ, ex quibus
Christus intelligitur, tãq̃ nudis & solis cogita-
tionib. intuẽtes, naturarũ quidẽ differentiã ꝓ-
ponunt, eo quod non idẽ sunt in qualitate na-
turali diuinitas & humanitas: attamen vnum
filium & Dominum & Christum eo, quod
vere vnus sit, & vnam ipsius personam esse di-
cunt. Quæ vero vnita sunt, nullo pacto diui-

[illegible] naturalē diuiſionem agnoſcūt, ſicut [illegible] adinuentionū auctori, videlicet [illegible] viſi ſunt ſentire. Solas v. de Deo Do[illegible] eſſe diuidēdas cōtendunt. Cōpe[illegible] dicunt, non alias filio, tāquam [illegible] verbo ſeparatim, alias tanquam [illegible] muliere ſit, ſed alias diuinitati [illegible] humanitati eiuſdem. Idem [illegible] & Deus & homo. Dicūt autem & [illegible] quodammodo communicatiuas, [illegible] ad vtramque, diuinitatem inquam & humanitatem, vt ita dicam reſpicientes. Nam [illegible] quidem ita comparatę ſunt, vt diuinitati potiſſimum competant, aliæ vero magis ad humanitatem pertineant, & alię medii ſunt [illegible], eadem ſententia filium, & Deum eſſe declarantes ſimul & hominem. Apud Theodoretum quoq; Dialogo 3. Orthodoxus monet Vraniſten, vt diſcat τὴν τῶν ὀνομάτων διαφοράν. Quædam autē facit ſignificantia τὸν λόγον ἐνανθρωπήσαντα, verbum incarnatū. Hæc ſunt ſcholaſticis concreta. Quædam autem indicant τὴν ἁπλὴν φύσιν, quæ hodie dicuntur abſtracta. Ex hac breui hiſtoria intelligitur definitiones veteres congruere ſcholaſticis abſtracti & cōcreti definitionibus. Rectius tamen res ipſæ quā voces tunc fuerūt diſtinctæ. Inter concreta Theodoretus recte refert: *Chriſtus eſt Emmanuel.* Inter abſtracta v. perperā recenſuit & hæc *Deus* λόγος, quæ certe ſimplicem naturam non ſignificant ſed perſonam, Et de incarna-

to etiam λόγῳ dicitur, *Deus suo sanguine acquisiuit suam ecclesiam.* Actor. 20. Id quod voci Deus explicando aptat distinctionem naturarum. Itaque nomen probat, quod personam significet. Hallucinatus ergo fuit Theodoretus negans, ex ea opinione, quod Deus significet naturam simplicem, hanc phrasin *Deus est passus.* Iehoua enim inquit Zach. 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* 1. Cor. 2. *Dominũ gloriæ crucifixerunt.*

DE FORMIS LOQVENDI VNIonem personalem duarum naturarum in Christo exprimentibus.

VNio cõmunia facit nomina, inquit Theodoretus dial. 3. id quod non tantum ad proprietates, sed etiam ad naturas ipsas pertinet. Non autem nominum tantum, id est, verbalis solummodo est ista κοινωνία, sed etiam realis. Vtrumque enim tradit scriptura Luc. 1. *Paries filium & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus & filius altissimi vocabitur.* Matth. 26. *Filius hominis est filius Dei viuentis.* Vnde Athanasius dialogo 4. de Trinitate, *Filius Dei verbum, accepta serui forma, est & dicitur fructus ventris Mariæ.* Et quidem de hoc consensus est, κοινωνίαν istam realissimam esse in persona. Inter naturas autem realitas κοινωνίας istius a quibusdam negatur, idque metu periculi, ne vna dicatur esse altera natura, & in ecclesiam introducatur Eutichianismus. Et sane si quis realitatem istam eo extenderet, vt licentiam

inueheret ita loquendi, *humanitas est diuinitas*, vel contra, is & sermonem matris Ecclesiæ deprauaret, & nisi ipse sensu Eutichetis delirio occuparetur, verbis tamen inclinaret ad ipsa, aliisq; ad errorem aditum aperiret. Est tamen causa non leuis, quare istius κοινωνίας realitatem a nostris remoueri nō patiamur, sicut etiam teste Theodoreto Presbytero Samosatenus damnatus fuit, quod docuerit τὰς δύο φύσεις ἑαυτῶν παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι, id est, *duas naturas ad se inuicem omnino esse incommunicabiles.* Causa hæc est, quod, quæ realitas est in persona, dicatur κοινωνίας realitas: κοινωνία autem non est vnius personæ in seipso, sed distinctorum in vno vnitorum. Est igitur κοινωνία naturarū in persona realis, in quam communio duarum naturarū vnius personæ ratione, quia vnitas realitatem communionis ita constituit, vt naturæ ad ipsam realiter concurrant & coeant, vt cum vna persona naturis duabus constet, naturæ vero in vna persona suam ὕπαρξιν & subsistentiam habeant, neutra naturarum non possit attingere personam realiter, quin ipsæ etiam sese in persona ita realiter attingant. Certe si in ista vnione realiter copulantur naturæ, naturarū ipsarum erit vnio realis, & cum vnio sit ipsa κοινωνία, de qua agimus, erit & realis κοινωνία, vt non solum ad personam spectet, cum dicitur: *Deus est homo*, sed naturæ ipsæ perpetuo quoque personaliter, id est, realiter vnitæ, hac locutione intelligantur. Hanc igitur

tur ponam ſententiam, quæ nimirum propria intentione hoc vult, ne perſona extra naturas veluti aliquid tertium rapta, naturas vt a ſe ſeparatas mittat, & cum ita minime vniantur, naturas diuulſas & diſſolutas relinquat. Hanc igitur doctrinã, qui reiicere noluerit, is, quomodo in veritate fidei in Chriſtũ iniurius non ſit, vix vlla ratione conſtanter probabit.

Auguſtinus iſtam certo κοινωνίαν ad naturas in vna perſona diſtinctas diſerte refert. Sic enim inquit cap. 8. contra ſerm. Arrianorũ: *Talis eſt vnitas perſonæ, cõſtans ex vtraq; natura, vt quibuslibet earũ vocabulũ etiã altera impertiat.* Hæc Auguſt. qui tamẽ hoc non voluit, vt dici debeat, *Diuinitas eſt humanitas*: ſed quemadmodũ lib. 1. de remiſſ. peccat. cap. 3. ſcripſit: *Diuinitatem ſuã, qua in cœlo manens, deſcendit ad terrã, non indignam cenſuit filii hominis nomine, ſicut carnẽ dignatus eſt nomine filii Dei, ne quaſi duo Chriſti accipiãtur, alter Deus, & alter homo, ſed vt vnus atque idem ſit Deus & homo. Deus, qui in principio erat verbum, & Verbum erat Deus. Homo, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Hinc eſt, quod Cyrillus vocauerit, ἑνότητα φυσικὴν καὶ κατ' οὐσίαν, *vnionem naturalem & ſecundum naturam*, quod monente Theodoreto in libro ad Ephotium ſub Anathematiſmo tertio ita declarat, quod vnionem non ſecundum habitudinem, ſed ſecundum veritatem intelligat. Quomodo & Damaſcenus lib. 3. cap. 3. phraſin exponit:

Essentialem, inquit, *dicimus vnionē*, ἀληθινὴν κ(αὶ) οὐ φαντασίαν, id est, *veram & non imaginariam essentiam.* Essentialem vero non quasi duae naturae vnicam compositam naturam effecerint, sed quod inter se κατ' ἀλήθειαν, id est, vere vnitae sint in vnam filii Dei ὑπόστασιν compositam. Hanc declarationem obseruantes, & vt commodiorem sequentes, vtimur similiter voce realiter, κοινωνίαν inter naturas vnitas realem, id est, non imaginariam, sed reipsa veram dicimus, ideoque realitatem intelligimus, non solum personae gratia, sed etiam propter naturarum in vnam personam realem concurrentium. Huius causa etiam nonnulli appellarunt κοινωνίαν τ(ῶν) φύσεων, sed ad phrases nunc ipsas accedamus.

Regula.

Natura de natura praedicatur in concreto, non in abstracto, sed concretum vnius naturae praedicatur de concreto alterius naturae, non vero abstractum vnius de abstracto alterius quod nimirum vnum dicitur, esse alterum. Sint autem haec in sacris literis regulae huius fundamenta & exempla, Psal. 45. *Qui loquitur de rege specioso prae filiis hominum, seu de rege homine.* De hoc ipso vero 12. Psal. dicit, *Ipse est Dominus tuus.* Psal. 110. Dauid inquit, *Dixit Dominus Domino meo.* Id quod Christus Matth. 22. ita exponit, *quod Dauid filium suum dixerit Dominum.* Ipse enim Dauid prophetiam Nathanis sic exponit. 2. Reg. 7. *Hic est mos* ...

lex hominis, qui sit Dominus Deus meus Iehoua. Ioh. 20. Thomas, cum non solum videndo, sed etiam palpando probasset, quod Christus vere rediisset a morte, dixit: *Dominus meus & Deus meus*. Hinc est phrasis *homo est Deus*. Similes sunt hæ, *filius Mariæ est filius Dei*. Luc. 1. *Filius hominis est filius Dei viui*. Matth. 16. Et in his phrasibus ἀντιστροφὴ & reciprocratio, Ioh. 5. *Filius Dei est filius hominis*, quæ conuersio æqualiter seruatur, cum vtrobique concretum vsurpatur, & copula vnionem communiter exprimit, absque ratione alteram naturam singulariter spectante. Aliter vero iudicandum est, cum præpositio verbum recipit, non similiter ad vtramque naturam referendum, vt cum dico: *Deus est factus homo*, vt symbolum Nicenum loquitur. Non potest fieri conuersio talis: *homo est factus Deus*, quia Deus exstitit ante incarnationem, & quod non fuit, factus est. Homo autem non exstitit, antequam vniretur λόγῳ, non igitur potest dici, *factus Deus*, quasi præter id, quod fuerit, factus sit Deus. Sic recte dicitur: *Deus assumsit semen Abrahæ*, ad Hebr. 1. Sed semen Abrahæ non assumsit Deum: diuina enim natura τοῦ λόγου assumens est, humana assumta, nō contra. Conuersio tamen fit hic permutato genere actiuo & passiuo: *Filius Dei assumsit semẽ Abrahæ*, & *semen Abrahæ assumtum est a Deo*. Quod quæritur, num in oratione Iohannis, *Verbum caro factum est*, vox *carnis* proprie hoc loco ab-

ſtractum ſit, an vero pro concreto ponatur, in eo modeſte philoſophemur. Si enim dicis abſtractum pro concreto poni, ſumis tibi poteſtatem corrigendi linguam Spiritus Sancti, & ſic tollis optimam pure in articulo hoc loquendi regulam, quam præſcriptum verbi Dei ſuppeditat. Maneat igitur forma ſermonis, ſicut a Spiritu Sancto tradita eſt, & cum caro nominetur, etſi συνεκδοχικῶς pro integra humana natura, corpore videlicet & anima rationali ponatur, vocabulum tamen ſui generis agnoſcatur, hoc eſt, abſtractum. Licet etiam ſic cogitare Spiritum Sanctũ abſtracto vti voluiſſe, quia natura humana, non vt peculiaris perſona acceſſit ad Deum. Quòd tamen Symbolum Nicenum inquit: *Deus eſt factus homo*, eo non infertur dictæ explicationi contrariũ, ſed orthodoxa interpretatione ita ſaluatur locutio, cum verbum caro factum ſit, caro, quæ perſona per ſe non fuit, in perſona verbi homo eſſe cœpit, neque antea talis perſona fuit τοῦ λόγου. Deus igitur factus eſt homo, quod caro ſine ſua propria & ſingulari ὑποστάσει fieret, cum tamen fieret recepta ſit in perſonã Dei verbi, quæ quod antea dici nõ potuit, facta eſt homo videlicet. His mediocribus explicationibus contenti ſimus, nec ad viuum omnia reſecemus. Tradunt nõnulli recte dictum eſſe, *Deus aſſumſit humanam naturam*, ſed non ſatis probate: *Deus aſſumſit hominem*. Etſi veteres ita locuti ſint, illam diſtinctionem

ctionem minus probatam existimo: sic vero aut accusatur epistola ad Heb. 1. quæ inquit: *non Angelos, sed semen Abrahæ assumsit*: aut *semen Abbrahæ* abstractum ponitur contra auctoritatem Pauli superius traditam aut vna vox modo concretum, modo abstractum dicetur, pro libitu hominum. Itaque certitudo sermonis sani, q est in sacris literis, debilitatur. Orthodoxa certe & nõ violẽta est interpretatio, q filius Dei humanã naturã assumserit, vt in se ab æterno subsistẽte homo esset. Nec fuit persona illa antea homo, verum cum λόγος caro fieret, tunc quidem non persona λόγου facta est, homo tamen tum factus est, vt cum λόγος humanam naturam assumeret, hominẽ tum assumserit, non qui præter assumtionem subtiterit, aut personam τῷ λόγῳ attulerit, sed qui assumẽdo, seu quod assumtus sit a λόγῳ cœpit in persona τοῦ λόγου subsistere. Equidem *assumtum hominem* Heb. 1. *assumtam humanitatem.* Philip. 2. vbi Christus serui formam accepisse dicitur, tradit. Itaque vtramque probatam duco. Quod Sedulius in Hymno ab Ecclesiæ recepto canit: *Beatus auctor seculi, seruile corpus induit.* Hoc aliquibus improprie dici est visum. Verum, nisi quis similitudinis abusu, id est, simili pro eodem accepto hic cauilletur, phrasis non potest reprehendi. *Qui baptizantur Christum induunt*, inquit Apostolus Galatarum 3. Explicat autem phrasin, quod per fidem

fiant filii Dei, & omnes sint vnus in Christo. Arctam igitur vnionem significat verbum *induendi*, cumq; vnionis vocem de Christo vsurpemus, cur non etiã metaphoram Apostolicã seruata ἀναλογία, quæ vnioni personali arctioni vinculo cõgruat? Imo Theodoretus quoq; simili vsus est defectu, & sese his testimoniis sacris tutatus est: Dialog.1. Quod videl. ad Hebr. 10. ita legatur. *Habentes igitur fratres libertatem ingrediendi sacrarium in sanguine Iesu, ea via, quam dedicauit nobis recentem & viuam*, διὰ τοῦ καταπετάσματος, *per velum seu tegmen*, hoc est, per carnem suam. Hinc concedente aduersario concludit affectionem nouitatis ei non esse obiiciendam, qui humanitatẽ Christi appellet καταπέτασμα, velamen seu vestem. Addit postea propheticum illud, Genesis 49. *Princeps Iuda, cuius aduentum gentes expectabunt, lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Hinc eleganti deductione Metaphoram de carne seu corpore Christi sanguine tincto exponit, cum Dominus seipsum appellarit vitem, Ioh. 15. Vitis vero fructus vinum est, & vinum sanguis vuæ communiter appellatur, qui sanguinem ex corpore Christi stillantem in prophetia designat. His addatur initium capitis 36. Esaiæ. *Quis est ille, qui venit in Edom vestibus tinctis*, &c. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum sicut chalcantium in torculari, &c.* quæ multorum piorum consensu

ſensu eſt prophetia de Chriſto paſſuro & crucifigendo. Non igitur quemquam offendat *induendi* verbũ, quod non incommode ſcholaſtici huic inuoluerunt ſimilitudini. Tota Trinitas operata eſt incarnationẽ filii, ſicut duæ puellæ tertiam induunt, ipſa ſimul ſe induẽte. Dominus Melãchthon ſic etiam loqui eſt ſolitus, λόγος *geſtat & ſuſtentat humanam naturam*. Exſtant enim huiuſmodi locutiones in patribus, nec debent temere reprehendi. Si enim definitionem perſonæ recipimus, in qua dicitur, *quæ non ſuſtentatur in alio*, cur non permittimus, quod videl. humana natura ſuſtentetur in λόγῳ, ideoq; ipſa per ſe perſona non ſit. Nec ſatis eſt argumenti, q; omnes creaturæ in Deo ſuſtententur. Nam de aliis quoq; hominibus dicitur, q; Deus eos aſſumſerit, vt Pſal. 27. *Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me.* Nec tamen propterea verbum aſſumendi male de Chriſti incarnatione vſurpatur. Quid? quod omnia, quæ de Deo vſurpamus verba, tantũ per ſimilitudinẽ aptamus, qua de re Theodoret. ex 12. cap. Oſe. egregiam cõmonefactionem tradit, Dialo. 1. *Ego*, inquit, *Dominus in Propheta, viſiones multiplicaui. & in manu Prophetarum aſſimulatus ſum*. Hic Theodoret. expendens verbum *aſſimulatus ſum*, ait: *ſimilitudo non ipſam oſtendit rei, quæ cernitur, naturam, non enim regis imago ipſius regis demonſtrat naturam, etſi expreſſam referat effigiem regis*. Hæc ille. Non

ergo ea, quæ probata imitatione, recto p[illegible] sensu dicuntur, facile carpamus. Sicut autem recte dicitur λόγος sustentat humanam natu[ram], ita falso fieret conuersio, tamen mutato g[e]nere, hoc videl. modo recte dicitur, *humana natura sustentatur a λόγῳ*. Hinc Ignatius in e-pist. ad Smirneos scribit: *Quid mihi prodest, si quis me laudet, & Dominum meum blasphemet, non confidens ipsum Deum esse σαρκοφόρον.* Non autem dicitur χριστὸς θεόφορος ἄνθρωπος, qu[ia] non sustentatur ab assumta natura. Ignatius vero dictus fuit θεοφόρος quod in ministerio verbi Deum gestarit & quasi circumtulerit, id quod a personali vnione diuersum quiddam est. Si quis etiam in nuda sustentatione generali formam specificam vnionis personalis contineri rixari vellet, huic occurrendum omnino ducimus. Sed concludamus: annitendum est profecto studiosissime, vt quantum possibile est, cum sacra scriptura loquamur, & patrum sermones cum delectu vsurpemus. Verum cum etiã piissimi nonnunquam dormirent, vt alicubi recte sentientes incommode tamen loquantur, meminerimus & grauiter & æquissime dictũ esse a Domino Luthero: *sceleratum est, cum noueris pium & sanum esse alicuius sensum, ex verbis incommode dictis statuere errorem.*

QVALIS SIT PRÆDICATIO in doctrina de Christo, Deus est homo, & contra.

Cum

CVm hoc quæritur, ad id attendendum est, num prædicatio sit regularis vel figurata, & si neutra harum quid preterea aliud. Quia vero hodie quædam in dubium vocant, num Dominus Melanchthon recte addiderit regulari & figuratæ inusitatam prædicationem, ita disquisitionem instituamus, vt de regulari & figurata prius sententia constet. Si alterutra concedenda fuerit, tertii generis prædicationis non erit opus. Si neutra fuerit, necessitas adigit, vt tertium quoddam admittamus. Certum est in propositione hac τὸ ῥητὸν seruandum esse, vnde non erit figurata prædicatio, nec tamen propterea regularis erit, quia modus vnionis mysterium habet, quod modus prædicandi exprimit. Præterea τὸ ῥητὸν & modus prædicandi proprius non sunt idem, sed distincta & diuersa, cum modus variari possit τοῦ ῥητοῦ saluo manente. Obseruent autem adolescentes, quare Tropus ex hac propositione reiiciatur, vt nimirum hæc axiomata ecclesię Christi immota maneant. I. Vnum esse verum Deum. II. Non esse alium præter illum vnum. III. Christum esse verum Deum. In hæc igitur impingit Tropus: *Primo*, quod vnum est eo respectu, quo vnum est, vno tantum modo appellationem vnam recipit, nec potest eadem de eadem proprie & Tropice accipi. Talis enim distinctio necessario pluralitatem inuehit, cum non dicatur

proprie quod tropice, nec tropice, quod proprie accipiendum sit. Sed Deus no-ster vnus est siue patrem siue filium siue Spiritum sanctum appelles. Talibus [illegible] phrasibus, quæ singulis personis nomen Dei accommodant, non distinguitur Deus, vt sicut tres sunt ὑποστάσεις, ita etiam tres sunt Dii; verum repetitione & accommodatione huiusmodi trinitas personarum ad vnam essentiam vnius Dei reducitur, vt pater, filius, & spiritus sanctus, vnus ille sint Deus, cum hi tres vnum sint. 1. Iohann. 5. Ergo siue absolute Deum appellent, siue filium Deum nuncupent, vnica tantum erit glorificatio vocis Dei. Proprie autem Deus est, quem Christiani credunt. Ergo Tropus nullus est admittendus hoc loco, ne Deus Christianorum, in quem credunt, negetur esse Deus proprie.

Secundo Quicquid Tropice dicitur Deus, id aliud quiddam est, quam Deus proprie dictus. Æquiuoca enim nomine communicant non definitione: quæ vero definitione discrepant, essentia discrepant, sed filius a patre & spiritu sancto, non differt definitione & proprietate Dei proprie dicti. Itaq; filius non aliter, nec alius est Deus, quam quando nomen Dei, de essentia Dei intelligitur proprie. Etsi definitione & proprietate personæ filius distinguatur ab vtroque, & singuli a singulis. Ergo nomen Dei prædicabitur de filio

non

non Tropice, sed propriissime. Huc pertinet, quod Paulus eos, qui præter vnum Deum dicuntur Dii, id est, qui Tropice dicuntur Dii. 1. Corinth. 8. ait: *non esse natura Deos*, ad Galat. 3. Vnde emergit tertium hoc: Quicquid Tropice Deus est, verus Deus non est. Sed filius est verus Deus 1. *Joh. in.* 5. ὁμοούσιος non ὁμοιούσιος patri, vt symbolū profitetur Nicenum. Filio igitur accommodatur nomen Dei proprie, & non Tropice. Arrianorum quoq; & Anameorum seculum lustretur, & patescet, hanc opinionem de Tropo in vocabulo Dei ponendo propositæ enuntiationis medullam fuisse hæresium istarum. Quid enim isti hæretici voluerunt aliud, quam filium a patre non solum distingui, quatenus filius sit, sed etiam quatenus Deus dicatur. Patrem enim solum esse verum Deum, nec huic filium ὁμοούσιον, sed alterius cuiuspiam essentiæ docuerunt. Si quis breuiter statum complecti voluerit, recte dicet istos negasse filium Deum proprie dici. Affirmasse autem, quod Deus vocetur Tropice. Contra vero orthodoxi negarunt differentiam in voce Dei. Sic enim Athanasius omnium orthodoxorum, quos Deus Arrianis opposuit, optimus dialogo. 1. de Trinitate, θεὸς θεοῦ οὐδὲν διαφέρει ᾗ θεός ἐστιν, *Deus a Deo nihil differt quatenus Deus est*, Ne vero hoc de Deo absolute interpreteris, attende, quid sequatur. Anomeus enim ita interrogando instat, οὐδὲν οὖν διαφέρει ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ. *Nihil ergo dif-*

fert pater a filio? Cui Orthodoxus respo[ndet] ἐν τῷ θεῷ καὶ θεὸν εἶναι, id est, *nequicquam [dif]fert respectu Dei, quatenus Deus est.* Ratio[nem,] quia quæ propria sunt naturæ, comm[unia] sunt eiusdem essentiæ hypostasibus, vt i[dem] Athanasius dicto dialogo loquitur. Quo[mo]do enim idem nomen Dei commune est [pa]tri, filio, & Spiritui sancto, nonne quat[enus] hi tres vnum sunt & ratione communis es[sen]tiæ? Sic August. serm. 51. de verbis Do[mini:] *ille dicitur vnicus, vnigenitus*, quia hoc [est] quod pater, nos autem homines sumus, D[e]us est pater, quia ergo ille, hoc est, quod [pa]ter, dixit, & verum dixit, *egò & pater vnu[m su]mus.* Quid est vnum sumus? Vnius na[turæ] sumus. Quid est vnius naturæ sumus, vn[ius] substantiæ sumus? Hinc certissimum [est] significationem Dei cum filio attribu[itur] non esse aliam, quam quæ proprie essent[iam] diuinam notet. Qui vero ὑποστάσει filii [no]men Dei alia accommodat, quam essen[tiæ] ratione, quantum ille aberit ab ὀρθοδόξων Am[mo]no. Et hoc de voce Dei. Idem de voce h[o]minis facile colliget adolescens aptans diue[r]sitatem, quã distinctione significationis pr[o]priæ & impropriæ in vno vocabulo modo [ob]legauimus. Hoc cum videret Athanasi[us,] constanter negauit hominem æquiuoc[e] loquens de Christo.

Cum enim Apollinarius dialogo qui[nto] de Trinitate argumenta quatuor obiiceret

Christu[m]

Christum non esse hominem, nisi sit hoc i-
psum æquiuoce, ibi sub persona Athanasii
Orthodoxus respondet: Nos vero Christum
vniuoce hominem dicimus. Et postea ad ar-
gumentum Apollinaris 6. ita Orthodoxus re-
spondet: *Christum autem nequaquam dixe-
rimus hominem esse æquiuoce, ne imaginarius &
communi nomine vanus homo censeatur.* Etsi
igitur in subiecto & prædicato τὸ ῥητὸν retine-
mus, nequaquam tamen statuimus regula-
rem prædicationem esse cum dicitur: *Deus est
homo.* Regularis enim prædicatio, quæ con-
stituit ad aliquem modum ex quinque præ-
dicabilibus. Sed nullus eorum recipit dispa-
ratarum specierum prædicationem de se in-
uicem, qualis in proposita enũtiatione mani-
feste deprehẽditur. Vel alterum alteri non est
species, nec genus, nec differentia, nec ꝓpriũ,
nec accidẽs. Præterea ipsa nominis appellatio
respondet interroganti de modo prædicandi.
Quod si igitur modus regularis non est ἄῤῥητος,
nec recte dixit Apostolus 1. Tim. 3. *sine contro-
uersia magnũ est mysterium pietatis, quod Deus
manifestatus est in carne.* Quo ad copulam im-
possibile est, Tropum aliquem Grãmaticis &
Rhetoribus notum, & qui vere tropus sit, da-
ri posse, qui non transeat in prædicamentum,
& hoc etiam inficiat, vt tropicũ fiat, cum ver-
bũ est, sit συγκατηγορούμενον, id est, *simul prædicet.*
Iam cũ in ꝓdicato nõ minus absq; hęresi trop⁹
cõcedi possit, q̃ in subiecto datæ ꝓpositionis.

patet non esse enuntiationem figurat
dicimus de Christo, *Deus est homo vel*
Cum autem hanc doctrinæ partem
pula nunquam sola Tropum sustinente
cōuellere conetur, ideoq; Melanchthon
traditionem carpat, & Tropum atque
ctionem ad regularitatem etiam propos
nibus de filio Dei inusitatis promittat
ferat. Hæc vero res ex refutatione ista Be
cum fœnore veritatis ad nos redierit, pro
aliquot nostræ obseruationis de cop
tiones & confirmationes, quarū vsus esse
set tum in hac doctrina de propositis
laribus enuntiationibus, tum in sacram
libus & similibus.

I. Ratio. Quod tropus non possit
sola copula, quia prædicatum tropicum
itaque non id, quod definitioni est, relinq
extra controuersiam est, & diserte conc
Beza in responsione aduersus me *pag. 52.*
ferre certe ratione siue re, ipsum esse, & es
di modum. Verbum autem est, solum
duntaxat consideratum, tantummodo ip
esse, non vero essendi modum præbere,
pueris inculcatur. Quis enim pueros
quam ita recte docuit: *verbum sum sig*
proprie ὑπαρχτικῶς, nonne ὑπαρκτικῶς, mo
essendi significat, idemque non ex propri
te verbi est, sed ex adiuncto ille petendus
cum negari nequit, esse & essendi modum
tione siue re differre. Quomodo quæso
bus

huiusc modis proprietate & regularitate prædicationis applicare possum verbum *EST*, si per se modum significaret. Tropus vero modum essendi seu prædicationis pollicetur, vt Beza multis, & quidem cõtendendo largitur. Hinc sic argumentor: *Quod solum & duntaxat consideratum tantummodo ipsum esse indicat, hoc tropum non continet, qui modum essendi exprimat. Verbum est solum & duntaxat continet tropum istum.* Ergo, *verbum est solum & duntaxat, considerat non continet tropum istum.*

II. Ratio. Necesse est, modum veræ prædicationis præcipue inesse parti essentiali enũtiationis. Modus n. ille forma est vere prædicationis, quam extra partes constituere, est eam destruere. Sed copula non est pars essentialis prædicationis, citante & recte approbãte ex Aristotele *pagina* 52. Ergo soli copulæ non inerit modus prædicationis, itaque nec Tropus, qui modi est determinatio.

III. Ratio. Cum quæstio sit de modo prędicationis probo illum ex prædicato emergere in omnibus regularibus, itaque in figuratis quoque. Omnes enim modi regulares definiuntur ex ratione prædicati, non ex copula. Si enim prædicatum agnoueris esse subiecti indiuidui speciem, vel indiuidui aut speciei genus, vel differentiam, pronuntiabis ex eo modum prædicandi esse essentialem. Si prædicatum deprehẽderis causam appellari, cau-

salem dices prædicandi modum. Si ... accidens tribuerit subiecto, nomin... dum accidentalem. In his omnibus ig... go modi est ex prędicato, cũ etiam trop... cutiones troporum explicatione red... ad modos regularium, necesse est m... irregularem dari in ea parte, quæ red... regularitatem propriũ modum recipi... pertinẽt definitiones synonymæ, par... & homonymæ prædicationũ, quæ ex p... vel συνωνύμως, vel παρωνύμως, vel ὁμωνύμως ... bente æstimantur. Ex hiscc vero necess... cõsequens prodit, non esse hoc copulæ ... dem soli vendicandum. Sic igitur argu...

Omnis Tropus prædicationis præcipue co... dus est in parte propositionis, quæ modum p... candi principaliter arguit. Sed copula mo... prædicandi principaliter non arguit. Ergo, T... *pus non est præcipue collocandus in copula.*

IV. Ratio. Quicquid copula de modo p... dicãdi participat, id habet ex prædicato, q... cũ hoc iuncta prædicet. Vnde copula Ari... teli dicitur συγκατηγορούμενον. Sic ergo ratioci...

Quod copula tantum ex alio, & quidem, ... cum eo coalescit, habet, id sola non parit. Co... modum prædicãdi participat, ex prædicato, q... cum eo coalescens fiat συγκατηγορούμενον. Ergo, ... *pula sola non parit modum prædicandi.*

V. Ratio. Beza semper vrget, se Trop... in χέσει ponere, qua prædicatum de subi... dicitur. Quid autem est χέσις, quam habit...

& conuenientia vel disconuenientia quædam prædicati ad subiectum? Ex prædicato igitur ...σις non potest tolli, & soli copulæ aptari. Et-... inde manans ad copulam redundet, & per copulam applicetur subiecto. Quamobrem ... colligo: *Omnis χῖσις prædicandi in prædicati erga subiectum affectione consistit. Omnis Tropus dependet ex χῖσει teste Beza.* Ergo, *Omnis Tropus in affectione prædicati erga subiectum cōsistit, & per consequens non in copula sola.*

Etsi aūt ad eam demigrat, tamen ex ratione quarta ostēditur, quod iure κατηγορημάτων & prædicati tanquam pedissequa id obtineat, nec proprium doctrinæ sibi soli vendicare possit.

VI. Ratio. Si prædicatum non recipit Tropum, & tamen modum prædicandi vsitatum seruat, necesse est, prædicatum per se ad subiectum habere conuenientiam. Omne enim prædicatum vsitatarum enuntiationum, vel per se conuenit subiecto, vel Tropo in cognatum transmutatū conciliatur subiecto, nec vniuersa logica aut natura rerū ordinaria, tertiū, quod hic suppeditet, habet. Sed cōsequens ratione propositæ enuntiationis falsum est. Quæ enim corpori Christi ad panē natiua cognitio? Ergo & antecedens. Itaq; vel copulæ cum prædicato vel neutri Tropus adhibeatur.

VII. Ratio. Qui ex eo, quod extrema disparata sunt, Tropum quærit, alterum disparatorū per Tropum non disparatum reddere laborat. Hoc v. non potest fieri, nisi muta-

tione ſignificationis alterius extremi. Ergo Tropus in extremo & non in ſola copula vt ſtatuatur, neceſſe eſt.

QVOD SIT INVSITATA *prædicatio Deus eſt homo.*

CVm nec Tropica, nec regularis prædicatio, cum de Chriſto dicitur *Deus eſt homo* nec ſint plures ſpecies vſitatarum enunciationum præter illas, ſequitur hoc loco, aliquid inuſitati agnoſcendum eſſe, vnde etiam neceſſitas pateſcit, quare Dominus Philippus inuſitatarum genus poſuit. Eſtque inuſitata prædicatio diſparatorum de diſparatis propter ſingularem arcani modi vnionem diuino ſermone inſtituta enuntiatio, ſeruans in omnibus vocibus τὸ ῥητὸν & proprietatem ſignificationis. Modum autem improprium myſterio congruentem habens, qui nullius tropi vſu ad regularitatem reduci poſſit. Hanc doctrinam non primus inuenit dominus Melanchthon, vt quidam ex nouitatis obiectione contemtum ei parāt. Sed cum ſcholaſtici plurimum laboraſſent, vt prædicationi vſitatæ iſtam orationem aptarent, quidam tamen ſe fruſtratos experirentur, & difficultatem iudicii in hoc hærere animaduerterent, quod ſingularis & ad vſitatum naturæ ordinem myſterii diuini eſſet enuntiatio, ideo ſingularem prædicationem quoque conſtituerunt, quam dominus Philippus inuſitatam appellauit, &

hoc

hoc ipſo proprio notauit, quod ad regulares non poſſet reduci. Congruit autem hoc conſilium ſententiæ Apoſtolicæ, 1. Timot. 3. *Sine controuerſia magnũ eſt pietatis myſterium, quod Deus manifeſtatus carne, prædicatus eſt gentibus.* Quoniam Beza hoc ſimulat, ſe hoc neſcire, quod videlicet ante Dominum Philippum ſcholaſtici etiam ita docuerint (putat enim lectorem ita diffiſurum meæ indicationi, quandoquidem ipſe hoc ignoret) adoleſcentes obſeruent, quod Heſſander in lib. de fictitia carnis Chriſti omnipræſentia, quẽ Beza ante annos 14. præfatione ornauit, ita nobis aſtipuletur pag. 64. Scholaſtici recte dicunt, non eſſe vſitatum & formalem hunc prædicandi modũ per eſſentialem inhærentiam, vel cauſam, ſed ſingularem & inuſitatum, qui ad alios vulgares prædicandi modos non poſſit reduci vel accommodari.

DE MODIS LOQVENDI PER communicationem Idiomatum.

COmmunicatio Idiomatum, ſeu κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων, & de re & de ſermone rem proponente intelligitur. Quia enim vnio perſonalis in Chriſto duarum naturarum communionem inter ſe realem facit, non poteſt non proprietatum quoq; κοινωνία eſſe realis, quam communicationẽ Idiomatũ vocarunt Scholaſtici. Nemo igitur exiſtimet, cum oratio ex re nata, & rem, quæ eſt efferenda, definit, in

ſola Grammatica vel Dialectica ratione conti-
neri communicationem Idiomatum, ideoq;
verbale tantum eſſe. Hac prudentia compa-
rata vſitata definitio abſque periculo retineri
poteſt, quod videlicet communicatio Idio-
matum ſit prædicatio de Chriſto, in qua pro-
prium vnius naturæ tribuitur perſonæ in con-
creto, quæq; explicatur particulis diſtinctiuis,
indicantibus, quid cuiuſq; perſonæ ſit natura-
liter proprium. Notent autem adoleſcentes
hæc propria huius generis: Primo, quod for-
ma loquendi hic, non niſi concretiua eſſe poſ-
ſit. Secundo, quæ ſit reciprocatio communi-
cationis, neutra natura pro altera plus vel mi-
nus iuris ſibi hoc loco poſcente. Tertio, quod
ſemper κατ' ἄλλο ſit recte intelligendum, quod
huic vel illi naturæ in concreto appellatæ tri-
buitur. Exempla hæc ſunt, Zachar. 12. Iehoua
inquit: *Aſpicient ad me, quem crucifixerunt.*
Hinc phraſis iſta, *Iehoua crucifixus eſt, & Deus
paſſus eſt.* Quod Paulus 1. Corinth. 2. ita lo-
quitur: *Dominum gloria crucifixerunt.* Et A-
ctor. 3. Petrus ait: *Principem vita interfeciſtis.*
Matth. 28. dicit angelus mulieribus, quæren-
tibus Chriſtum in ſepulcro: *Videte locum, v-
bi poſitus erat Dominus.* Iohan. 6. *Sic videbitis
filium hominis aſcendentem, vbi erat prius.* 1.
Corinth. 15. *Secundus homo de cœlo.* Ioh. 8. *An-
tequam Abraham erat, ego ſum.* Ex his dictis
exſtructa eſt regula de definitione commu-
nicationis Idiomatum tradita. In concreto
enim

enim proferuntur iſta omnia, nec exſtant huius generis abſtractiuæ locutiones, tanquam propriæ in ſacris literis. Vrgemus igitur & tuemur, quod non ſint tollendæ locutiones abſtractiuæ, tanquam propriæ in hoc genere, & linguæ Eccleſiæ matris puræ vernaculæ cõuenientes. Excuſamus quidem, vt minime hæreticos Patres illos, quibus huiuſmodi exciderunt, qui tamen ad imitationem, velut regulam parerent probatarum locutionum, nequaquam obtinent vllam auctoritatem, ne proprietas & improprietas, hoc eſt, quod tuto & confidenter enuntiare liceat, quodque item non confundantur, nec cum ſermone incongruo ſenſus obrepat improbus. Vita in ligno moritur, canit Eccleſia, Phraſis autem propria non eſt: nunquam enim vel ſacra ſcriptura exemplum præbuit, vel Orthodoxa antiquitas in examine & probatione conſtituit, (id quod ſine exemplo Spiritus ſanctus ne potuit quidem) recte dici poſſe & debere, quod Deitas ſit paſſa, mortua, ſed de reiectione huius enuntiationis teſtimonia exſtant grauiſſima in Dialogis Theodoreti ex multis Patribus collecta. Dicam nunc ſaltem de ſubiecto vita.

Sic igitur Athanaſius in ſermone maiore de fide, citante Theodoreto Dialogo 3. *Vita igitur non moritur, mortuus vero viuificat: Vt enim lux non læditur in obſcuro loco, ſic vita pati non poteſt, ſuſtentans mortalem*

naturam. Nam diuinitas verbi mortalitatis & alterationis expers est. Sicut per Prophetam inquit Dominus, Malach. 3. Considerate me, quod ego sum, & non mutor. Hæc Athanasius. Nequaquam igitur probandũ est, quod quidam suæ existimationis studio, cum videlicet alicubi incommode locuti sunt, siue directe, siue oblique obtrudunt Ecclesiæ suæ persuasionis dictata, quasi in communicatione Idiomatũ proprie dicta liceat vti abstractiuis formis loquendi. Diximus sane, tolerandum esse incommode loquentes, & recte sentientes, idq; tum Christianæ caritatis obseruatio suadet, tum communis infirmitatis memoria suggerit. Sed hoc tantum succedit, cum quis infirmitate præoccupatus in circumspecto sermone mentẽ bonam exposuit, nec alteri, vt idem faciat, præscribat, nec si admonitus est, emendationem recuset. Qui vero excusando, ne incommoditatis accusetur, tergiuersatur, & qui sub prætextu sensus & interpretationis commode licentiam inuehit, ex proposito & composito similiter loquendi, eum grauiter peccare non est dubium. Quamobrem repudiamus nugamenta eorum, qui velut vnum & idem venditant, siue dicas, *homo Christus est vbiq;, siue humanitas Christi est vbiq;*. Quid enim vanius est hac exceptione, etiamsi forma loquendi abstractiua est, tamẽ sensus concretiuus est. Semper enim in abstractis, quorum vsus est hic, sensus retinendus est, ne quis existi-

existimet, Christianum vnquam in istis abstractum intellexisse. Sic enim edictum Iustiniani habet in concilio Constantinopolitano. *Quinto.* Humana natura Christi per se absolute nunquam dicitur, quia nec subsistentiam seu personam habuit, sed in substantia verbi Dei initium, vt esset, accepit. Aut igitur nunquam ponatur abstractum, aut hoc propter sensum a separatione alienū nunq̃ negetur a concreto distinctum. Quemadmodū illi negant, qui hominis & humanitatis appellatione sibi idem semper pollicentur. Nec nos primi ad communicationem Idiomatum referimus, cum in dicto Ioh. 6. vbiquitas consideratur. Verum Nazianzenus in Epist. 1. ad Cledonium inquit, *hoc esse dictum* διὰ τὴν πρὸς τὸν οὐράνιον ἕνωσιν *propter vnionē ad cœlestem*, quod communicationē Idiomatum vsitate appellamus. Sic etiā Dominus Chemnitius idē dictum, non solum in primæ, sed etiam in secundæ editionis libro de duabus naturis in Christo hoc ita statuit. Incidit & hæc quæstio, num communicatio Idiomatū sit, cum dicitur, *filius hominis crucifigitur.* At si vox κοινωνίας consideratur, certum est, communicationē indicari, cum filius hominis pati dicitur, cum non solū humanitas patiatur extra omnem κοινωνίαν passionis cum diuinitate, sed passio, quæ solius carnis naturaliter propria est, eadem appropriatione sit Dei passio, qua caro patiens ipsius est propria, & non nudi duntaxat hominis.

Propriissime tamen huc pertinent istæ sim-
summodo enuntiationes, quæ vnius com-
municationem ita diserte proponunt, ita vt
altera concretum denominaretur, vt cum di-
co: *Dominus gloriæ crucifixus est: Filius ho-
minis est ab æterno infinitus vbique.* Hic etiam
vt propria coniungitur hæc forma, *Christus
passus est*, etsi Christus ratione vnctionis tan-
tum ab humana natura vocari tradatur. Scri-
ptura enim, cui soli sine controuersia pare-
mus, hic vsurpat ἀλλοίωσιν, propriam commu-
nicationi Idiomatum. 1. Pet. 4. *Christus passus
est in carne.* Id quod aliis phrasibus, quæ con-
cretum ab humana natura denominatum ha-
bent, eique humanum quid tribuunt, vel de
cõcreto a diuina natura appellato diuina præ-
dicant, non ita constat.

Quamobrem dimicandum non putamus,
si quis inficiatur huc pertinere, cum proprie-
tas diuinæ naturæ prædicatur de concreto e-
iusdem naturæ, & proprietas humanæ naturæ
prædicatur de concreto eiusdem naturæ. Atq;
sic Dn. Philippus per mutationem intellexit,
cum in loco Dialectico a disparatis docet, hic
tantum in concreto receptas esse prædicatio-
nes, & monet iuniores, vt reuerenter Eccle-
siæ matris sermones imitentur. Manet, in-
quam, vtraque natura, & diuina humanam
assumsit, ita vt sit personæ vnitas, ideoque
propria vnius naturæ tribuantur alteri in con-
creto. Atque hoc Dominus Lutherus simi-
liter

liter tradidit in maiori confessione de cœna Domini, docens: *Scripturam diuinitati omnia tribuere, quæ humanitati accidunt, & contra,* vbi tamen vt a licentia abstractiuarum locutionum ad huius generis concretiuas lectorem reuocet, diuinitatem neque pati, neque mori posse asserit. Istud igitur constanter retineamus, communicationem Idiomatũ proprie exprimi naturis, a data proprietate diuersis in concreto appellatis. Item de appellatione Christi præsto sunt exempla sacra, quæ similiter non exstant de nominibus, *Deus est homo*, si videlicet vel huic humana, vel illi diuina tribuantur, vt prædicatione communicatio Idiomatum exprimatur, nec tum locum habent particulæ distinctiuæ. Quæ enim posset ostendi ratio, si dicerem: *Filius hominis traditur, vt crucifigatur*, si κατ᾽ ἄλλο, id est, quod certe ab humanitate ad Deitatem deflecteret. Ne igitur contendamus de his alicubi incommode adductis.

Quæritur & hoc, num ad naturas aliquomodo realiter pertineat, quod concreto tribui necesse est? Ad hoc vel præcedentia Philippi & Lutheri testimonia respondebunt, nec est periculum, si quis definitionem nostram ita proponat: *Communicatio Idiomatum est prædicatio de Christo, in qua vnius naturæ proprium tribuitur alteri in concreto.* Cum enim sic non admittantur abstractiuæ locutiones, & concretum postula-

tum rationem, quæ naturam ſpectet, in perſona contineat, in qua vnius cum altera res eſt κοινωνία, ideo tum etiam periculum declinatur, & veritas conſtat.

Notanda etiam eſt ἀντίδοσις & reciprocatio, quomodo nimirũ hic locũ habeant pariter in hoc conſpirantes ſententiæ. *Quicquid eſt proprium verbi, commune eſt cum carne: & quicquid eſt proprium carnis, commune eſt cum verbo:* quæ verba ex Vigilio Martyre lib. 1 contra Eutichen ſæpe ab aduerſariis citata etiam hoc probant, quod modo de reſpectu ad naturas diximus. Exempla ſupra allegata oſtendunt propria humanitatis Deo, & Deitatis homini conuertibiliter tribui. Phraſis vſitata κατ' ἄλλο, vnde modus prædicandi ἀλλοίωσις vocatur, demonſtrat naturam, cuius ſit proprium, quod de concreto prædicatur. Nequaquam autem hæc eius mens eſt, quod denotet, cuius naturæ conceſſione & largitione altera aliquid acceperit, & donatum habeat, quemadmodum humana a diuina accepit donatam maieſtatem, quam aliunde habet. Κατ' ἄλλο autem, ſi proprie loqui velimus, non obtinet, cum in vna natura ἄλλο καὶ ἄλλο non ſit, & ſi vna de ſe aliquid κατ' ἄλλο prædicari ſtatuerit, non tam ſibi, quam alienæ naturæ recte iſtud attribui, abſtractumque pro concreto abuſiue poni arguit. Etſi autem ambigue dicta diſtinctione liberari poſſunt ab errore, tamen præter neceſſitatem

labo

labor iste attrahitur, & testatur experientia, quod multi neglecto discrimine promiscuo vsu confusionem intolerabilem primi & tertii generis inuehant, quando abstractiuas locutiones in primo genere, quod communicationem Idiomatum dicimus probari, & ἀντιδόσεως rationem tolli necesse est, cum tertium genus in abstracto loqui permittat, nec similiter diuinæ infirmitas ad diminutionem, vel quicquid etiam ad auctionem competat, quemadmodum humanæ, quæ minui potuit, maiestas accessionem attulit. Vt si dico, *Deus est passus* κατ᾽ ἄλλο, id est, secundum carnem, sic dico, *homo est ab æterno*, κατ᾽ ἄλλο, id est, secundum Deitatem, non autem vicissim, quemadmodum in tertio genere recte dicitur, *caro Christi est viuifica*, ita recte dicitur, Deitas est immortalis, nec vt *homo, Christus est infinitus* κατ᾽ ἄλλο, hoc est, non secundum humanam, sed diuinam naturam, ita caro Christi est viuifica κατ᾽ ἄλλο, id est, secundum Deitatem, vel Deitas & non caro Christi est viuifica. Id quod iure æqualis permutationis fieri oporteret, nisi seruanda esset distinctio inter primum & tertium genus. Quamobrem duplici de causa rectius fieret, si terminus κατ᾽ ἄλλο in primo genere retineretur vsitata significatione, ne videlicet tam operosa opus esset declaratione, & hac neglecta veritati insidiæ paratæ essent. Quod Dominus Lutherus ἀλλοίωσιν Cingli reiecit: id non intelli-

gendum est de ἀλλοιώσει vniuersaliter, alias Paulo & Petro Apostolis dica scriberetur, qui Christum aiunt esse ex Patribus etiam secundum carnem, *ad Rom.* 9. Et passum carne, 1. *Pet.* 4. Sed respicit Dominus Lutherus ad hanc sententiam, si quis dicat, nudum hominem passum esse, & quemadmodum Formula concordiæ loquitur, quod humana natura in Christo sola pro nobis passa sit, nosque redemerit, cum qua filius Dei in passione nullam prorsus communicationem habuerit. Et tantum de communicatione Idiomatũ, quam data definitione tantum proponi tutius est, ne generaliter vsurpatum definitum, aduersariis præbeat ansam calumniandi, & simplicioribus sit confusionis occasio.

DE MODIS LOQVENDI OFficium Christi spectantibus.

SVpra Thesi VI. de secunda Trinitatis persona confirmatum est, Christum esse mediatorem secundum vtramq; naturam. Recte igitur dicitur, Christum etiam secundũ Deitatem, & secundum humanitatem, seu secundum vtramq; naturam, redemisse genus humanum. Distinguendum autem hic est, inter essentialia atque naturalia, hoc est, singularum naturarum idiomata atque propria, & inter personalia, quæ officium Messiæ integrum concernunt. Essentialia atque naturalia, vt sunt, *esse æternum*, *infinitum*, *pati*, *mori*, can-

tum prædicantur de Christo in concreto, & explicatione ad vnam duntaxat naturam, reuocantur, salua vnione & κοινωνίᾳ. Personalia idiomata, vt sunt, *redimere sanctificare, saluare*, concreto seu personæ attributa, ad vtramque naturam declarando referantur. Itaque dicere possum: *Diuina & humana Christi natura, nos redemit, iustificat, saluat*, vel, *Christus est redemtor, iustificator, saluator secundum vtramque naturam.* Vni autem naturæ soli non recte attribuuntur talia, sicut Dominus Philippus in locis monet: *Natura*, inquit, *humana non tantū est redemtrix, quando abstractiuam locutionem probat, qua humanitati etiam Christi, nec soli Deitati redemtio tribuitur*. Vt tamen hæc res plenius intelligatur, obseruandum est, personalia idiomata, quæ ex eo, quod Deo placuit, illa per λόγον incarnatum peragere, ita nunc peculiariter vocantur, vt sunt, *redimere, iustificare, saluare*, non posse negari Deitatis propria essentialia. Personale enim Idioma in doctrina de Deo duplex est. I. Quod ad constitutionē personæ pertineat, & naturæ proprium fit nunquam. II. Quod personæ defertur, cum fuerit naturæ Idioma. Idioma igitur personale proprie dictū est vniuscuiusq; personæ modus subsistendi, vel tropus τῆς ὑπάρξεως, vt Iustinianus appellat. Hoc nō fuit, nec fiet naturæ propriū, ne personæ singularitas cum naturæ diuinæ communicatione permutata cesset. Potentia autē redimendi,

iuſtificandi,& ſaluandi genus humanũ na
diuinæ proprium eſt,& tamen in officio M
ſiæ ſuo quodã modo perſonale fit,vtraq; na
ra ad ἀποτέλεσμα perficiendũ concurrente; C
mundum in me crea, inquit Dauid Pſal.51.C
andi igitur verbo creatoris hoc eſt tribus pe
ſonis communem potentiam indicare vo
& *plus eſt*, inquit Leo ſerm.13. de paſſione,
nouiſſimis ſeculis reparaſſe Deum, quod perier
quam quod a principio feciſſet, quod non erat. Si
cut autẽ opus creationis; ſic & reliqua ope
Dei ad extra ſunt communia, quatenus di
nam potentiam ſpectes. Sic Eſaiæ 43. Ieho
inquit: *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas.* I
tem, *Non eſt ſaluator præter me.* Et Leo ſer
14.de paſſione Domini ſic ſcripſit: *Omnipo*
tia filii Dei, qui per eandem eſſentiam æq
eſt patri, potuiſſet humanum genus a domin
Diaboli ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere,
diuinis operibus maxime congruiſſet, vt ne
tia hoſtilis aduerſitas, de eo, quod vicerat, vi
retur. Hinc igitur potentia redimendi ag
ſcitur proprium Deitatis eſſentiale: Quia
tem conſilio ſanctæ Trinitatis opus redem
onis commendatum eſt ſecundæ perſonæ,
gula de operibus Dei ad extra quandam exc
ptionem recipit, ne alia quam ſecunda perſ
na incarnata, paſſa, & mortua eſſe, atque
λύτρωσιν præſtitiſſe, doceatur. Quando ta
tum id, quod diuinæ naturæ proprium,
perſona ſecunda in opere iſto vſurpatum,
eſſe

essentiale, proprium esse non desiit, etsi per-
sonale nunc dicatur in officii æstimatione, nec
cum humana natura confuse communicatur,
licet & secunda persona, & hæc incarnata, hoc
est, cum cõmunicatione assumtæ naturæ per-
ficit opus redemtionis nostræ, vt ἀποτέλεσμα nõ
sit vni naturæ, sed toti personæ secundum v-
tramq; naturam ascribendum. Vnde intelli-
gitur, idiomata ista propterea personalia dici,
non quod a naturis sint seiungenda, cum acti-
ones θεανδρικαὶ, seu Dei viriles appellẽtur a Di-
onysio apud Damascenum, quod videlic. duæ
naturæ indiuulsæ & vnitæ, distinctæ tamen a-
gentes in vna persona saluatoris ad vnum ἀπο-
τέλεσμα officii concurrunt. Hoc indicat Paulus
cap. 4. Gal. *Misit Deus filium suum, factum ex
muliere factũ legi obnoxium.* Quod nonnulli
personalia Idiomata hic ita vrgent, vt exclu-
dant essentialium proprietatum rationem, ne
officium secundæ tantum personę iniunctum
communicent cum Trinitate, illis ad vani
metus probationem primum considerandũ
proponatur, quomodo conciliare velint,
quod essentia diuina sit tota in singulis perso-
nis, nec tamen vna sit, sed plures, neque plu-
res οὐσίαι, sed vna tantum. Hic profecto con-
sensus est Christianorum, licet conciliatio nõ
succurrat, atque hoc vnum est ex præcipuis in
hoc admirando mysterio, quodq; maxime v-
nica est essentia & natura vnicæ diuinitatis, il-
la inquam vnica, tota & perfecta Deitas, in

persona filii Dei sit vnita, cum assumta humana natura, & illa ipsa vnica Deitas in persona patris, & Spir. sancti non sit personaliter vnita humanitati, quemadmodum Dominus Lutherus in vltima sua de cœna confessione scribit. Cur igitur proprium naturæ diuinæ non posset in persona filii vniri ad vnum ἀποτέλεσμα producendum.

Quicquid igitur ad declarandum & docendum assumitur distinctionis, in eo semper caueatur, ne quid officii ad personam ita alligatur, quasi ὑπόστασις filii Dei sit res extra & præter diuinam essentiam exsistens, vel diuina essentia extra & præter personam hanc, vel etiam alias exsistat. Errant & illi, qui officium saluatoris sic terminant redemtionis consummatione, vt postquam Christus victor mortis rediit, carnẽ eius vel a munere regni & sacerdotii vlterioris sequestrent, vel in eo tanquam quiddam otiosum & inutile considerent, quorum e numero est Orthodoxus Caluinistarum sensus, qui in præfatione hac vtitur oratione: *Nullus igitur carnis Christi vsus est extra redemtionis nostræ negotium.* Cum Christus carne sua ascendit in cœlũ, & collocatus est ad dexteram Dei, vbi constitutus est caput super omnia ipsi Ecclesiæ, q̃ est corpus ipsius, & cõplementũ eius, qui omnia implet in omnibus, *Eph.* 1. Et debuit per omnia similis fieri fratribus, vt misericors esset, & fidelis pontifex. Nam ex eo, quod perpessus fuit, cum tentatus

tentatus est, potest iis, qui tentantur succurrere, *Heb.* 2. Item cap. 4. *Non habemus pontificẽ, qui non possit affici sensu infirmitatũ nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absq; peccato.* Accedamus igitur cum fiducia ad thronũ gratiæ, vt misericordiam consequamur. Regula deniq; doctrinæ & locutionum in hoc genere est sententia Leonis (videl. Romani, qui dicitur Magnus) in Epist. 10. approbata a Synodo Chalcedonensi: Vtraq; natura Christi agit cũ cõmunicatione alterius, quod cuiusq; propriũ est, verbo operante, quod verbi est, & carne exsequente, quod carnis est. Hinc docemur obseruare: I. Quod ὑπόστασις filii vtraq; natura, nec vna sine altera agat. II. Quod propria in actionibus communicentur. III. Nec tamen siue δυνάμεις potentiæ, siue ἐνέργειαι actiones confundantur: verum in vnione distinctæ maneant. IV. Quod ex vnitis actionibus vnius personæ vnum exeat ἀποτέλεσμα. In primum peccatur, si quis redemtionem, regnum, sacerdotium personæ tribuat, seu illa personalia propria faciat, naturarum essentialibus proprietatibus inde exclusis. Quo spectat etiam crassissimus, & sine vlla excusatione Arrianus error eorum, qui dicunt, potestatẽ officii datam esse Christo secundũ vtramq; naturã, & hanc ipsam esse limitatam, quam inter quosdam terminos regni & pontificatus, quos non excedat, definiatur, quemadmodum scriptura suam ἐξουσίαν spiritibus immundis in aere tanquam in regno ipsorum

tribuit, & totam personam secundũ vtramque
naturam officii respectu manere sub diuinita-
te. Hic profecto plurima latent atrocissimo-
rum hæresium immania absurda, quæ vel ex
his paucis ęstimari & colligi possunt, quod po-
testas officii totius personæ respectu & nomi-
natim etiam, quo ad diuinitatem limitata, ne-
get Christum propter hoc officiũ oportuisse
verũ esse Deum, negetq; inde, verum Deum
probari, itaq; Christũ inter idola referat, qui
cum non verus sit Deus, & pro Deo tamen co-
latur, fictitium numen sit necessario. Sed de
his alibi pluribus respondimus, & hic tantum
auditores, vt sibi ab istis doctoribus ceu a Dia-
bolo caueant, monemus. Secundum violat,
qui dicit, separatim humana & seorsim diui-
na Christum agere, cum vtraque natura agat
non diuulse, οὐ διῃρημένως, sed coniunctim ἑνω-
μένως, vt Damascenus loquitur. lib. 3. *de Ortho-
doxa fide, cap.* 14. Tertium negligit, qui cum
communicatione actionũ negat vnamquam-
que naturam proprium agere. Aliud enim
est proprium esse vnius, aliud proprium vtri-
usq; vnitæ præstare. Communicatio etiam sic
intelligatur, vt diuina vtatur humana natura
tanquam organo, humana vero participet de
virtute diuina. In quartũ delinquit, qui putat,
hinc exire duo effecta cum viuificante diuini-
tate τοῦ λόγου per suam propriam carnẽ, vtraque
quidem agat, quod suum est, cum communi-
catione tamen alterius, vt vna fiat viuificatio
Chri-

Christus excitat Lazarũ ſecundũ vtrãq; naturã agente vna cũ cõmunicatione alterius, & humana quidem vocante Lazarum, diuina autem viuificam voci virtutem iungente, & per vocem humanam tanquam per organum exercente vnite opus peragitur, vt vnica excitatio ſit vtriuſq; naturæ. In his fere tota circumſpectio continetur quæ huius generis locutiones moderatur.

DE LOCVTIONIBVS COMMVnicationem Maieſtatis Chriſto ſecundum humanitatem collatæ prædicantibus.

COmmunicatio maieſtatis primum generaliter accipitur, tũ de illa excellenti ſublimitate dignitatis, qua humana natura aſſumta eſt a Deitate τ͂ λόγȣ in vnitatem perſonæ: tum de iſta, quæ in communicatione Idiomatum officiiq; ſocietate oſtenſa eſt eminentiam complectitur, nec non de ea, quæ nunc ſingulariter tradenda eſt maieſtatis κοινωνία. Miſsis autem & in ſuum locum reiectis cæteris, hic tantum quæritur: quid maieſtatis diuinæ & prerogatiuæ præ reliquis hominibus & ſanctis humana natura Chriſti per vnionem perſonalem peculiariter acceperit. *Peculiariter* dico non ſolum, quod magna ſit & fere etiam ſingularis maieſtas communicationis præmiſſæ, ſed etiam, quod hęc ſuum peculiare ſeruet vt cum in communicatione naturarum & communicatione Idiomatum præ

dicatio non aliter possit , quam in con-
creto tolerari: Hic abstractiua ad exemplum
sacræ scripturæ locum habet, ne quid solum
ratione proprii, quod humana natura ex se
confert officio præstando, sed etiam ratione
diuinæ potentiæ τοῦ λόγου humanitati sic com-
municatæ, ne sine naturarũ confusione ad pe-
culiaris modi præscriptum præeunte verbo
Dei diuinum proprium de humanitate Chri-
sti prędicatur. *Secundo* cum in pręcedentibus
reciproca sit ratio, hic ea plane cessat: Sicut
enim dicitur *Deus est homo, Deus est passus,* &
*Christus secundum deitatem operatus est re-
demtionem nostrã*: Ita recte dicitur *Homo est
Deus, filius hominis est ab æterno,* & *Christus
secundum humanitatem etiam redemit ecclesiam.*
Verum hic Antidosis omnis tollitur: nõ n. re-
cte dicitur, *Deitas est passa seu passiones sensit,* si-
cut probate loquimur, ꝙ *caro Christi sit viui-
fica & vim viuificandi habeat.* Tertio nec
ἄλλο dici vllubi in scriptura traditur, sed Christi
suo sãguine nos redemisse dicitur Sãguinis vox
Christi appellationi subiecta alterũ ἄλλο osten-
dit, vt valde ineptum sit, si quis in vna natura
denuo ἄλλο καὶ ἄλλο instituat. Hæc initio notétur,
vt huius generis singularitas deprehendatur,
ex quibus maxime insigne est, quod sacræ li-
teræ ne quidem in vno loco per abstractum
vocabulum deitatem Christi appellent, eique
humanum proprium attribuant, quemadmo-
dum multis in locis in abstracto loquitur de
hu-

humanitate diuina prædicans. Hinc igitur constat humanæ Christi naturæ diuina quædam competere modo singulari, & ab eo, quo humana de diuina in concreto dicuntur & contra diuina de concreto humanæ naturæ dicuntur diuerso. His obseruatis consideranda etiam est hæc argumentatio. *Aut omnia, aut quædam, aut nulla Idiomata deitatis realiter sunt communicata assumta naturæ, sed omnia non sunt communicata, quia humanitas non est æterna, infinita, nec quædam communicari potuerunt, cum ista Idiomata sint essentialia & essentia diuina sit impartibilis.*

Restat igitur, vt nulla Idiomata essentialia deitatis sint realiter assumtæ naturæ communicata. Respon. primum ad maiorem, quod sint distinguenda communicationis diuersa genera vel diuersi gradus. Realem enim communicationem & in κοινωνίᾳ Idiomatum, & in communicatione maiestatis statuimus, sed nõ vtrobiq; similiter. Ex priore etiam nõ patimur excludi omnẽ respectũ naturę, & si in cõcreto tãtũ & nõ in abstracto probemus locutiones: id quod supra ostensum est verissimũ. In posteriore vero ita humanitatẽ Christi seu λόγῳ vnitã respicimus, vt etiã de ea ꝑ vocabulũ abstractũ appellata prędicemus Idiomata diuina. Nũc ad minorẽ accedo & improbo, ꝙ omnia communicari negẽtur adductis instantiis, quæ ad κοινωνίαν Idiomatum pertineant. Etsi enim ibi non licet loqui in abstracto, omnia

tamen alterius naturæ cõmunicata sunt alte-
in concreto. Nullum est enim diuinum i-
dioma, quod non prędicetur de concreto hu-
manæ naturæ, & nulla proprietas humani-
tis, quæ non attribuatur in concreto diui-
naturæ, vbi certe naturarũ respectus non p-
test sic excludi, etsi in cõcreto tantũ & nõ i-
abstracto loquamur. Quod autem ad cõmu-
nicationem maiestatis attinet, plane imper-
tinẽtes afferuntur instantiæ ex diuerso gene-
petitæ. Vt si vellemus hic tueri vniuersale
nihil impediremur per illas ἐνστάσεις. Verũ co-
cedimus hoc loco, quod non possimus pro-
bare omnia diuina esse communicata huma-
nę naturæ per communicationem maiesta-
Idq; hanc ob caussam, quod cum videamus
sacris literis diuina quædam propria prædic-
de humana natura per vocabulum abstra-
appellata, nec vero humana similiter de d-
uina vllubi in sacra scriptura dici cogitare-
mus. Hoc genus communicationis ab illo d-
stinctũ & peculiare esse cõmonefiamus. In-
discamus in hoc non quoduis, sed illud tan-
quod spiritus sanctus designauit, tuto po-
asseri communicatum. Quæ prouidentia c-
pari nõ potest, nisi reprehendendum demon-
stretur quod Es.8. dicitur ad legem & testimo-
niũ. Et 1. Pet. 4. *Qui loquitur, loquatur ver-
bum Dei*. Quod autẽ hic a consequẽte impu-
gnamur, quia nimirum hac ratione Deitas st-
tuatur passibilis, moneo auditores meos,

ha

hac vtantur simplicitate quærētes num disputator aduersarius probare possit? I. Deum nō posse inuenire vllum medium, quo alia idiomata essentialia cōmunicet assumtæ naturæ sine essentiæ distractione & diuulsione. II. quēadmodū humana ratio quoad certitudinē describat, vt ἀδιαίρετον certo cōsequi cōcludat. In his si laborauerit aduersarius, si modo scintillā pietatis fouerit, verebitur Deo derogare omnē modum, quo possit ea, quę promto naturæ modo longe aliter fierent, aut si paululum ex de incertorū affirmatione, vel ex mala consequentia erubuerit, non instabit hac sua obiectione, ne Deo sapientior videri velit, vel mysterium secus inquirere & pandere, aut consequentiam ad peritum artis vitiosam iactare videatur. Ex quibus cū intelligatur modestiam prædictam necessario adhiberi, ne videlicet tum in pietatem, tum in conscientiam propriā & rationem cōmunem iniurii simus, Saxonicam moderationem merito commendamus adolescentibus, quę in communicatione maiestatis non quiduis suis rationibus astruit, sed vnico verbi Dei pręscripto est contenta, cetera ad cœlestem scholam reiiciens.

Ab illorum autem temeritate dehortamur fideliter, qui diuinam patefactionem suis ratiunculis superare consitentes, omnia maiestatis communicationi, de qua distincte loquimur, implicant. Itaq; lites in ecclesia vrgent & communium aduersariorum pessimā

caussam veritatis simplicioris perditio- non parum iuuant & promouent, cuius cul- pæ conscientiam quis tandem iudici Deo i- sistens sustinere poterit? Ad locutiones ipsas accedentes, eam, quæ vbiquitatem vel omni- præsentiam huic generi vel gradui commu- cationis infert, seponimus, expresse fatentes, quod claro verbo Dei, quo vnico sola Chri- stiana fides nititur, destituatur. Etsi quod Deo impossibile sit, eam præstare nunquam dixe- rimus, nec adhuc ita sentiamus, præter istam præcipua, quæ in controuersiam vocatur, hæc est: Humanitas Christi vel Christus secundum humanitatem est omnipotens, de qua potis- simum hæc in quæstionem veniunt. Primum an firmamento sacræ scripturæ consistat, 2. Num ab Eutichianismo & Nestorianismo sit libera? Ad I. Resp. Probari posse ex S. literis Christum Deitate ab æterno omnipotentem p communicationẽ maiestatis secundum hu- manam naturam in tempore omnipotentem factum esse. Primaria sententia confirmatio- nis est oratio Math. 28. a Christo prolata, *Mi- hi data est omnis potestas* Hic fatemur concre- ti[illegible]m esse locutionem: *Ego* enim personæ est demonstratiuum, non naturæ: Quod si p cõ- [illegible]onem Idiomatum proprie sic dicti [illegible]ationem institueris, pronuntiandi [illegible] dici Quod si igitur ista [illegible] [illegible], quæ semper respicit quæstionem: [illegible]quã naturæ sit proprium, emergere hic

h[illegible]sus Christo secundum Deitatem esse
d[illegible]mnem potestatem, quod sanè negari
non potest, si datio æterna hic haberet locum,
qua filius ante initium temporis a patre ab
æterno genitus omnia accepit, quibus patri
coessentialis, coæternanus & potentia ac maie-
state æqualis est. Verum consensus est, agi hic
de iis, quæ Christus in tempore accepit. Hic
i[illegible]mirabilis factus est variarum concursus
[illegible]nionum: primo quidam in concreto hæ-
serunt, negantes abstractiuam locutionem,
qua humanitas Christi notatur. *Deinde* qui-
dam in verbo data est, commoditatem quæ-
sierunt suam. *Tertio* quidam in vocabulis
π[illegible]ξουσία philosophati sunt. Primum in hoc
recte sunt locuti enuntiationem Christi esse
concretiuam. Certum etiam est, omnes con-
cretiuas locutiones non minus in hoc, quam
in aliis generibus, esse receptas. Cum autem
concretiuorum vsus alias id, quod præceden-
tia probant, duplex sit? I. Vt persona nomi-
nans concretum respiciat prædicatum, secun-
dum alteram naturam, vt proprium naturale.
II. Vt similiter personam denotans admittat
prædicatum tanquam personale proprium se-
cundum [illegible] naturā. Et prioris quidē vsus sen-
tentia, cum quæritur, de pręsenti testimonio,
[illegible]atur ideo, quod communicatio Idio-
[illegible]plicando deferat omnē potestatem in
[illegible]tā Deitati filii, & hoc modo, vt pro-
[illegible], vendicet, quod certe simplici ęternę &

immutabili essentiæ repugnat. Nonnullij
tur concretum altero explicationis vsu ac-
piunt, videlicet quod Christo data sit om
potestas secundam vtramq; naturam. Hiv
ro rursus in sectas scinduntur quæsitis diuer
pharmacis in verbis *data est*,&,*omnis potesta*
Anhaldini verbum ἐδόθη æquali significa
ne vtriq; naturæ accommodant. Zanchius v
ro duplici, vt videlicet data sit quo ad hum
nitatem simpliciter accipiatur, sed quo ad
uinitatem explicetur per reddita sit. Pu
enim hic agi de potestate in exinanitione
posita, &postea restituta. Vterq; assumit
tanquam potestatis officii mentionem, qu
tamen Anhaldini illi aiunt, *potestatem es*
toti personæ secundum vtramq; naturam da
esse in tempore, eo impingunt in Orthodo
antiquitatis regulam constantissimam: q
quicquid Christo datum dicatur in tempore,
humanæ non diuinæ naturæ Christi donatum
se sit intelligendum: De qua regula a multis P
tribus repetita, ne opus sit noua concertat
ne, obseruēt adolescentes, quod Daneus p
lixe eam concesserit Domino Chemni
Hic enim in lib. suo pag. 266. sic scripse
Fundamentū & principium simplex certum
immotum est, fidem & confessionē nostrā Chri
respectu assumtæ naturæ vel secundum huma
naturā vel humanæ naturæ in Christo aut Chri
carni aut Christo, quatenus & in quantū ho
est ꝓpter ὑποστατικὴν *cū diuinitate vnionē ea*

tribuere posse, ac necessario etiam tribui debere, quæ scriptura ipsi tribuit ac data seu donata prædicat. Ad hæc Danæus in examine suo pag 360. istam propositionem verissimã esse dicit & pagina sequenti prolixe agit, benigneque hoc Chemnitio largitur, nimirũ: quæ Christo donata dicuntur, ea respectu humanæ ipsius naturæ Christi, aut secundum humanam naturam dici donata Christo. Addit ibidem, quod Dominus Chemnitius in hoc probando diu multumque se fatigarit, cum minime fuerit opus. Non igitur necesse est, vt litem hanc diremtam, ab exordio nunc quidẽ repetamus. Verum cum certum sit, diuinitati filii in tempore nihil dari, sicut testatur Athanasius citãte Theodoreto dialogo secundo, quod vel essentiã vel potentiam eam imminutam vel auctam arguit, ideo concretum in dicto Christi Matth. 28. non potest explicari de vtraque natura. Secundam classem occupat Zanchius, qui in verbo ἐδόθη restitutionem intelligit. Idẽ Hessiander docuit *in libro de reali communicatione a Beza commendato pag.* 45. Hi vero nihil plus velint, quam creatam quandam potestatem, ab Anhaldinis solummodo verbis discrepant Si autem omnis potestas quam Christus ante incarnationem habuit, vt Zanchius loquitur de omnipotentia diuina accipitur, testimonio horum refelluntur & primę & tertiæ classis doctores. Ipsos autem restitutores refellit, quod Christus de se exinanito

dicit, *mihi omnia tradita sunt a Patre* Matth.
Cui dicto certe aduersatur Zanchius lib. 2 de
attributis diuinis capite sexto, cum inquit: *Post-
quam resurrexit a mortuis perfecta redemtionis
mysterio reddita est illi omnis ἐξουσία, quam ante
incarnationem habuerat, & qua ceu in manum
Patris deposita per incarnationem se exsuerat.*
Probandum autem est Zanchio, quod incar-
natio Christi Deitatem vsque ad resurrectio-
nem omnipotentia exsuerit, & quomodo sine
hac redemtionis negotium potuerit perfici.
Quod non exsuerit, doceor testimonio Mat-
thæi vndecimo & innumeris illis miraculis,
quibus vt Iohannis secundo dicitur, *manife-
stauit gloriam suam, gloriam videlicet vnigeniti*
Iohan. 1. Quod humanitas non suffecerit re-
demtioni testatur Psalm. 99. *Fratrem redi-
mendo non redimet quisquã, nec Deo dabit pre-
tium redemtionis eius. Nam pretiosa est re-
demtio animæ ipsorum.* Deinde quod redem-
tio deitatis potentia indiguerit, Spiritus san-
ctus docet Roman. octauo *quod legi erat im-
possibile, id Deus misso Filio præstitit* Galat. 4
Misit Deus Filium suum factum &c. Denique
quod potentiam diuinam, ex inanitione in
summa hoc est, in morte exercuerit, ibidem
docetur. Hebr. 2. *Paulisper inferior factus est
angelis propter mortis passionem.* Cadit igitur
glossa in verbo ἐδόθη posita. Tertia classis est
eorum, qui πᾶσαν ἐξουσίαν negant esse πᾶσαν δύ-
ναμιν seu omnipotentiam, cũ tamen ad Ephe-

πᾶ-

πᾶσα ἐξουσία & πᾶσα δύναμις coniungantur. Huc vero præcedentium ordinum doctores etiam pertinent, vt quod Anhaldini, quemadmodum supra eorum Theses recitauimus, limitatam potestatem Christo secundum vtramque naturam datam esse contendunt. Quo etiam tendit Zanchius, licet videri velit cautus agere, quod secundum Deitatem dicat esse redditam, secundum autem humanitatem tunc primum datam, quando Christus resurrexerit. Singularis tamen opinionis sunt Beza & Daneus, & cum plerique alii, qui concretum propositæ sententiæ Christi solummodo ad humanitatem patiuntur explicando reduci, & potestatis dationem intelligunt, quam antea non habuerit, nam cui data esse dicitur. Negant autem omnem potestatem esse omnipotentiam diuinam & finitam solumodo statuunt. Verum hi multis modis refutantur, id quod in tractatu de vbiquitate prolixe docui, ideoque hic repetere nolo. Omnis certe potestas in cœlo & terra non est finita, cum omnem creatam potentiam superet teste Apostolo Ephes.1. *Christus collocatus ad dextram patris* (id quod Beza & Daneus secundum carnem factum concedunt) *longe super omne imperium & potestatẽ ac potentiã &c.* Quod si hanc sublimitatem etiam limitauerit terminis tantum amplioribus constitutis, quam vniuersis creaturis aliis circumpositos statuas, sicut Daneus in examine

pag. 367. immenſam agnoſcit illam poten-
tiam ratione aliarum creaturarum, tamen
hoc potentiæ, ex aliis dictis ſacræ ſcripturæ
quaſi ex ſpeciebus æſtimari licebit, ad quam
conſiderationẽ neceſſario hic adigimur. Cum
enim humanitati Chriſti, ſeu Chriſto ſecun-
dum humanitatem omnem poteſtatem do-
natam eſſe conſtet, & non diuinitati, vrget me
quorundam aduerſariorum tergiuerſatione.
quam tamen antea retulimus, quod ſolum-
modo concretiuam locutionẽ directe ex ver-
bo Dei probauerimus. Abſtractiuam autem
ratiocinationibus exſtruxerimus, quam tamen
in ſimilibus non permittamus phraſibus. Hæc
exprobratio non eſt exigui momenti, quoniam
vniuerſa Chriſtiana religio nos ſemper reuo-
cet ad verbum Dei, quod conſcientias vnicum
certificat & inter decretorum diuinorum &
argumentationum humanarum certitudine
magna ſit differentia, teſte Salomone Prouer.
21. *Omnis via viri recta eſt in oculis eius.* Pon-
derat autem corda Iehoua, quamobrem, nisi
de abſtractiuis nobis eſſet certior probatio,
locutione ſaltem ſi non ſenſu credere nos o-
porteret. Verum ſcriptura nobis ſuccurrit, ab-
ſtractiuas locutiones præbens huiuſmodi, in
quibus prædicatum vim & potentiam diuinam
humanæ naturæ Chriſti per vocabulum ab-
ſtractum deſignatæ tribuit, exempli gratia:
Caro Chriſti eſt viuifica. Hæc locutio deſumta
eſt ex 6. cap. Ioh. vbi ſic legimus a Chriſto di-
ctum:

ctum: *Ego sum panis viuificus, qui e cœlo descẽdi.* Item, *nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem* &c. Item *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus.* Ex his testimoniis Ecclesia defendit locutionem abstractiuam, *Caro Christi est viuifica.* Sic enim concilium Ephesinum, in quo damnatus est Nestorius Canone 11. *Si quis nõ confitetur carnem Domini esse viuificam, propterea quod propria facta est verbi, quod omnia viuificat, Anathema sit.*

Hinc igitur duo concludimus, cum Christo omnis potestas data sit, & huic viuificandi potentia diserte tribuatur carni Christi, licebit nobis auctoritate sacrę scripturæ in abstracto loqui, id est, dicere quod humana Christi natura sit omnipotens. Ne quis vero denuo litem moueat, quod omnis potestas non sit omnipotentia, cum hæc Dei infinita sit, illa certis suis terminis describenda: ex potẽtia viuificandi, quæ liquido creatoris est, ideoq; omnipotentiæ ipsius debetur, arguo cõtentiosos. Hic demũ aduersariis aqua hæret, vt nullam propositionem minus tangant, quã hanc. Danæus cõtra Chemnitium prodit animum, qui eam percupiat negatã, sed videt sibi plurima obstare, ideoque constans est in sua sententia, nec quid decernẽdum sit constituit. Hoc tamen fatetur pag. 306. phrasin non pertinere ad communicationem Idiomatum, sic enim, inquit: *neque enim caro Christi per com-*

municationē Idiomatum dicitur viuifica. Quo cōcesso scriptum refutat certantē, quod vis ista a carne Christi subducēda & ad Deitatem reducenda sit. Cum potentia viuificatrix non sit proprietas carnis humanæ, nec de hac κατ' ἄλλο prædicetur, (id quod negatione communicationis idiomatum tollitur,) certe quo se verterit Daneus, vt communicationi maiestatis, tanquam peculiari generi, locutionem istam deroget, non habet, vbi subsistat. Si institerit limitare potentiam, opponendus est homini, (nostratem enim audire contemnit) Hessiander scriptor Bezæ commendatissimus, qui peculiarem edidit taractatum, in quo pollicetur sententiam Synodi Ephesinæ ex Cyrilli scriptis collectam. Hic vero quod alii studiose subterfugiūt, aperte largitur sic scribens pagina septuagesimasexta: *Scriptura teste constat & probatur, viuificationem esse opus naturæ omnipotentis, eamque vni & soli Deo competere.* Subiicit etiam testimonia. Quod autem phrasin refert ad communicationem Idiomatum, cum dicitur *Caro Christi est viuifica*, in eo refellitur a Danæo, & res manifesta est, locutionem approbatam falso accenseri isti classi, in qua abstractiua locutio improbetur. Et quid absurdius est, quam in vocabulo vnam naturam notante, & quidem in forma sermonis minime abusiua ponere ἀλλοίωσιν: Itaque in re-

cessu

cessus [illegible] declaratione hoc tradere, non carnem Christi, sed Deitatem eius esse viuificam [illegible] ribus disputationem hanc nunc non [illegible] sed tantum vnum, quod ex textu Ioh[illegible] afferri solet explicabo. Supra ad [illegible] Idiomatum retulimus, cum Christus vel Filius hominis dicitur e cœlo descendisse. Sed idem de pane vitæ dicitur, qui est Christus. Quod hinc obiiciunt nonnulli quasi sequeretur, carnem Christi esse panem vitæ per communicationem Idiomatum. Ad id respondeo: Christus est panis vitæ secundum vtramque naturam nempe iuxta Deitatem ab æterno, & iuxta humanitatem in tempore assumtam. Pani igitur isti, id est, Christo recte tribuitur, quod aut deitati aut humanitati debetur. Itaque panis ille de cœlo descendisse dici potest secundum Deitatem. Quod autem caro Christi panis dicitur, in eo non potest esse eadem ratio, cum vocabulum carnis abstractum sit, eam naturam determinans, de qua posset dubitatio incidere. Manifestum igitur est, diuersas formas loquendi, vt similes coniungi sine vinculo. Idem statuendum est de hac phrasi: *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato & de similibus.* Nec vero præterea vel Eutychianismo vel Nestorianismo fauemus, cum carnem Christi, nec in Deitatem mutatam, nec a Deitate separatam, viuificam tradamus,

sed carnem λόγου propriam distinctam a Deita
te tum substantia tum essentiali proprieta
propriaq; actione in vnione hypostatica con
fitemur esse viuificam. Concludamus autem
hanc disputationem dictis Cyrilli, naturarum
distinctionem vnitatemque personæ asseren
tibus, & tamen carni Christi ipsam virtutem
deitatis vindicantibus, modo hominibus in
explicabili, in quo non secus accerto offen
duntur aduersarii. Cyrillus sensum exprimit
Christi locutionis lib.4.in Ioh.cap.14. *Christus*
totum corpus suum viuifica spiritus virtute p
num esse ostendit. Item, *Caro Christi non ami*
naturam carnis, & in Spiritum mutata est, f
summe cum eo coniuncta totamque viuificam
vim hausit, Item *Spiritus virtus viuificam co*
nem efficit. Et tandem quando igitur viuifica
ipsam appellat Christus, non ita illi, vt sibi s
proprio suo spiritui vim viuificandi attribu
Nam propter seipsum Spiritus viuificat, a
cuius virtutem per coniunctionem caro con
scendit. Quomodo autem id fiat, nec mente
intelligere, nec lingua dicere possumus, sed si
lentio & firma fide illud suscipimus.

LOCVS V. DE SPIRITV sancto.

I. Thesis.

Spiritus sanctus est verus Deus.

Explicatio.

SPiritus S. in sacra scriptura non dicitur vno
modo

modo; Alias enim creaturam alias creatorem significat. De creaturis hic non est dicendi necessitas. De Spiritu autē creatore notandum est, quod appellatio alias essentiam, alias personam Deitatis significet. Ad essentiam pertinet dictum Ioh. 4. *Deus est Spiritus.* Sic deitatē intelligimus, quæ vna est in singulis personis tota, cum de Christo dicitur Roman. 1. *Quod declaratus sit Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis.* Item 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, vt nos ad Deum adduceret mortificatus quidē est carne viuificatus autē Spiritu.* De hac significatione hic etiam agitur. Sed ista cū discretione Spiritus sanctus hic dicitur tertia persona Trinitatis. Itaque appellatio est ὑποστάσεως. Deinde vt nulla persona Deitatis extra communem essentiā existit, ita de hac tertia persona, non potest doceri sine essentiæ istius ratione. In primis vero cum quæstio agitetur num iste Spiritus sanctus sit verus Deus, hoc ipsum probandum est, quod Spiritus sanctus sit Spiritus, quem Christus Ioh. 4. Deum appellat.

CONFIRMATIO.

Quod Moyses Deu. 4. dixit, *patres ad iram prouocasse Iehouam*, hoc Esaias cap. 63. de Spiritu prouocato interpretatur inquiens: *ipsi autem fuerunt rebelles, & irasci fecerunt Spiritum sanctum eius.* Sic Act. 28. Paulus testatur: Spiritum sanctum locutum esse per Esaiam hæc

verba: *vade ad populum istum & dic, audientis dietis & non intelligetis.* Eadem vero Esaias se audiuisse loquente Iehoua. Exod. 4. Iehoua promittit Moysi, *se futurum in ore ipsius & docturum ipsum, quid loqui debeat.* Idem Iehoua promittit hæc omnibus Prophetis Num. 12. Sed hunc Apostolus vocat Spiritum Christi 1. *Pet.* 1. Et Spiritum sanctum 2. *Pet.* 1. Sic Stephanus *Act.* 7. suos aduersarios ait obniti Spiritui sancto, sicut & patres ipsorum. Quod cum 63. Esaiæ & 28. Actor. conferatur. Quod Psalm. 78. & 106. dicunt, *verum Deum ab Israelitis tentatum esse in solitudine*, hoc de Spiritu sancto explicat Epistola ad Hebr. 3. Matth. 28. mandatur baptismus in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Paulus autem 1. *Cor.* 1. vetans auditores appellari Pauli, quemadmodum dicuntur Christi, rationem hanc affert; quia non liceat baptisari in nomine Pauli, quãdo arguit, esse diuinitatis τεκμήριον baptisari in alicuius nomine, de quo præclare ait Basilius Epistola 78. *Oportet nos baptisari sicut accepimus, credere autem sicut baptisati sumus, glorificari autem sicut credidimus & Patrem & Filium & Spiritum sanctum.* Actorum 5. Petrus dicit ad Ananiam *Cur impleuit Satan cor tuum &c.* & mox, *non mentitus es hominibus sed Deo* 1. Corin. 12. Vbi Apostolus loquit᷑ de variis donis Spiritus sancti, & in his quasi discrimina indicat: Ait tamẽ *auctorem istorum eundem esse Spiritum, qui sit idem Dominus & idem Deus* 1. Cor. 3. *an nescitis*

vos

vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis. 1. Cor. 6. *An ignoratis corpus vestrũ esse templum Spiritus sancti*, &c. Huc pertinet, quod in libello nostro probatur, propria omnipotenis naturæ opera Spiritui sancto in sacris literis ascribi.

II. THESIS.

Spiritus sanctus est singularis persona.

EXPLICATIO.

NIsi hæc Thesis præcedenti adderetur, testimonia illam probantia non tã de Spiritu sancto, quam de Deo Patre, aut Filio eius possent accipi. Quid enim aliud dictũ est Spiritũ sanctũ esse Deũ, & quid obstat quo minus inde cõcludatur, Patrẽ esse illũ Spiritũ, nisi videlicet differentia de peculiari ὑπόςασει cõstet.

CONFIRMATIO.

Spiritum S. esse personã a Patre & Filio distinctam, patefactio in baptismo Christi addita demonstrat. Matth. 3. vbi Pater de cœlo clamans, Filium singulariter ostendit inquiens, *hic est Filius meus &c.* Et Spiritus sanctus peculiari specie columbæ sese exhibens conspiciẽdũ, vt quoddã a Patre & Filio distinctum ὑφιςάμενον. Sic baptisamur in vno nomine, quod tamen distinctis ὑφιςαμένοις, nempe Patri, Filio & Spiritui sancto tribuitur, Matt. 28. Sic Spiritus sanctus, quẽ Filius promiserat, se a Patre missurũ, specie ignis in Apostolos effunditur. *Act.* 2. Ipseque Christus distinctionẽ inter se & Patrẽ atque S. sanctum grauiter confirmaturus sic

loquitur Iohan. 14. *Ego autem rogabo Pa[trem] & alium consolatorē dabit vobis.* Et cap. 15. *C[um] autē venerit consolator ille, quē ego mitta[m] vo[bis].* Sed de processione, quæ est χαρακτηριστικὸν [ἰδίω]ma & proprium huius personæ, ideoque h[oc] loco nobile præstat argumentum, in seque[nti] Thesi agetur pluribus.

III. Thesis.

Spiritus Sanctus est tertia persona Diuini[tatis] procedens a Patre & Filio.

Explicatio.

SVpra dictum est, ordinem person[arum] quo tamen nihil coessentialitati, coæte[rni]tati & coæqualitati derogatur, non satis co[n]stanter exstrui ex dicto Christi mandantis [ba]ptismum Apostolis *Matth.* 28. Verum ex p[ro]priis personarū firmius peti eius rei argu[men]ta. Sic igitur cum Filius a Patre generetur, S[pi]ritus sanctus autē a Patre & Filio procedat, [Fi]lius ordine posterior est Patre & prior Spi[ritu] sancto. Itaq; secunda persona. Spiritus sanct[us] autem a Patre & Filio ordine posterior ter[tia]. Sed de processione ista, nū videlicet Spi[ritus] sanctus a Patre solum, an vero a Patre & Fi[lio] simul procedat, hæret adhuc disputatio, [et] constante hac de altera potest esse dubi[um] quod nunc tamen manet. Ne igitur ad co[n]firmationem sacris testimoniis conficienda[m] statim accedamus, expedienda sunt, quæ pro[]bationem intricatam relinquerent. Meme[ne]rint autem adolescētes, quæ Græcæ Eccles[iæ]

Latin[æ]

Latinis hac in parte dissentiant, illis profiten-tibus processionem a solo Patre ; his eandem ab vtroque. Cum Latina Ecclesia nostrates fa-ciũt, quibus potissimum tria hæc obiectantur speciosa. I. In sacris literis nõ aperte dici, quod Spiritus sanctus a Patre & Filio procedat. I I. Nec symbolum Nicenum nec Græcos patres istud dogma acceptasse. III. Latinos inter pro-cessionem & missionem Spiritus sancti non distinguere. De primo respondemus verum esse, quod nullibi in sacris literis, his ipsis ver-bis doceatur Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, quia nec hoc in sacris tabulis legi-tur. Præterea dicta exstant huius modi, quæ vt Patris ita & Filii, Spiritum S. appellant hãc ter-tiã personam. Sicut ergo Filius est Patris Filius, ab ipso nascatur, ita Spiritus vtriusq; Patris ni-mirũ & Filii Spiritus est, quod ab vtroq; pro-cedat. De secundo, & quidem quo ad symbolũ Nicenum ita respõdet Basilius, πνευματομάχοις Epistola -8. ὁ τοῦ πνεύματος λόγος ἐν παραδρομῇ κεῖ-ται διὰ τὸ μηδέπω τοῦτο κεκινῆσθαι τὸ ζήτημα: sententia de Spiritu sancto in trãscursu posita est, quod nondum nota esset ista quæstio. Alias de sym-bolo illo a Latinis aucto Petrus Lombardus testatur, dum lib. 1. distinctione 2. refert, men-tionem Filii a Latinis incertã esse, nec reper-tam fuisse in tabula illa argentea, cui post alta-re beati Pauli Apostoli Romæ posita Leo ter-tius pontifex symbolum Nicenum pro amore & cautela fidei orthodoxæ, vt Lombardus

loquitur insculpsit. In symbolo autē Athanasiano clare affirmatur, q̃ Spiritus sanctus sit a Patre & Filio: τὸ πνεῦμα, inquit, τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. Similes sententiæ sunt apud Epiphanium contra πνευματομάχους pag. 381. ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων. *Spiritus sanctus ab vtroque est.* Idem πνεῦμα ἀληθείας ἐστὶ φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. De tertio sciendum est, quod nō debeat confundi processio Spiritus sancti æterna & missio temporalis. Recte enim Theophilactus inquit, quod ἐκπόρευσις non sit ἀποστολή, missio, sed φυσικὴ ὕπαρξις. Cum igitur allegantur dicta, Filium mittere Spiritum sanctum, non recte concluditur, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere, quasi missio & processio essent eadem. Sed hæc est ratiocinatio: a quo Spiritus sanctus mittitur, ab eodem etiam procedit, sed mittitur a Filio. Ergo etiam ab hoc procedit. κρινόμενον est maior propositio, cuius ratio sane humana est, quod Spiritus missio personæ competere nequeat, nisi ab eadem procedat. Verum hinc disputatio ad istud firmius cōuertatur, quod Spiritus sit Patris & Christi Spiritus. Distingui etiam solet inter ἐξελθεῖν καὶ ἐκπορεύεσθαι, hoc Spiritui sancto, illud Filio tribuitur. Sic enim Iohan. 8. Christus inquit, ἐγὼ ἐκ θεοῦ ἐξῆλθον *ego a Deo exiui*: & Ioh. 16. ἐγὼ παρὰ θεοῦ ἐξῆλθον. Quod si vel vtrobique hoc ad missionem Filii in mundum est referendum, quemadmodum videtur, vel ad natiuitatem æternam eiusdem, tum distinctio duplex

duplex infertur, nimirum temporalis & æterna, & proprii Spiritus sancti a proprio Filii. Nam Iohannis 8. dicitur ἐξῆλθον καὶ ἥκω *exiui & venio*. Iohannis 16. *Exiui a Patre & veni in mundum*. Hinc egressus ad incarnationem videtur notari. Rursus autem egressio dicitur etiam natiuitas Filii æterna, *Mich.* 5. Vt illic sit æternæ & temporalis natiuitatis copulatiua, quemadmodum Iohan. 1. dicitur: *Ego noui Patrem*. ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι. Hanc vero posteriorē sententiam confirmat dictum Iohan. 1. *Filius qui est in sinu Patris*: Item Ioh. 16. Apostoli profitentur, se statuere Christum a Deo Patre exiisse, quia omnia sciat, id quod Petrus Matth. 17. sic eloquitur: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Quomodo autem nasci & procedere a Patre differant, multum etiam quæsitum fuit. Quidam voluerunt nasci esse a mente seu cogitatione, quemadmodum Basilius & Nazianzenus locuti sunt. Procedere autem a voluntate. Rursus Athanasius Dialogo primo de diuinitate dicit, Filium esse ex vtero, Psalm. 110. *Spiritum ex ore*, Psalm. 33. In quo sane hoc recte statuit Athanasius, esse differentiam inter nasci & procedere. Sed quia in ὑποστάσει Patris distinctionem inexplicabilem tradit, & res facile ad modum recidat, quia & ipse inenarrabilis est, sistamus hic gradum & potius cum Athanasio ex eodem Dialogo dicamus; quomodo Deus gignat Filium, & quomodo Spiritum mittat, curiose non

inuestigo, sed credo Filium genitum inexplicabili modo & absque perpessione, & similiter Spiritum sanctum procedere inexplicabili modo & absque perpessione vlla.

CONFIRMATIO.

Ioh.15. *Cum autem venerit consolator ille, &c.* Etsi vero in hoc testimonio processio a Patre nominatur, non addita mentione Filii, tamen cum Spiritus veritatis inde doceatur, qui a Patre procedat, & idem argumentum Ioh.16 ita repetatur, vt Christus propter suam cum Patre vnitatem commendet ex se veritatem Spiritus, inquiens: *omnia quæ Pater habet, &c.* Ideo prius illud testimonium non incommode, vel hac ratione allegabitur. Item, *quod se missurum Spiritum procedentem a Patre* Ioh. 15. is cap. 14. dixerat: *Consolator autem ille Spiritus sanctus, quem mittet, Pater in nomine meo.* Sic 2.Pet.1. *Acti a Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.* Et Matth.10. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis est.* Hic vero etiam Spiritus Christi appellatur Rom.8. *Spiritus Filii* Gal.4.

IV. THESIS.

Spiritus sanctus mittitur a Patre & Filio ad illuminandum, regenerandum, sanctificandum & confirmandum homines.

EXPLICATIO.

ETsi oĩa ꝑdicta opa sunt Trinitati cõmunia, seruanda tñ est in iis singularis persona

quædam

quædam ratio. Spiritus ſanctus ita cum patre & filio illuminat, vt non ſolum ab vtroq; mittatur ad illud officium, ſed etiam ab vtroq; habeat, quod præſtet. Sicut autem omnia, quæ pater habet filii ſunt, & filius ea à patre habet nec patre tamen minor eſt. Ita ſimilis relatio ſpiritus ad patrem & filium absq; in qualitate eſſentiæ, potentiæ & honoris intelligatur. Et tamen ſingularis æſtimetur, cum Sp. ſanctus dicatur alias conſolator Ioh. 14. Filio diſerte tribuitur illuminatio in multis locis 2. Reg. 22. Dauid in carmine triumphali ſic canit, quia tu lucerna mea Domine, & tu Domine illuminabis tenebras meas. Ioh. 1. De λόγῳ dicitur, quod ſit lux omnẽ hominẽ illuminans venientem in hunc mundũ. Sic patri tribuitur huius operis gloria Eph. 1. Sed miſſo ſpiritu mentionẽ veſtri, inquit Paulus, facio in precibus meis, *vt Deus Domini Ieſu Chriſti &c.* Hanc coniunctionem & hunc ordinem perſonarum tenemus, etſi modum & explicationem non teneamus, patrem nim. filium & Sp. ſanctum in fidelibus eſſe efficaces. Conſiderentur etiam reliqua opera. Sed de his vt pluribus multa teſtimonia recte accommodentur, in ipſa confirmatione ſimul agamus.

CONFIRMATIO.

Ne dicamus nunc de operibus generalioribus, cum Theſis ſeſe ad ſpecialem Dei actionem referat (notetur tamen, quod in creatio-

nis quoq; opere fiat mentio distincta Sp. san-
cti incubantis in aquas) Sciendum est, Deum
patrem misisse filium mediatorem, qui etiam
genus humanum plenaria satisfactione rede-
merit, sed hæc beneficia patris per filiū pa-
stita nostra non fiunt, nisi Sp. sanctus, quid
patris & Christi spiritus, patrem & Christum
sui communicatione nostros faciat. Hoc vero
Deus peragit: tradit verbum suum & sacra-
menta, per quæ media Deus efficax est vna
cum filio, & propter huius intercessionem
mittens Sp. sanctum, sicut Christus inquit:
*Rogabo patrem & alium paracletum mittet vo-
bis spiritum illum veritatis* Iohan 14. Item, *Con-
solatorem vobis mittam a patre* Ioh. 15. *Hic spiri-
tus veritatis ducens vos in omnem veritatē* Ioh.
16. *Sine quo nemo potest Iesum dicere Dn.* 1. Cor.
12. *Per quē datur sermo sapientiæ, sermo cognitio-
nis & fides* Ibidem, *Ex quo etiā regeneramur
in baptismo*. Ioh. 3. Hic inquā illuminat mentes
hominum vt verbum Dei intelligant, renouat
voluntates vt assentiātur, tangit corda vt ad
sermones legis contremiscāt, & voce Euange-
lii excitat ad fiduciam in Deum, & accendit
pectora, vt amore Dei ferueant. Hæcq; est con-
uersio hominum, qui fide sibi per Sp. sanctum
donata Christum in promissione gratiæ obla-
tum amplectuntur, & huius merito atq; in-
tercessione credentes iustificantur atq; in fi-
lios adoptantur. Non autem solum ab extra
agit Deus in homines, sed tota Trinitas sese i-

delib

fidelibus communicat, quemadmodũ Christus inquit Ioha. 14. *Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum &c.* De spiritu autem paulo ante dixerat: *Rogabo patrem & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Hinc fideles fiunt templa Dei, & spiritus Dei habitat in eis 1.Cor.3. Qui viuificat mortalia corpora nostra, & pia agitatione fideles ad opera vocatione digna idoneos reddit. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi fiunt filii Dei *Rom.* 8. Idem spiritus est, per quẽ clamamus Abba pater *Vers.* 15. Testatur vna cum spiritu nostro nos esse filios Dei, sublevat nostras infirmates, vt cum non nouerimus quod precemur, ipse interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et vers. 26. *Qui enim Jiu in corda nostra clamat Abba pater, & est spiritus sanctificationis nostræ.* Thes. 2. & 1. Pet. 1. Porro qui nos confirmat in Christum, quem vnxit Deus, est qui etiã obsignauit nos deditq; Arrabonẽ spiritus in cordib. nostris 2.Cor.1.

LOCVS VI. DE INVOCAtione Dei.

SIcut apud Ciceronẽ inuocatur Iuno & subsidiũ sociorũ, hoc est, sicut diuino numini & humanis auxiliatoribus inuocatio tribuitur apud Latinos: Ita Hebręa & Gręca ista Synonyma de creatoris & creturarum honore vsurpantur. Vnde etiam rerum confusio nata est. Quia enim agitur de honore & cultu Deo debito, & hic ex reuerentiæ ceremoniis

atq; significatione æstimatur, ex vsu vocum promiscuo promiscuus apud quosdam nam est honos & cultus. Ita igitur Theses ordinabimus, vt statim initio huic confusioni occurramus, adorationis quibusdam propriis collectis, quibus soli Deo deferenda est.

I. THESIS.

Adoratio hic consideratur, quatenus cultus diuinus est, & incommunicabilis cum creaturis.

EXPLICATIO.

CVltum Deus non sibi solum poposcit, sed etiam inferioribus erga superiores mandauit, vt vel quartũ præceptum testatur, sed magno cũ discrimine. Deus n. solũ se vult coli, vt Deũ & Dominum omniũ, reliquos ex cultus consequentia, hoc est, quia ipse mandauit, itaq; vt suos sibi subiectos, suæq; opis (vt etiam sunt) indigos seruos & ministros.

Huc assumantur propria Dei, quę in adoratione communiter spectantur, vt sunt cordium inspectio, gemituum cognitio, & potentia ad perfectę iuuandum & saluandum, hoc est, in infinitum sufficiens. His propriis pręoccupatur pontificiorum figmentũ, quod propter Dei ad creaturas præeminentiã constituit gradus adorationis, supremum & inferiores. Pręter quam enim quod ista distinctio, Dei verbo destituitur, implicantur propria ista, etiam in gradus demissa, ad decus Dei, cuius honori nihil est detrahendum.

dum προσκύνησιν & adorationem, quasi genus faciunt, cui seu species gradatim distinctas subiiciunt. Gradus enim constituunt λατρείαν δουλείαν, & ὑπερδουλείαν. Λατρεία cultum soli Deo designat. Quia Matth. 4. sit scriptum Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Putant enim hic προσκύνησιν absq; exclusiua ideo poni, quod honor communis & ciuilis sit. Alteri autē verbo addita reddat illud singulare, & Deo vt proprium vendicet. Hoc vero si ita esset, impertinenter responsum fuisset ad vnum postulatum Satanæ, cui flagitanti vnum, nempe προσκύνησιν, vtrumq; denegaretur, id quod parum abesset a calumnia. Deinde si alterum proprium tantum est Dei, necesse est alterum, aliam sibi caussam denegationis adsciscere, & quidem eo magis, quia commune quiddam præ altero significare debeat. Hanc autem textus non habet. Ad euitandum igitur calumniæ crimen, a quo Christus alienissimus fuit, & ad declinandam responsionis innecessario truncatæ notam, dicimus vanam distinctionē pontificiam. Septuaginta quoq; λατρείαν *Le. 22. et 29.* creaturis detulerūt. δουλείαν sanctis defunctis hominibus astringunt, & hanc inferiorem significationem conantur ex 6. ad Eph. exstruere, vbi dicitur οἱ δοῦλοι *serui obedite Dominis carnalibus.* Sed si hinc penderet vocabuli abusus, carnalem tantum significaret seruitutem, quo sancti ex hac vita emigrantes, nec indigent, nec iuuantur. Et Pau-

lus cultum suum Deo in ministerio verbi exhibitum commendat per verbū δουλεύω Act. 20. Sic enim ad Ephes. inquit *Vos scitis a primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni modestia.* Rom. 6. ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ *mancipati estis iustitiæ.* De ὑπερδουλεία, quæ gradu superiori Mariæ virgini matri Domini præ reliquis sanctis destinata sit, minus habent subsidii ex sacra scriptura. Etsi enim Maria canit: *Ex hoc beatam me prædicabunt omnes generationes; tamen suæ humilitatis mentionem, quam respexit Dominus ad illā magnificandā, eiusq; reductione* ad Thesin, quæ communiter spectat omnes coram Deo humiles, sese intra sortem aliorum beatorum continet. Quod si etiam alicui hominum ὑπερδουλεία competeret, Ioanni Baptistæ illa tribuenda esset, de quo legimus Christum dixisse, Inter natos mulierum non surrexit maior: Deinde cum mortuis & absentibus sanctis supplicetur, vt intercedant pro relictis in mundo, vel etiam in purgatorium, vt isti somniant, detrusis & detentis, certe defertur istis diuini honoris proprium, introspiciendi corda hominum, & gemitus exaudiendi, imo intercessoris quoq; munere fungēdi præter rationem firmissimā, qua nimirū negata Deitate recte ipsorum negantur propria, scriptura etiā expresse negat.

Sic enim Esa. 63. oratur: *Tu Domine pater noster, Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit*

uit nos, tu autem Domine pater noster redemtor noster a seculo vsq; in seculum. De adorationis honore cum assumta humana natura Christo communicato, si quis instare voluerit, respondemus, quod hęc quandam exceptionem Thesi importet, nec tamen aduersetur testimoniis Iere. 42. & 48. Etsi enim Iehoua dixit, *se non daturum gloriam suam alteri*: tamē si duę principales particulæ considerantur, decreto Dei non repugnat præsens factum. *Non dabo alteri* inquit Iehoua, ergo igitur ita non dabit, vt alter Iehoua non constituatur. Deinde ait: *Non dabo meam gloriam.* Ergo non erit ita alterius, vt est propria diuinæ naturæ. Hanc explicationem ipsa verba absq; vlla violentia nostra edunt, & sua procliuitate afferunt. Iam si adorationis honorē humanæ naturæ Christi donatū consideraueris, & hoc quod a Iehoua dictum est accommodaueris, necesse est, & non admitti exceptionem dictorum istorum ratione, & iisdem saluis doceri posse, adorationem etiam carni Christi adhibendam esse, quod vtrūq; ita declaro & probo. Primo verbum Dei expresse tribuit etiam carni Christi adorationis gloriam. II. Nec tamen hinc alterum Deum exsistere aut honorem adorationis fieri carnis Christi proprium, vt est Dei proprius.

Vtrumq; paucis rursus sic expedio. Constat ex iis, quæ de cōmunicatione maiestatis in doctrina de filio Dei tradidimus *data Christo in*

tempore intelligenda esse secundum hum-
eius naturam donata. Data est autem Chri-
adorationis gloria in tempore. Ergo illam hu-
manæ naturæ Christi adtributam constat. Ho-
norem probo. Paul. Phil. 2 ait, *Christum ex-*
inanitum & propter illam obedientiam & su-
missionem usq; ad mortem crucis euectū in sum-
mam sublimitatem, eiq; datum nomen, quod
super omne nomen, ut ad nomen Iesu omne ge-
se flectat cœlestium, terrestrium & inferiorum
& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ie-
Christus in gloria est Dei patris. In hoc testi-
nio diserte dicitur de datione temporali sp-
ctante humanam Christi naturam, & hon-
genuflexionis est ipse honos Deitati de-
tus. In hoc enim consenserūt Caluinus Be-
Neostadiani, & quoad dationem carni Chri-
sti factam, Danæus quoq;, iste tamen neg-
genu flectere coram aliquo esse idem hic,
adorare glorioso cultu in examine lib. Ch-
pag. 527. Cui sine longa contentione oppo-
mus patres præceptores & fratres ipsius.
enim Caluinus in dictum ad Philip. 2. *Cer-*
est adorationem illic notari, quæ soli Deo p-
lariter conueniat. Beza in defensione
Selneccerum pag. 123. *Christi caro per s-*
mam unionis gratiam facta est Dei caro,
corā ea quoq; omne genu flectatur. Neostad-
in admonitione de formula nostræ cōcord-
pag. 65. *Diuinitas communicauit huma-*
societatem honoris & adorationis unius cū

Co-

Contra hos, & inprimis contra verbum Dei, itaque blaſpheme ſcripſit Daneus in Examine Chemnitii, pag. 424. *Adoratio & inuocatio non ad humanam, ſed ad diuinam Chriſti naturam reſpicit.* Et dudum in Eccleſia damnata fuit hæc ſententia, quemadmodum in defenſione Anathematiſmi & apud Cyrillum videre eſt, vbi citat hæc Athanaſii verba, *ſi quis dicat, vel non adorandam Domini noſtri carnem vt hominis, vel non adorandam vt Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & catholica Eccleſia.* Eadem citantur verba a Cyrillo in lib. de recta fide ad Reginas. Non autẽ ſingulariter Deitas, ſingulariter humanitas, ſed vna adoratione Deus verbũ incarnatum, cum ſua carne adorandus eſt, vt loquitur concilium Oecumenicũ quintum, quod eſt Conſtantinopolitanum ſecundum. Atq; hinc reſponderi poteſt ad dictum Ieremiæ 17. *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. & a Domino recedit cor eius.* Hoc aliqui ad Chriſtum hominem ſeu humanam eius naturam referunt, quemadmodum iidem de carne Chriſti contendunt dictum, *caro non prodeſt quicquam.* Id quod per ſe contumelioſum eſt in redemtorem fratrem noſtrum, & ſimul propoſito loco aduerſum. Textus enim diſerte oſtendit, ſe loqui de puro homine, qui tota ſua potentia, qua nitaris, ſit caro, id eſt, tantum creatum quiddam. Additur & hæc clauſula in textu, & a Domino cor

eius recedit. Sed caro Christi non est puri ho-
minis, verum caro filii Dei propria, quam o-
mni potestate in cœlo & terra donatam ip-
prædicat. Atque hæc est caro illa, per quam
vniri nos cũ Deo oporteat, caro inquam Do-
mini, de qua Ieremias in oppositione ibi in-
quit: *Benedictus vir, qui confidit in Domino,*
erit Dominus fiducia eius. Vt nequaquam pr
dictũ de carne a Domino auocante loquens
ni Christi conueniat. Quamobrem Athana-
in oratione contra Arrianos scripsit: Vbi
so tandem nefarii seorsim per se inuenien-
lam carnem, vt audeant dicere, non ado-
mus Dominũ cum carne, sed distinguim
corpus, illiq; soli multum seruimus. Hæc
de adoratione carnis Christi credimus cũ O
thodoxa Ecclesia, nec tamen carnem in D
tatem versam, aut alterum inde Deum e
tisse statuimus, nec quod aduersariis vide
illud verum probamus. Obiiciunt enim
absurda nobis a consequenti. Ergo necesse
vt cõsequentiam monstrent. Sed hanc nõ p
sunt ostendere, cũ in modo certo & vnico c
nexionis ratio consistat, & alter tantũ diue
sit, ne qualis formaliter sit, sciatur. Quis ve
a diuersis ad idem, vel ab incerto ad certũ
cte concluserit. Quod si vnũ modum id, qu
medii neruus flagitat, necessario cõstituen
dicant nobis, qua auctoritate didicerint, D
non posse alios modos, quam præscrip
instituere.

Contr-

CONFIRMATIO.

Exod. 20. & Deut. 5. *Non habebis Deos alienos coram me.* Exod. 34. *Noli adorare Deum alienũ.* Deut. 6. & Matth. 4. *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Esa. 42. & 48. *Ego Iehoua, & hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.*

II. THESIS.

Deus in adoratione secundum patefactionem aspiciendus & appellandus est.

EXPLICATIO.

NOn sufficit, si quis in precibus duntaxat summum quoddam numen, quod cœlũ & terram creauit, intueatur & compellet, quemadmodum Mahometani faciunt, sed mens orantis dirigatur ad Deum, qui est pater, filius, & Spiritus sanctus. Idq; etiam tum obseruetur, quando verba hanc vel illam personam alloquuntur. Etsi enim distinctæ sunt personæ, atq; in exauditione, atq; opitulatione vniuscuiusq; personæ proprietas seruatur: Non tamen diuellendæ sunt istæ, vt vna sine altera in adoratione compellari possit.

CONFIRMATIO.

Ioh. 5. *Vt omnes honorent filium, prout honorant patrem, qui non honorat filium, non honorat patrem.* 1. Ioh. 2. *Quisquis negat filium, is ne quidem patrem habet.* Iohan. 4. *Veri adoratores*

adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. 1. Cor. 12. *Nemo poteſt Ieſum dicere Dominum, niſi per Spiritum ſanctum.* Et nota eſt, eruditi Baſilii ratiocinatio ad præſcriptum verbi Dei, nos grauiter aſtringens, Epiſtola 78. *Oportet nos baptizari, ſicut accepimus, credere ſicut baptizamur, glorificare autem quemadmodum credimus, patrem, filium, & Spiritum ſanctum.*

III. THESIS.

Inuocaturo non patet aditus ad Deum abſque mediatore, eoque vnico.

EXPLICATIO.

HOmo animalis horret Deum naturaliter, ſi ſerias de eo cogitationes inſtituerit, tumque maxime, cum ad ipſum appropinquandum eſt. Vnicuique enim conſcientia dictat indignitatem, qua Deus iuſtus offenditur. Hinc ad conſultationes de mediis, per quæ ad Deum ſecurius penetremus, ſeſe receperunt homines, vnde decreta varia. Hypocritæ conſcientiā indignitatis obruerunt perſuaſione propriæ iuſtitiæ, & ſic ad Deum ſe prouoluerunt. Id quod ſeria probatio vnicoque in terrorem facilime vertit. In Homero multoties legimus, quomodo irato vno Deo alius quiſpiam propitius acquiſitus fuerit, qui ſeſe interpoſuerit. Pontificii, qui omnes hypocritas ſuperant, hypocritarum communi numini, id eſt, propriis operibus aliorum e-

im

iam opera assumunt, & insuper sanctos conducunt ad intercessionem. Vnde apparet, certum esse, intercessione apud Deum quemlibet orantem indigere. Sed hic non est alius, quam vnus Iesus Christus, qui quod intercessit, non solùm apud patrem, tanquam vnicam personam, sed apud Deum & totam Trinitatem, itaque apud seipsum Deum, in explicatione Psal. 22. copiosius diximus.

CONFIRMATIO.

1. Tim. 2. vers. 5. & 6. *Vnus est Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, &c.* 1. Ioh. 2. *Filioli, si quis peccauit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum.* Hic notetur, mediatoris proprium esse, vt non solũ intercedat, sed sufficienti propitiatione pro peccatis omnium idoneus sit, qui cum sit vnicus Christus, vnus erit mediator, & non plures.

IIII. THESIS.

Oratio sit pœnitentis, non impœnitentis.

EXPLICATIO.

CVm mediatore nobis opus sit, manifestũ est in nobis esse, quod præcludat aditum ad Deum, peccatum videlicet, quod non nisi pœnitentia deponitur, id est, non nisi agnoscenti peccata, & vera fiducia, in mediatorem Christum veniam petenti, contingit remissio peccati, & imputatur iustitia Christi, id quod

est, deponere peccatum, vt ad Deum ausimus appropinquare. Et ratio hæc precum omnium anima est, vt vanum sit, si quis per mediatorem appellatum sine pœnitentia vera vota faciat. Quod obiicitur, etiam Diabolo patere aditum ad Deum, eiusque preces exaudiri, quia apud Iobum in conspectu Dei apparet, rogat permissionem, vt sæuiat in Iobum, eamque impetrat. Et Matthæi 8. *Dæmones rogant, vt sibi liceat porcos intrare, & Christus rogantibus respondet, abite.* Ex his sane liquet, etiam impios in cõspectu Dei versari, & quasdam esse preces eorum, quæ exaudiantur: Sicut sæpe votis & desideriis auarorum & similium annuit Deus. Estque multiplex Dei bonitas promiscua, cum sinat Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, *Matth.* 5. Quia vero hic de aditu ad Deum placatum & propitium, & de exauditione veram & constantem salutem nobis curante agitur, certum est hæc, non in conuersis, & in Christum credentibus conuenire vota. Iterum tamen ad mediatorem res reiiciatur, cuius dignitas pœnitenti communicatur, cum vera pœnitentia sit humiliatio personæ in contritione, & exaltatione Dei in fide Christum amplectente.

CONFIRMATIO.

Precationum ratio est analoga sacrificiis, quemadmodum vtriusque fœderis tabulæ testantur.

ſtantur. Mich. 6. verſ. 6. *Quid dignum offeram Domino, curuabo genu coram excelſo.* Hebreor. 13. *Per Ieſum offeramus Deo ſacrificium laudis, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Pertinent igitur huc teſtimonia de ſacrificiis & precibus, Prouerb. *Victima impiorum abominabiles Deo.* Item, *Longe eſt Dominus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet.* Prou. 21. *Hoſtia impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Eſa. 1. *Cum extenderitis manus veſtras,* ait Dominus, *auertam oculos meos a vobis, & multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Eſa. 66. *Ad quam reſpiciam,* inquit Iehoua, *niſi ad pauperem & contritum ſpiritum, & trementem ſermones meos.* De iis vero, quorum anima dilexit abominationes, ſic ait: *Qui immolat bouem, perinde peccat, atq; qui interficit hominem, qui immolat pecus, vt qui iugulat canem, qui offert oblationem, vt qui offert ſanguinem ſuillum, qui recordatur thuris, vt qui benedicit idolo.* Matth. 5. *Si munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris eius fratrem, &c.* Iohan. 9. *Peccatores Deus non exaudit.* Matth. 7. *Non quiſquis, qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei.* Ne quis vero hoc tribuat ſuis operibus, phraſis explicatur, Ioh. 6. Cum enim Chriſtum turba interrogaret, quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Deus, *hoc eſt ipſum opus Dei, vt credatis in eum, qui miſit me.*

V. Thesis.

Orans mandatis Dei innitatur, ad quorum obseruationem Deus calamitates, tanquam calcaria subdit.

Explicatio.

Magna est benignitas Dei, quod non solum suorum preces admittit, sed etiam ad easdem mandando compellit, & dum nobis aduersari videtur, pro nobis solicitus esse deprehenditur. Iunguntur autem mandatum & calamitates, vt cum ad illud plerique desideamus, stimulis istarum diuinis excitemur, & ne miseriæ fugam Dei suadeant, mandato diuino prohibeamur.

Confirmatio.

Psal. 22. *Cor meum proponit tibi verbũ tuum, requirite faciem meam, faciem tuam requiram Domine.* Matth. 6. *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* 2 Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Psal. 50. *Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & tu glorificabis me.* Ose. 6. *Cum in angustiis fuerint, quærent me.*

VI. Thesis.

Orans attendat ad promissiones exauditionis, & ad eas desideria sua componat fiducialiter.

Expli-

EXPLICATIO.

PRomissiones Dei quædam sunt Categoricæ, quædam Hypotheticæ. Categoricum est promissum, quod omnium resipiscentium fidei certissime parata sit remissio peccatorũ, imputatio iustitiæ, & adoptatio ad vitam æternam. In aliis spiritualibus, vt sunt dona excellentia cognitionis fidei, spei, caritatis, gaudii, &c. annexa est conditio mensuræ & voluntatis Dei. Postquam enim Paulus 1. Cor. 12. multa illorum donorum enumerasset, & in his simul ea, quæ vel cessarunt, vel paucis conferuntur, vt sunt χαρίσματα ἰαμάτων δυνάμεων, *dona sanationum virtutum*, &c. *sed omnia hæc*, inquit 1. Cor. 10. *efficit vnus ille & idem spiritus, priuatim singula, sicut vult, distribuens.* In corporalibus porro necessitatibus cum ignoremus, quid nobis conducat, quid non, conditio voluntatis Dei semper annectatur secundum præscriptũ orationis Dominicæ. Quod si etiam singularis promissio facta beneficii corporalis, vt cum Deus Abrahamo terram Canaan, & ex Sara filiam pollicetur; tum conditionem non admittit res promissa, nisi tantum temporis, & tum certis sine conditione applicanda fuit oratio. Hypothetica autem promissa Hypothetica decet oratio.

CONFIRMATIO.

Marc. 9. *Credenti omnia sunt possibilia.* Psal. 145. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus*

eum in veritate, hoc eſt, *fiducia promiſſionis. Voluntatem ſe timentium faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.* Explicatio horum, quæ exauditionem ad fidem & voluntatem hominum aſtringunt, præſtatur his duobus præclaris dictis. Eſaiæ 28. *Credens non feſtinet ad deſiderium ſuum.* Eſt enim *LVSCH* feſtinare ad explendũ appetitum. Sic itaq; feſtinare eſt fidem negare, cum hic credens non ſit, niſi qui verbo Dei certo & declarato fidem adhibeat & inſiſtat, quod non fit, vbi aliquis fidem fictam ad ſuas cupiditates attemperat. Ioh. 5. *Hæc eſt fiducia, quam apud Deum habemus, quod ſi quid petierimus ſecundum voluntatem eius, nos exaudiet.* Qualis igitur eſt voluntas Dei, talis ſit precatio noſtra, & tunc vere fit voluntas orantium. Etſi autem multæ ſunt promiſſiones benedictionum temporalium, tamen quia ſine fide Deo nemo placet. *Hebr.* 10. nemoq; niſi per fidem audeat ad Deum accedere. *Ephe.* 3. ſemper in conſpectu ſit adoratoris vniuerſalis ſententia Pauli, 2. Cor. 1. *In Chriſto omnes promiſſiones ſunt etiã atq; amen.* Sunt autem hæ præclaræ exauditionis promiſſiones, Eſa. 65. *Erit, vt antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.* Eſaiæ. 30. *Ad vocem clamoris tui mox, vt audiuit te, reſpondebit tibi.* Habac. 2. Adhuc viſus procul apparebit ſi moram fecerit, exſpecta eum, quia veniens veniet, & non

non tardabit. Sic Christus Lucæ 18. egregio exemplo viduæ multa solicitudine tardantem iudicem ad opem sibi ferendam compellantis docet, vt semper oremus, nec segnescamus, aut in dilatione auxilii de exauditione dubitemus. Et Paulus 2. Corinth. 6. dictum Iehouæ citat, Esaiæ 49. *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi.*

VII. THESIS.

Finis precum infimus sit indiuidui, medius speciei, hoc est, Ecclesiæ salus, summus, glorificatio Dei, cui omnia, quæ nobis petimus, adeo serio subseruiant, vt quoties opus sit, etiam cedant.

EXCEPTIO.

TAnta est philanthropia Dei, vt quæ suæ gloriæ largiatur, simul nostro bono tribuat. Quod cum creator, qui solus est immortalis, sine debito creaturæ exhibeat, vt & ipsa consors sit immortalitatis, grauiter docemur, nos, qui immerito tantis beneficiis afficimur, ex debito obstringi, vt omnia nostra ad gloriam Dei reuoluamus. Itaque finis orationis piæ sit, nõ tam nostra salus, quam Dei honos, sine quo nulla, & propter quem solummodo certa est. Quamobrem etiam gratiarum actio semper precationi iuncta sit,

ſiquidem vel tum benefaciet Dominus, cum cruce inſtat & vrget, imo tum magis mirandus appareat fideli obſeruatori, iuxta verſus Proſperi:

Sæpe quidē Dominus ſic cuncta aduerſa repellit:
Vt nullo attingi vulnere poſſit homo.
Sed mirabilior tunc eſt manus omnipotentis,
Illata afflictum cum mala non ſuperant.

Quemadmodum & Apoſtolus hoc veluti miraculum prædicat, quod diligenti Deum omnia cooperentur in Dominum, *Rom.* 8. In cuius ſententiæ conſideratione Chryſoſtomus inquit: *Aſperitatibus rerum vti ad glorificationem eorum, qui periculis expoſiti ſunt, longe maius eſt, quam aut omnino mala arcere, ne veniant, aut reprimere venientia.* Addit etiam hoc exemplum inſigne, quod Deus non diſſipauit fornacem Babylonicam, nec prohibuit, quo minus flamma arderet, ſed per hoc ipſum incendium tres viros illuſtriores reddidit. Etſi enim Deus præſtito beneficio manifeſto, gratias poſtulat, nunquam tamen cum deſit piis beneficium Dei, non conticeſcat vox gratiarum actionis, ſicut in vtramque partem vel ſententiam expreſſa habentur teſtimonia.

Confirmatio.

Pſal. 50. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, &c.* Eſaiæ 51. *Conſolabitur Dominus Zion, & omnes ruinas, & ponet deſertum eius, quaſi*

quasi delitias & solitudines eas. His dictis docemur, etiam maximum gaudium hominis ex summa felicitate propria conceptum, non suis, sed honoris Dei terminis tandem perfici & plenum reddi. *Et cum Deus pro nobis sit, quis contra nos?* Roman. 8. Vniuersalis hæc addiscatur, 1. Corinth. 10. *Omnia ad gloriam Dei facite.* Ad Ephes. 5. *Implemini spiritu, gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini Iesu Christi Deo & patri.* 1. Thess. 5. *Indesinenter orate, &c. hæc enim voluntas Dei est.* Colloss. 3. *Quicquid egeritis sermone & facto, in nomine Domini Christi facite.* Sic de Apostolis scribitur, Actor. 5. *Quod cæsi & dimissi gaudentes, abierint a conspectu concilii, quod digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumelia afficerentur.* Et Matthæi 5. cum Christus constitutos in variis afflictionibus beatos prędicasset, & euentum lætum iis prædixisset, *Gaudete*, inquit, *& exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Ecclesiæ quoque nostræ salus non postponatur, exemplo Pauli, Rom. 9. *Optarim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Et Oseæ 2. Iehoua ait: *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram. Terra vero exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient ipsum Israelem, & seminabo eam mihi.* Finis beneficiorum mundanorum est collectio Ecclesiæ, & huius finis ipse Deus.



DE SANCTORVM VENEratione. Locus VII.

I. THESIS.

Sancti non sunt inuocandi, neque viui, neque mortui, neque homines, neque angeli.

EXPLICATIO.

NEgatiuam hanc Thesin priorem constituo, cum eius porisma & lucrum sit venerationis sinceritas. Etsi autem opera viuorum hominum, cum quibus versari datur, potest implorari, etiam ad hoc, vt pro aliis ad Deum vota faciant: Hæc tamen inuocatio caueri debet, ne fiat vlla fiducia aut honore Deo debitis.

CONFIRMATIO.

Probatio pendet ex Thesi prima, de inuocatione Dei. Si enim soli Deo hic honos cópetit, derogandus est certe omnibus angelis vt hominibus. Sed expressa sunt etiam testimonia prohibentia istum cultum. Colloss. 2. *Ne quis palmam vobis eripiens, volens hoc facere per humilitatem & cultum angelorum.* Hoc dictum quidam ita interpretantur, quod quidam commendatores humilitatis persuaserint, cultum adhibendum esse angelis: Idque ex schola Platonica in Christianismum inuectum putant. Quia minus aperta est sententia. Si in promtu id, quod *Colloss.* 1. angeli qua-

quicunque etiam præ eminentia collocati o-
mnes sint, per filium, & in filium, hoc est, vt
finis eorum in ipsum reuoluatur, conditi,
quodque sint hominum administratorii spiri-
tus, *Hebr.* 1. His addatur, quod Apocal. 19.
Angelus procidentem Ioannem, ne adoret,
interpellando prohibet, causam hanc affe-
rens: *Conseruus tuus sum ex fratribus tuis, qui
habent testimonium Iesu.* Idem fit cap. 22. *Vi-
de*, inquit, *angelus Iohanni, ne feceris, conseruus
tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, &
eorum, qui seruant libri huius verba, Deum
adora.* Emphasis vero in voce σύνδουλος con-
tra δουλείαν Pontificiorum. Sic Petrus ingenue
fatetur, sibi hanc gloriam non deberi, Actor.
10. *Surge*, inquit, *ad procidentem Cornelium, &
ego sum homo.* Item, Paulus & Barnabas, *A-
ctor.* 14. sacrificia sibi oblata recusant, dicen-
tes: *Viri, cur ista facitis? nos quoq; sumus homi-
nes iisdem, quibus vos obnoxii affectionibus.* Etsi
enim ex hac vita euocati conditionem terre-
nam permutent cum cœlesti, tamen cum et-
iam plene glorificati sancti homines non sint
futuri ἰσόθεοι, sed ἰσάγγελοι, *Matth.* 22. Et ange-
lis cultus ille non debeatur, constat sententia
etiam de sanctis defunctis. Estq; valde lucu-
lentū testimonium de mortuis sanctis, Esaiæ
63. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit
nos, Domine tu pater noster & redemtor noster a
seculo nomen tuum.*

II. Thesis.

Sancti sunt in honore habendi, venerabili memoria, & studiosa imitatione.

Explicatio.

Pontificii sanctorum cultores præcipuum suum facinori idololatrico Schema hinc petunt, quod scriptura sacra honorem excellentem deferat sanctis hominibus. Nam de reuerentia angelis habenda agetur suo loco. Quod si vero id, quod priori Thesi præcidimus, mittatur, grata vero ipsorum memoria propter Deum & huius gratiæ atque misericordiæ prædicationem teneatur, nec non sanctitas probatorum æmulatione seria pro modulo spiritus aut donorum, animis & moribus nostris exprimatur, vt, in quibus omnis veneratio verbo Dei præscripta sita sit, nihil proficiunt huiusmodi dictis idololatræ, qui dum Patribus multũ confidant, audiant, quod Augustinus pro nostra sententia pronunciat, in lib. de vera religione cap. 55. *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui esse nos consortes. Honorandi igitur sunt propter imitationem: Non adorandi propter religionem. Si autem male vixerunt, vbicunque sint, non sunt colendi.*

Confirmatio.

Psal. 112. *In memoria æterna erit iustus.* Prouerb.

uerb. 10. *Memoria iusti erit in benedictione & nomen impiorum putrescet.* Luc. 10. *Qui vos spernit me spernit* 1. Cor. 11. *Imitatores mei estote sicut ego Christi.* Ergo & confessionem hanc de se voluit retineri & repeti: *Gratia Dei sum quicquid sum* 1. Cor. 15. Imo 1. Cor. 1. gaudet se paucos baptisasse, ne dicant *in suo nomine baptisatos esse.* Non autem aliter orandum est quam credimus, nec aliter credendum quam baptisamur, vt trita est Basilii ratiocinatio. 1. Cor 3. *Quis est Paulus, quis Apollo, nisi ministri per quos credidistis.* De Maria quoq; matre Domini res plana est, quod sub filio cum ceteris sanctis sit collocanda, & sic vere honoranda. Quod autem pro ęqualitate allegatur copulatiua oratio Elizab. Luc. 1. *Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui, id valde infirmum est.*

Preterquam quod Theophylactus pro Et, QVIA ponere suggerit, sicut Ieremiæ 42. *iratus est & peccauimus*, etiam Elisab. Mariam matrem Domini appellat, & beatam prędicat quia crediderit, ipsaq; Maria magnificans non se sed Dominum, se vero ancillam agnoscens, quam Dominus in humilitate aspexerit, & ex hoc colligens, quod dicit, *beatam me prædicabunt omnes generationes.* Hæ inquam Elisabethæ & Marię confessiones, responsio item Christi ad matrem sese officio filii ingerentem, Quid tecum mihi est mulier, *Luc.* 2. abunde refutant hyperbolas

Papiſticas. Inſignem autem aſcribam ſenten-tiam Theophylacti: *Virgo*, inquit, *plenum e-docta glorificat Deum, illi miraculum aſcribens non ſibi. Ille enim*, inquit, *reſpexit ad me hu-milem, non ego illum ſuſpexi, ille mei miſertus eſt, non ego illum quæſiui.* Item; *Quam ob cau-ſam beatam me dicent omnes generationes? num propter meam virtutem? non ſed quia magnifi-ca mihi fecit Dominus.* Egregie quoq; Epipha-nius cõtra Colliridianos inquit: *neq; Elias ado-randus neq; Iohannes adorandus eſt: In honore ſit Maria. Pater autem & Filius & ſpiritus ſan-ctus adoretur. Mariam autem nemo adoret.*

VIII. LOCVS DE CRE-ationc.

I. Thesis.

Creationis initium diſerte in ſacris literi traditur.

Explicatio.

FVerunt inter Philoſophos ſtoici, qui ma-teriam mundi Deo coęternam ſtatuerunt, vnde Hermogeniani in Eccleſia nati, quos refutat Tertullianus. Adiani poſtea principia mundi æterna & ingenita appellarunt tene-bras ignem aquam, & quia de aquæ creatio-ne nihil apud Moyſen legitur, fuerunt, qui aquam increatam, & æternam putarunt, quos nonnulli Aquarios vel Aqueos appel-larunt.

Sed

Sed vt cæteris omnibus testimonia sacræ scripturæ de principio mundi edita opponūtur, ita Aqueos peculiariter refutat vniuersalis, & prӕter Deū nihil, quod in cœlo & in terra sit excipiens sententia. *Si tamen mundus exordium habuit* quæritur a curiosis, *quid Deus, qui otiosus non fuit, egerit ante mundi creationem?*

Sed hæc quæstio potius præcidenda, quam agitanda est, cum de iis, quæ Deus operetur, extra reuelationem operis vel verbi ipsius nihil scire possimus, & Biblia sacra nostra quoad actiones Dei externas non vlterius, quam ab initio creationis auspicium faciant, itaq; nobis vltra illud patefactionem negent. Stulte etiam procul quæritur, quod non ad rē pertinet, cum quod nos obseruare oporteat, tam prope sit, vt Deum pene manibus palpandū offerat, quēadmodum Paulus loquitur de creatoris vestigiis seu cubilibus potius inter nos versantis Actor. 17. Deū tamen ab æterno fuisse, & patrem genuisse filium, spiritumq; sanctum esse patri & filio spiritú coæternum, quod supra ex sacris literis docuimus, Deumq; nos elegisse in Christo, antequam fundamenta mundi iacerentur, quod Paulus ad Ephes. 1. scribit id patefactionis est, & anteuertit exordium rerū. Verū vt plenius & planius illa scrutemur, destituti reuelatione diuina inanis est studii, satisque

ſit hoc modo nos docere, eumq; ante exor-
dium mundi non fuiſſe otioſum. Quod ſi vio-
lentius inſtiterit, violentiam auferat Augu-
ſtini, Deum præparaſſe infernum hęc cu-
rioſe ſcrutantibus.

Confirmatio.

Gen. 1. *In principio Deus creauit cœlum &
terram.* Ac ne quis principium intelligat,
quo creatio cœli & terræ cœperit, quodq; an-
te ceſſerint tempora & principia alia, in hiſto-
ria creationis ſimul indicatur exordium die-
rum, & numerantur dies ſex, quibus perfecti
ſunt cœli, & terra, & omnis exercitus eorum
Gen. 2. Vbi & hoc legitur: *Iſta ſunt generatio-
nes cœli & terræ, quando creata ſunt die, quo
fecit Iehoua cœlum & terram*. Pſal. 102. *Initio
tu terram fundaſti, & opera manuum tuarum
ſunt cœli.* Vbi & hoc obſeruetur, quod Pſal.
faciat collationem mundi finiti & Dei infini-
ti, huius immutabilis & illius mutabilis. Pſal.
146. *Beatus cui Deus Iacob adiutor eſt, cuius
ſpes in Iehoua Deo ſuo.* Eadem congeries extat,
Acto. 14. Iohan. 1. *In principio erat* λόγος, *Om-
nia per ipſum facta ſunt.* Nec legitur, quod
ante principium creationis, qua omnia exti-
terunt, quæ fuerunt & ſunt, quicquam fuerit
præter Deum, de quo Pſal. 90. *Antequam mon-
tes fierent & formaretur terra & orbis a ſeculo,
& vſq; in ſeculum, tu es Deus.*

II. Ter-

II. THESIS.

Creatio est actio Dei externa communis tri-um personis.

EXPLICATIO.

Cum hic de creatione loquimur, non solum intelligimus productionē cœli & terræ e nihilo, sed etiam formationem vnius ex altero, vt cum Ge. 1. dicitur: *Creauit Dominus tormenta.* Et rursus *masculum & fœminā creauit eos*, non solum primam creationem, quæ hominem præcessit, sed etiam quam Facius secundam appellat, quæ est cursus hominis, qui ex Adamo natus sunt. Vera Dei creatio, quēadmodū Ge. 6. inquit de hominibus pessimis delendis de terra, *delebo*, inquit, a *facie terræ hominem, quem creaui.* Et cap. 8. *Delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ.* Et Ioh. 1. de Christo inquit: *Omnia per ipsum facta sunt &c.* Dei igitur est creatio etiam in iis, quæ corrupta sunt peccato, sed quatenus sunt, non quatenus corruptionem spiritualem contraxerunt, quæ est peccatum. Externæ Dei actiones dicuntur respectu earū, quæ intra Deitatem considerantur, & sese intra Deitatis personas continent, quæ sunt internę. Cum illæ ad creaturas siue producendas, siue considerandas: Itaq; ad extra pro captu nostro ferantur. Dei cōmunione v. personarū in actionib. istis singulariter admonitio obseruanda est, de ordine ꝑsonarū, quę earūdē distinctionē, etiā in communibus opibus tra-

didit, de qua supra & inprimis in Thesi 4. de spiritu sancto docuimus. Prorsus tamen non est cogitanda inaequalitas, aut quicq̃ vni simplici aeternae & immutabili Deitati aduersum, cũ Paul. ad Ro. 11. inquit: *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Nã statim additur, *ipsi gloria in seculum.* Hic enim Anomei & alii ex diuersis phrasibus, ex quo, per quem & in quo putant sese habere τῆς κατὰ τὴν φύσιν παραλλαγῆς τὴν ἀπόδειξιν id est, *demonstrationem secundum nis secundum naturam*, vt Basilius de spiritu sancto ad Amphilochium cap. 2. ipsorum opinionem proponit. Sed opponit magnus ille Theologus, quod Apostolus his verbis praemiserit Esaiae testimonium ca. 40. *Quis cognouit mentem Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Fatetur igitur Apostolus vnum Iehouã & quia ab essentia Iehoua dicitur, quod vnam essentiam asseruerit Apostolus, vnde voces diuersae subiectę nõ possunt suggerere naturae diuersitatem. Sed id quod in Baptismo patefactum est ὑφισαμένων distinctionem, & vt Basilius loquitur ἀσύγχυτον πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου τὴν ἔννοιαν, *impermixtam patris & filii & spiritus sancti notionem*, sic aequalitatis obseruatio in hoc Pauli dicto alia occurrit. *Ex ipso* ait (*vt Augustinus explicat lib. 1. De Trinitate cap. 6.*) propter patrem, *per ipsum* dicit, propter filium, *in ipso* propter Sp. sanctum. Per hoc vero quod dixit *ipsi*, non ipsis, gloria, vnitas insinuatur.

Cor-

CONFIRMATIO.

Satis aperta sunt testimonia eius, quod diximus nempe creationem esse actionem Dei, nempe communẽ tribus personis. Sed primũ probetur, quod opus hoc creationis solius Dei proprium sit, postea de personis dicatur Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Esa. 40. *An non audiuisti, quod Deus æternus creauit terminos terræ. &*.cap.45. *Ego Iehoua faciens omnia*. Ier. 10. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt non sunt Dii*. He. 3. *Qui omnia condidit Deus est*. De primis personis creantibus primarium dubium hęsit tantũ in secunda & tertia persona. De patre vero creatore minus in Ecclesia litigatum est. Testimonia communiter hæc allegantur Gen. 1. *Dii creauit*: cuius explicatio in sese hæc est: *Deus dixit*. Itẽ *spiritus ferebatur super aquas*. Ergo plurale ad patrem, λόγον & Sp. sãct. interp̃tatione reducitur. Neqꝫ v. hinc vnitatẽ & ęqualitatẽ diuellat, dicitur ca. secũdo: *Istæ sunt generationes cœli et terræ*. Ps. 33. *Verbo Domini cœli facti sunt*. Et si v. de his ad trinitatẽ relatis sententiis varie disceptatur, tamẽ si manifesta de filio & sp. sancto testimonia accesserint, tergiuersatio ista leuior apparebit. Iohan. 5. *Pater meus operatur vsqꝫ & ego operor*. Itẽ *Nõ potest filius a se ipso facere quicquã*. Ioh. 1. *Omnia per λόγον facta sunt &c*. Coll. 1. *Per filiũ cõdita omnia sunt, quæ in cœlis sunt &c*. Itẽ, *Ille est ante õnia, & omnia per ipsum subsistunt, Subsistũt .n. omnia per Iehouã* Ge. 2. *Dii Elohim tres personæ creauit cœlum & terram* Genes. 1.

Ad Heb. 1. Per *quem etiam secula condid*. Ergo Elohim in principio creantes Patrem filium & spiritū sanctum significat. Iob. 25. *Spiritu suo cœlos ornauit, quod congruit ad* Psal. 33. *Verbo Domini cœli facti sunt.* Iob. 33. *Spiritus Dei fecit me.* Psal. 104. *Mitte spiritum tuum & creantur.* Insignis est deniq; probatio quæ Actor. 4. Apost. liberatis Petro & Iohanne e manibus Pontificum ita Deū compellant, *Domine tu es Deus ille qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui per Dauid pueri tui dixisti, quare fremuerunt gentes.* Postremum autem sacra scriptura spiritu sancto tribuit. Ergo nec a reliquis, cum communia Deitatis recitentur, eum excludit. Christus Matth. 22. diserte inquit, *Dauid in spiritu vocasse Messiam Dominum.* Et Actor. 1. spiritus sanctus per os Dauidis locutus legitur.

III. THESIS.

Caussa impulsiua creationis fuit liberrima Dei voluntas.

EXPLICATIO.

VTilis hęc Thesis est, vt ratio omnipotentiæ diuinæ effecta nō temere statuat, sed ad voluntatem Dei de ipsis affirmet. Potuisset Deus, qui ab æterno fuit & nunquam non omnipotens fuit, creare mundum longe ante. Sed quia noluit, non est factum, nec istud factum impotentiam sed libertatem, magnum illud magni Dei ornamentum arguit.

Co-

CONFIRMATIO.

Psalm.135. *Omnia quaecunque voluit Deus fecit in caelo, & in terra in mari, & in abyssis.* Apocal. 4. *Tu creasti omnia & propter voluntatem tuam erant & facta sunt.* Ergo non propter essentiam.

IV. THESIS.

Omnia Deus fecit praeter peccatum.

EXPLICATIO.

HÆc Thesis consequens est secundae. Si solus enim Deus creauit, omnia creata per ipsum facta sunt. Excipitur autem peccatum, cum hic effectus Deum negaret, vel Euripide teste, εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶ θεοί. *Si Dii quid mali fecerint non sunt Dii.* Quod autem Syrac.11. legitur: *Error & tenebrae hominibus impiis concreata sunt*, hoc non facit Deum auctorem peccati, sed significat errorem & ignorantiam hominibus connasci, quemadmodum Dauid de se conqueritur, Psalm. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Psalm.58. *Abalienati sunt impii ab integro.* Hanc ostenderit sententiam testimonium integrum, *Error & tenebrae peccatoribus cōcreata sunt. Quia autem exsultant in malis, consenescunt in malitia.* Posterior igitur clausula de senecta, priorem de iuuenta seu prima natiuitate monet intelligendam. Et cap. 10. diserte dixerat Syracides: *Non est creata hominibus superbia.* Et cap.15. in-

quit: *impie agere nemini præcipit, neq; cuiquã licetiã dedit peccandi.* Quod Esaiæ 45. Dominus dicit: *Ego sum Dominus creans pacem & mala.* Item Amos 3. *Non est malum in ciuitate quod non fecit Dominus.* Hæc dicta de malo pœnæ non culpæ sunt intelligenda: quod in Esaia oppositũ pacis arguit, & in Propheta Amos subiicitur sententia huic comminationi: *Visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Hinc fortissimum argumentũ, quod propter quæ Deus puniat, quæq; puniẽdo auersetur, illa nõ faciat ipse. Ita etiã Syr. 11. dicit: *vitam & mortem a Deo esse.* Sapientiæ 1. legitur: *Deum mortem non fecisse.* Quæ sic saluat Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 12. *Quod Deus quidem irroget mortem vt iudex. Causam autem mortis non dederit cum causa illa sit meritum criminis. Propter peccatum enim: mors introiit. Rom. 5. Sap. 2. Mors intrauit in orbem terrarum inuidia.*

CONFIRMATIO.

Huc pertinent pleraq; testimonia, quæ recitantur Thesi secũda Gen. 1. *vidit Deus omnia quæ fecerat, & erãt valde bona. Ps. 3. Opera manuum veritas & iudicium.* Peccatũ igitur hinc excluditur, de quo etiã manifestũ exstat testimonium Psal. 5. *quod Deus istud nõ velit, omnia quæ voluit fecit.* Psal. 135. Ergo vt prioris Iohan. dicitur: *Concupiscentia carnis & libido oculorum & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo: quemadmodum suo loco de causis peccati plenius docebitur.*

V. THESIS.

Omnia ſunt ad gloriam Dei creata & facta.

EXPLICATIO.

FInem hic ſummum intelligo, qui non tollit gradus inferiores, vt quod homo homini, ſicut præceptum de dilectione proximi docet & reliqua in vſum hominis condita ſunt. Etſi autem multi a Deo Angeli & homines abiiciantur, vt qui boni creati creatoris gloriæ non ſtuduerunt, ipſum tamen reiectionis, vt iuſtitiæ opus Dei gloriam amplificat, ne finis ille Deo plane pereat, etſi ſalutem ſuam perdunt mali.

CONFIRMATIO.

Prouer. 16. *Omnia Iehoua propter ſemetipſum operata habet etiã impium ad diem malum*. Ro. 9. *Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum*. Ad Eph. 3. Deus dicitur omnia condidiſſe propter Chriſtum, vt nota nunc fiat per Eccleſiam ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ, multiformis ſapientia Dei. Sic medii fines colliguntur tandem in vnum illũ Oſ. 2. Exaudiam dicit Iehoua, exaudiam cœlos & ipſi exaudient terram: terra vero exaudiet triticum ac vinum & oleum, & hæc exaudient ipſum Iſralem, & ego ſeminabo eam mihi.

LOCVS IX. DE PROVIDENTIA

I. Thesis.

Prouidentia Dei & prauisionem & gubernationem complectitur.

Explicatio.

CReator a creaturis non discessit, vt vel ea fortunæ committeret, vel alterius curæ permitteret, sese plane abdicans, sed sicut omnia operatus propter seipsum, ita omnia suæ prouidentiæ subiecit. Hæc Græcis est πρόνοια, quam Cicero de inuentione interpretatur per quam futurum aliquid videtur, antequam fit: Sed non sufficit hic contemplatio omnis verum prouidentia Dei, tum πρόγνωσιν, quæ est præsentia, tum διοίκησιν, quæ est dispensatio & administratio complectitur. Hæc pars nisi cognoscatur & credatur, vana est omnis de ea fides, vel Ethnico Tullio teste, qui in 2. de natura Deorum inquit: *Non sane multum interest, vtrum quis neget esse Deos, an eos omni procuratione & actione priuet: Mihi autem qui nihil agat omnio esse non videtur.*

Confirmatio.

Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos* Actor. 17. *In ipso sumus, viuimus & morimur.* Hebr. 1. *Sustinet omnia verbo potentia sua:* Idem pleraq; sequentium Thesium firmamenta statuent.

II. Thesis

II. THESIS.

Prouidentiæ Dei vniuersali omnia subiiciuntur.

EXPLICATIO.

ETsi prouidentia sese nõ habet simpliciter & æqualiter ad bonos & malos, nec in bonis & malis rebus dispensandis & curandis eadem est ratio. Prius tamen vniuersaliter & generaliter est asserenda πρόνοια, nimirũ, quod contemplatione & cura, omnia siue bona siue mala, siue magna siue parua obseruet & gubernet.

CONFIRMATIO.

Psal. 139. *Tu cognoscis sedere meum & surgere meum, intelligis cogitationem meam longe ante semitam meã*, Psal. 94. Epicuræorum vox citatur: *Non videbit Dominus*. Subiicitur autẽ *Qui finxit oculum nonne videat?* Ier. 1. *Priusquã te formarem in vtero, noui te*. Matth. 6. *Deus alit volucres cœli, lilium & omnem herbam agri vestit*. Et Matth. 10. *Ne quidem vilissimum passerculũ decidere sine volũtate Dei*. Heb. 4 *Omnia sunt nuda & aperta oculis ipsius*. Coll. 1. *Omnia in Christo subsistunt*.

III. THESIS.

Prouidentia Dei bonitate eiusdem efficaciter omnia procurat bona, siue bonis siue malis concedantur, siue generalia siue specialia.

EXPLICATIO.

GRæci distinguũt inter πρόνοιαν κατ' οἰκονομίαν

& alteram *κατ' ευδοκίαν*: Illa a generali ordinatione & dispensatione naturæ: Hæc a peculiari beneplacito Dei nomen habet. Distinctio hæc desumta est ex Psalm.147. qui Dominum iubet *laudare, quia vestiat cœlum nubibus, & paret terræ pluuiam, germinare faciat in montibus herbas, det iumentis escam ipsorum & pullis coruorum inuocantibus eũ.* Et tamẽ negat tum beneficiis beneplacitum Dei semper delectari, inquit.n. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neq; in tibiis viri beneplacitum erit, beneplacitum est Domino super timentes eum.* Est porro quædam admiranda & specialis Oeconomia, quæ tamẽ nõ omnino sit beneplacit, sicut in eodem Psal. dicitur. *Non fecit taliter omni nationi*, loquens de beneficiis populo Iudaico singulariter exhibitis, quorum tamen magna pars reiecta fuit, Ro.9. & 11. Sic 1. Cor. 10. docet Apostolos *principes Israelitarũ omnes sub nube fuisse, & omnes per mare transiisse, & omnes in illius nomine baptisatos esse: In plerisq; autem eorum non fuisse Deo beneplacitum. Prostrati n. sunt in deserto.* Etsi autẽ talis huius loci discretio efficaciæ Dei, tamen Deo debentur omnia bona, sicut etiam sæpe in Psalmo 147. connectuntur & Matth.6.

CONFIRMATIO.

Psal.145. *Bonus Iehoua vniuersis, & misericordia eius super omnia opera eius.* Itẽ: *Oculi omnium in te sperant Domine* &c. Psal.136. *qui dat escam omni carni, quoniã in seculum misericordia eius.*

Matth.

Matth. 5. *Pater noster qui in cœlis est, facit suum solem oriri super bonos & malos.* Act 14. *Deus nō reliquit se ἀμάρτυρον, testimonii expertem, sicut recte nobis benefaciendo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.*

IV. THESIS.

Prouidentia Dei operatur mala pœnæ efficaciter, quatenus scilicet sunt τιμωρίαι, id est, pœnæ vel supplicatio vel supplicia.

EXPLICATIO.

CVm Deus nulli faciat iniuriam, pœna ipsi sicut opus est effectum proprium, tribuitur. Quia tamē supplicia multa exsequitur per Diabolos & homines peccatores, vt sic peccata pœnis implicentur, addidi distinctiuā clausulā, quatenus τιμωρίαι *sint*. Etsi vero distinctio subtilior est, quam vt eā exacte cognoscamus aut tradere possimus, idq; tum pene impossibile videtur, quia peccata peccatis puniri legimus, tamē cum Deus manifesto sermone doceat τὸ ὅτι & nonnihil distinctionem declaret, sit nobis certum, etiamsi non plane explicatum, quia spiritualia dicat.

CONFIRMATIO.

Esaiæ 10. Insignis est locus vbi Dominus inquit: *O Assur virga furoris mei & baculus ipse, in manu eorū est ira mea, ad gentē fallacē mittā eū, & contra populū indignationis meæ mandabo illi, vt auferat spolia & diripiat pradā, vt ponat eū in conculcatione quasi lutū platearū,* &c. lege

textus verba. Hic manifestum, Deum sibi tri-
buere effectum desecationis istius Iudaicæ
gentis, & tamen etiam agnoscere, & longe
ante præuidere cõmissa peccatoris, quo sic
organo vsurus est, vt sic Dei opus iustum sit, &
peccatum ipso puniente secernatur, & itidem
Deo imputetur. Hinc igitur explicanda sunt
hæc, & similia dicta. Iudic. 9. *Misit Dominus
Spiritum pessimum inter Abimelech & habita-
tores Sichem*. Reg. 16. *Spiritus Domini malus
dicitur Saulē terruisse a Iehoua* id est, Domino
pœnam hanc mittente.

V. THESIS.

*Prouidentia Dei etiam circa peccata, seclu-
tra peccati notam suam quandam habet effi-
ciam, & non duntaxat præscientiam.*

EXPLICATIO.

SIcut prouidentia Dei sustentat creatu-
ne in nihilum redigantur, Thesi tertia
tensa super omnia opera ipsius, ita recte d
cuiusuis hominum vita & motu & re posi
qualibet statuitur, quod per prouidentia
Dei sint, quod autem peccata non essent, ni
Deus subiectum & quos fecit in natura mo
superstites seruaret, actio certe Dei in pecca
concurrit. Sed hic obseruetur distinctio inter
id, sine quo peccatum non est, quod tamen
peccatum non est, & id quod proprie pecca
ipsum est. Nullum enim peccatum, vt suo lo-
co confirmabitur est substantia aut acciden

quoddam

quoddā positiuum, sed solummodo priuatio licet atrocissima & maxime abominanda. Istā abominationē nulla ex parte Deus operatur, qui tamē iusto iudicio hominē, quem creauit vitam quoq; & motus eius seruat, quatenus aut sunt substantia, aut res positiua, & sic cum peccatum originale hominis non sit sine homine, & in peccato actuali concurrant motus interni & externi, actio & ἀνομία actionis, sic inquam Dei prouidētia efficax est in positiuis curandis & sustentandis, vt non solum prouisione, sed etiam gubernatione constet in his ὀνόματι θεοῦ.

CONFIRMATIO.

Ioh. 1. *Omnia per* λόγον *facta sunt, & sine ipso factū est nihil, quod factum est.* Act. 17. Vbi promiscue multitudini loquitur Paulus: *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Ro. 9. *Volens Deus ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, pertulit lenitate multa vasa iræ coagmētata ad interitum.* Hæc tolerantia non solū habet promissionē, sed etiā sustentationē, quæ est Dei lenitatis, ita tamē, vt exitus Deū a peccatis liberet, ꝙ quomodo illa exciperemus, alias ignoramus. Sic Pharaonem durū in populum suum Deus potuisset deiicere de solio regio & exsuere omnē potentiam aduersandi, sed hoc non fecit, imo prouidentiæ suæ contrarium tribuit ipsam nimirum euectionē & conuersationē Pharaonis, cum inquit: *Ad hoc excitaui te, vt in te ostendam potentiam meam:*

VI. Thesis.

Permissio Dei est prouidentia Dei pars, itaq; non dissoluta indulgetia, sed deliberata cura Dei: etiam in promissione ipsa est aliqua actio Dei.

Explicatio.

ETsi permissio Dei in peccatis creaturarū non potest a cura & gubernatione actiua diuelli, quemadmodum actionem Dei modo probauimus, alia tamen est conditio permissionis, vt quæ peccati naturam etiam spectet, quā tamen Deus non fecit. Alia est istius, quæ semper cū permissione coniuncta est actioni, de qua modo dictum est, queq; peccatū ipsum non facit. Quamobrem cum verba actiua, vt sunt indurare alicuius cor, tradere passionib' ignominiæ, de permissione explicantur, non intelligatur omnis negari Dei actio, sed cum propius ad id, quod proprie peccatum est, definitur actio Dei in permissionem vergit, & hæc tamen adhuc prouidentia Dei quandam curam habet, cum hoc ipso Deus velificetur suo honori, vt modo ex 9. ad Roman. didicimus. Est & ideo permissioni concedenda prouidentia, ne quid fiat, quod Deus nolit: Nam Aug. ait: in Enchiridio ad Laurentiū cap. 100 *miro & ineffabili modo non fit præter eius voluntatem, quod fit contra eius voluntatem, quia non fieret si non sineret, nec vtiq; nolens sinit sed volens.* Hæc vero cum audimus mente ferimur ad rationes, quæ in permissionib. huius occurrūt, & permittentem culpæ implicant. Sed pium est quod August. monet lib. 5. contra Iulianū

cap.4. *Nos certe,* inquit, *si eos, in quos nobis potestas est ante oculos nostros perpetrare, scelera permittamus, rei tum ipsi erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos nostros, quæ vtiq; si voluisset nulla ratione permitteret & tamen iustus & bonus est, quia iudicia eius abyssus multa.* Psl. 35. Huc pertinet, quod Deus deserẽdo dicitur indurare vel tradere desideriis: dũ. n. min⁹ cohibet ingenitã hominib. prauitatẽ, ipsa exasperatur. Vnde Aug. in Psal. 69. enarratione inquit: *addit Deus iniquitatẽ super iniquitatẽ nõ vulnerando, sed non sanando, sicut febrim vel morbũ augemus, nõ morbũ adhibendo, sed nõ succurrendo.* Et in lib. de prædestinatio. Sanctorũ ca. 4. *Deus dicitur indurare, quãdo nõ molit.* Itẽ c. 3. li. 5. contra Iulianũ Pelagianũ: *desertus a Deo cedit desideriis suis, cõsentit, vincitur rapitur, capitur, traditur, possidetur.* Quamuis a. hæc sacræ scripturæ cõsentanea sint, haud dubie tñ nõdũ plane assequimur in ipsis oĩa. Quã obrẽ cũ ἀκρίβειαν disceptatio decurrit, piã ignorãtiã humiliter agnoscamus cũ Augustino, *curauit Apostolis,* ait, *dicere, quãta pœna sit a Deo passionib. ignominiæ, siue deserẽdo, siue alio quocũq; explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc summe bonus & ineffabiliter iustus. Pauli n. exemplũ imitetur, quod ad Ro. 11. eodem sese recepit memor, quod inscrutabilia sint iudicia Dei & imperuestigabiles viæ eius.* Interim teneamus, quod certum est, permissionem nimi. Dei circa peccata non destitui cura Dei, sed

hac ipsa stipatam esse, ita quidem, vt peccatum probet, nec iuuet, aut faciat, etsi cũ curam adhibet, etiam hoc permittat inexplicabili nobis modo.

CONFIRMATIO.

Psal.41. *Non audiuit populus vocem meam, & Israel non voluit me, & dimisi eum in prauitate cordis eorum, ambulabant in concupiscentiis suis.* Act.14. *Deus permisit suas ipsorum vias ingredi.* Act.17. *Deus vocatur dissimulator:* loquitur autẽ Apostolus de tempore ignorationis Ethnicæ. Act. 13. *Circiter 40. annorum spatium mores eorum tulit in deserto.* Act.17. *Auertit autem se Deus & tradidit eos in seruitutẽ exercitus cœli.* Hoc est, quod & in Psal. sæpissimũ iteratur: *Domine ne auertas faciem tuam a me.*

VII. THESIS.

Dei prouidentia determinat bona & mala pro iustissimo arbitrio suo.

EXPLICATIO.

DEfinitio exstat in libello, quę tamen altius repetit rem, ad priora etiam recidentem, sed quatenus determinatio pars est prouidẽtię ex limitum positione potissimũ ęstimanda est, hi manent bonis & malis, nec non vtrorumq; actio & euentus. Deus n. singulorum vitæ terminos præscribit, quos nõ egredientur: simulque in hac omnium actionibus ita inuigilat, vt quando velit, seruorũ suorum in Ecclesiã & Remp.

Remp. labores vtiles abrumpat, crucē singulorum piorū opportune finiat, nec Diabolos & prauos homines vltra positā a se metam sceleribus & furoribus grassari sinat.

CONFIRMATIO.

Deu. 30. *Ipse est vita tua & longitudo dierum tuorum.* Iob. 14. *Breues dies hominum, numerum mensium apud te, constituisti terminos eius, quos preterire non possunt.* Ezechiæ addit annos 15. Ierem. 10. *Non est hominis via eius neque viri ambulantis dirigere gressus suos.* Iob. 14. *Nunc quid gressus meos numerasti.* Prouer. 16. *Cor hominis cogitat viam suā & Dominus dirigit gressus eius.* Iob. 5. *Non facient manus eorum, quæ decreuerant dissipante Domino cogitationes calidorum.* Act. 12. *Deus dicitur definiuisse præstituta tempora, & terminos habitationis hominū.* Matth. 23. *Scribæ & Pharisæi dicuntur implere mensuram peccando.* Psal. 55. *Deus non dabit in æternum fluctuationem iusto.* 1. Cor. 10. *Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari vltra, quam ferre possimus.* Ier. 25. *An nos captiuitatis Babylonicæ determinat.* Psalm. 37. *Meditatur impius contra iustum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autē ridebit eū, quoniā prospicit, quod venit Dies eius.* Psal. 129. *Dominus iustus abscindet funus impiorū.* Psal. 55. *Viri sanguinū & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Esa. 37. Ad Senacharibū minantē extrema Ezechiæ & vrbi Ierusalem Deus inquit: *Cum fureres aduersum*

me superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quã venisti. Euentus quoque respondet dictis Ieremiæ. *Ascendite muros eius & dissipate, cõsummationem autem noli facere.* Iob. 1. & 2. *metam figit Diabolo, quam in affligendo Iobo non excedat.*

VIII. THESIS.

Prouidentia Dei nihil admittit fortuitum.

EXPLICATIO.

FOrtuita vsitate vocantur, quæ in natura intelligente casu accidunt motu materiæ vagabundo, quæ certam & perpetuam causam non habent. Hæc autem definitio, siue esse debet, causas secundas non egrediatur, sed harum solummodo respectu fortuitum. Ratione autem primæ causæ, quæ Deus est, nihil est causale vel fortuitum, hoc est, nihil est quod a prouidentia Dei & gubernatione eximatur.

CONFIRMATIO.

Matth. 10. *Nonne duo passerculi minuto se veneunt: & vnus ex iis non cadit in terram sine Patre.* Exod. 21. Qui autem nolente occiditur (videlicet respectu nostri) dicitur Deo traditus manu ex improuiso cadentis. 1. Reg. 22. quidam in multitudinem incertum ictum tendens interficit Achab, dirigẽte Domino ictum.

IX. Th

IX. THESIS.

Determinatio Dei est immutabilis.

EXPLICATIO.

Thesi huic videtur aduersari, quod determinationes quædã ab ipso Deo patefactæ legantur mutatæ, vt quod de pœnitentia Dei aliquoties sacræ literæ testantur. Respõdemus autem: *Quod decreta aut simpliciter fiunt aut conditionaliter.* Cõditionales sunt omnes promissiones temporales inuitantes hominẽ ad obsequium Deo præstandum, omnesq; minæ vocātes hominẽ ad resipiscentiam, vbi igitur est hæc intentio Dei, ibi locum habebit, quod ipse pronuntiauit Ier. 10. *Si fecerit gens illa pœnitentiam agam & ego pœnitentiam super malũ, quod cogitaueram, vt illi facerem, &c.* Sic igitur siue hoc siue illud fiat, eodem modo stat sententia Dei, quomodo eã decreuit. At licet ipse norit, quid futurum sit, ideoq; decreti sui categoricam volũtatẽ in alterutram partẽ semper ostendere posset. Quia tamen noluit homines exercere inquisitione voluntatis absolutæ sine ordinẽ mediatarũ actionum in ministerio verbi institutarum obseruat, nec tm̃ cõcionibus quæ directe ad obedientiam vel pœnitentiam inuitant, conditio talis inest, sed etiam ordinationibus cõstitutis persæpe illa adhæret, vt quod Deus Saulem in regem euexit, huic ordinationi a Domino implexam fuisse

conditionem istam ipse affirmat inquiens, *Pœnitet me, quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me & verba mea opere non impleuit,* 1. Reg. 15. Obedientiæ autem & pœnitentiæ hominum conditionibus sublatis, nulla ἀναλογία pœnitentia a Deo restat, sed constat decretum simpliciter, quemadmodum in eodem capite Sauli a Samuele hoc annuntiatur. Atque hic pœnitentiæ in Deo affirmante vel negante conciliatio sumenda est.

CONFIRMATIO.

1. Reg. 15. *Triumphator Israelis nō mentietur, nec pœnitudine ducetur, non enim homo est, vt pœniteat eum.* Prouerb. 8. *Non est consilium aduersus Dominū* Et ex historia Absolonis 2. Reg. 17. discimus, Quod cum Deus pœnam decreuerit, etiā vtilia consilia dissipentur, comprobante hoc ipsum historia Rehabeam, spernentis consilia senum & petitionem populi. Quæ erat causa a Iehoua, vt confirmaret verbū suum. 3. Reg. 8. *Deus custodit pactum.* Esa. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ier. 1. *Vigilabo super verbū meum, vt faciā illud.*

LOCVS X. DE ANGELIS.

I. THESIS.

Angeli sunt creati Spiritus.

EXPLICATIO.

ANgeli appellatio Græca est significās nuntiū seu nuntiantem. Hoc officium cum

in diuinis sit & humanis, & Deus etiam filium suum miserit angelum ad hominem *Gen.* 31. & 48. Qui tamen Deitate nō est creatus spiritus: Et Ioh. Baptistā angelū præmiserit *Malach.* 3. Qui merus spiritus non fuit. Ideo hæc Thesis præter rem ipsam simul huius loci definitum certo significatū astringit. Quando creati sint angeli, non exprimit Moyses. Nec tamen probanda est sententia illorum, qui angelos ante omnem aliam creaturam cōditos esse dicunt, allegantes dictum Syracidis 1. *Primo omnium creata est sapientia.* Quod rectius accipitur de sapientia statim ex creaturis elucente. Nam omnia Deus in sapientia fecit Psal. 104.

CONFIRMATIO.

Coll. 1. *Omnia per Christum sunt condita, quæ sunt in cælis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia.* Psal. 104. *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammantem ignē.* Id quod de angelorum creatione citat etiam epistola ad Heb. cap. 1. Et diserte ipsa angelos appellat πνεύματα. Et cap. 12. Deum appellat patrem spirituum. Huc etiam commode transfertur, quod Gen. 2. dicitur: *Terram esse perfectam & cælos perfectos cum omni exercitu eorum.* Sunt autem in exercitu cœlesti angeli *Luc.* 2. Qui sunt castra Dei, *Gen.* 32.

II. THESIS

Angeli sunt singularia ὑφιστάμενα.

EXPLICATIO.

SAdducæi Act. 23. leguntur negasse angelos

&Spiritus. Non autē sunt inficiati, quod scriptura nominet angelos, & statuat esse, sed *ὑπόστασιν* angelorum nullam, motus tm̄ inspiratos a Deo hominib. angelos esse putarunt. Hunc errorē notat definitio libelli nostri cum dicit angelos non esse partē alterius speciei, vt illius speciei singularia *ὑφιστάμενα* fateatur.

CONFIRMATIO.

Angelorū sunt multa millia *Dan.* 7. Et quidem appellantur propriis atq; indiuidualibus nominibus, vt *Michael, Gabriel, Raphael*, &c. Ab extra mittūtur ad homines, & ab his recedunt. Formas assumunt, quibus se peculiariter conspiciendos exhibent, & sermone sæpe vsi sunt, & vt aliqd extra & p̄ter eos, ad quos mittūtur intelligātur. *Lu.* 1. Ang. stans ad dextram altaris, Zach. inqt: *Ego sū Gabriel qui asto in conspectu Dei, missusq; sum, vt te alloquerer.* Hic singula verba ad denotandā substantiā indiuiduam faciunt.

III. THESIS.

Omnes angeli sunt boni creati sed quia originem suam non seruauerunt cæteri confirmati sunt in bono.

EXPLICATIO.

CONtrarium videtur Christus affirmare Ioh. 8. *Diabolus ab initio homicida erat.* Vnde Apostolus Ioh. 1. Epist. cap. 3. *Ab initio Diabolus peccat.* Sed ista phrasis nō potest hoc velle, quod creatus sit a Deo Diabolus, nec initium aliud sanctū habuerit. Christus enim diserte inquit, *quod Diabolus in veritate non steterit*, itaq; initium eius aliud ponit, quam

vnde Diabolus dictus fuerit. Et tamen hic ab initio homicida fuit, quia peccatorem se priorē non habuit, sed ipse auctor peccati exstitit, Christo hoc sic explicāte, cū inquit: *Mendaciū de suo loquitur & pater est mendacii*. q si talis in initio conditus esset, Deus (q absit) pater & pater mendacii exstitisset, & non Diabolus. *Quidam etiam celeritatem lapsus hinc arguunt, quod scilicet diabolus bonus sit conditus, sed exigua intercedente mora, itaq; pene in initio lapsus sit, quodq; hominem vix conditum statim lethaliter vulnerarit.* Quæ sententia his verbis proferatur: *Diabolus ab initio homicida est.*

CONFIRMATIO.

Cum certū sit angelos a Deo creatos esse, & Deus viderit, quæ fecerat censueritq; omnia bona *Ge*.1. necessario etiā angeli sunt boni creati 2.*Pe*.2. Nō pepercit angelis peccatoribus, ergo nō voluit, nec instituit in creatione ipsorū lapsum. Ioh.8. *diabolus in veritate non perstitit.* In Epistola Iudæ: *Non seruauit originē sed dereliquit originē suā.* Quod etiā illi, qui boni sunt adhuc confirmati sunt in sanctitatē. hoc inde petitū est, q 1. Cor. 2. dicitur: *Electi angeli, & seruantur, vt in extremo die vbi mors: absorpta aculeū, qui est peccatū, amiserit* 1. Cor. 15. *veniāt cum Christo omnes sancti* Matth. 25. *& sint ministri regni ipsius purgādi ab omnibus offendiculis* Mat. 13. *etiam cum diabolis* Mat. 15.

IIII. THESIS.

Angeli siue boni siue mali sunt, creaturæ intelligentes, liberæ.

Explicatio.

De intelligentia nihil est disputationis, de libertate autem diabolorum explicatione opus est, cum dicantur a Deo vincti teneri 2.*Pet*.2. Sicut ergo homo post lapsum, etsi liberē arbitriū in S. spiritualibus, diuinis sc. rebus, amiserit, non tamē plane desiit liberū esse agens: ita Diaboli quoq; manserunt libere agentia, & determinatio non adimit hominib. libertatē agendi, cū prouidentia institutā naturā non tollat, sed seruet, licet ad nutū suum, quē etiā in integritate liberrima creatura obseruare debet. Ita licet Deus Satanā vinxerit, quas laxet & attrahat pro suo arbitrio, tamen libere agit ea, quæ Deus vt agat indulget.

Confirmatio.

Intellectus angelorū multa sunt argumēta, quod nim. boni obseruent vultū creatoris, & ad obsequia parati sint, mādata differendo exsequātur, castra metentur circa pios, custodiāt a malis, eripiāt ex malis. Et Dauid ob excellētē sapientiā angelo cōparatur. 2. *Reg*.4. Diabolus quoq; serpens ille antiquus *Apoc*.12. disputans cū Eua, *Ge*.3. & cū Christo *Matth* 4. satis probauit se nō esse brutū quoddā, sed spiritum sagacissimū: est ἄρχων τοῦ κόσμου *Ioh*.14. κοσμοκράτωρ sublime exercens sp. malitias *Eph*.6. quod bruta natura nō prēstabit *Iudic*.13. Angelus ad sumendū cibū inuitatus renuit, inquiens: *Si me cogis non comedam panes tuos*. Recusant adorationē *Apoc*.19. & 22. Satā. *in* 1. *cap*. Iobi. voluntatē suā

co-

contra Iobũ exponit Domino & accepta potestate vsq; ad vitã Iobi pro suo arbitrio affligẽdo grassatur. Sic 3. Re. 2. ad questionẽ Dñi qs decepturus esset Achab, legitur egressus Sp. qui stans corã Dño diceret: Ego decipiam: idẽ interrogatus in quo? Resp. Ero spiritus mendax in ore omniũ prophetarũ, cui Dominus, decipies & præualebis, egredere & fac ita.

V. THESIS.

Boni angeli sunt apparatores & ministri Dei.

EXPLICATIO.

MInisteriũ angelorũ, q̃ Deo exhibent, vel spectat obseruationẽ atq; cultu singu. vel simul seruitiũ in mũdo de mãdato Dei, hincq; in obsequio pstãdo. Thesis a. hęc prius spectat pcipue.

CONFIRMATIO.

Dan. 1. *Millia milliũ ministrabãt antiquo dierũ & decies millies centena millia assistebant illi.* Lu. 1. Gabriel se appellat, *quod in Dei conspectu appareat*. Matth. 18. *Paruulorum angeli in cœlis semper vident faciẽ patris mei, qui in cœlis est*. Esa. 6 *Hymno Deum celebrant angeli, quẽ* τρὶς ἅγιον *appellant Graci*. Sic in natali Christi hymnũ gloriosum canunt Luc. 2. Et Epist. ad Ebr. 1. citat ex Psal. 96. adorent eum omnes angeli.

VI. THESIS.

Angeli sunt hominibus a Deo additi obseruatores & ministri.

EXPLICATIO.

LActantius lib. 2. cap. 15. existimat cõmentu diabolorũ esse, q̃ de geniis singulorũ traditur nec pperã ita *indicatur*, si de iis *genii*

intelligatur, qui sibi *cultū* aliquē postulat... quē etiā a Christo efflagitare ausus fuit D... Matth.4. Sed tolerabilior est eorū opinio... quécūq; a puero, peculiari suo angelo com... datū esse existimāt, q̄ vt inter vulgatē opinio... nē nō vt certū refert historia Aposto. Act.12. Vbi Petrus noctu diuinitus e carcere educt... pulsans fores Mariæ matris Iohannis Marci, puella Rhode putatur esse angelus Petri. Gra... est & certius, q̄ plures vnū hominē obseru... *vt 4. Re.3.ca.6. & 7.* inter infestos Elisæus ho... stes, angelis cinctus nihil extimescit bellica... gna. Et Luc.16. Aīa Lazari ab angelis in sin... Abrahæ deportatur. Testimonia a. de mini... sterio angelorū hominibus parato ita dispon... mus, vt primū de Oeconomico statu & in h... de parētibus & *liberis* Dn̄is & seruis prima & ... tima ætate singul. postea de Eccl. tertio de p... tiis & regnis agamus. CONFIRMATIO.

AdEbr.1. *Angeli sunt* λειτουργικὰ πνεύματα *mini... stratoriis spiritus, qui ad ministeriū mittūtur p... pter eos qui hæredes erūt, salutis.* Hoc ministeri... cū hominū cōceptione incipit: quēdm angel... p̄dicit cōceptionē Simsonis *Iu.*13. Io. Bap. Lu... De pueris inquit Christus Mat.18. *Ang. eorū in c... lis sēper vidēt faciē patris mei, qui est in cœlis...* 91. *Angelis suis mādauit de te, vt custodiāt te...* Ge.16. Ancillæ Agar fugiēti morosā Dn̄ā S... angelus adest Dn̄i, eāq; ad obedientiam c... hera hortatur & Dei benedictionē annun... *Ge.*24. Seruo Abrahæ in ministerio Dn̄i p... mittitur angelus *Ge.*32. Iacobū cū tota fami...

ceu castra contra hostes muniunt *Ge.* 24. Et in lib. Tobię filiorũ cõnubia curant *Matth.* 1. In historia Iosephi angelus ꝓhibet desertionẽ cõiugis Marię. Tandẽ moriẽtes obseruãt & piorũ animas in sinũ Abrahę transferunt *Luc.* 16. Munus docendi in Ecclesia ipsi angeli sustinuerũt, vt in historia natiuitatis & resurrectionis Christi legimus. Curant vocationes doctorũ, sicut Corneli⁹ iubetur accersere Petrũ *Act.* 10. Danielẽ angelus docet de visionibus *ca.* 9. & 7. Pręcauent & lapsus ministrorũ verbi, vt in historia Bileã *Nu.* 22. Fideles non deserũt in priculis, sed hisce se socios iungũt, quemadmodũ tribus pueris in fornace Babylonica. *Dan.* 3. Impediunt mala parata piis confessoribus, sicut angelus Domini obstruxit ora leonum, ne nocerent Danieli *cap.* 3. Liberant ex persecutionibus, vt Lothum *Gen.* 19. Elisæum 4. *Reg.* 6. Apostolos *Acto.* 5. Petrum *Acto.* 12. In exiliis & carceribus piorũ doctorũ vitę sustentationi student, sicut angelus Eliæ ꝓspicit de cibo & potu ad famẽ 40 dierũ atq; noctiũ sustinendam 3. *Reg.* 19. Vel Habacuc ex agro raptatum deuehit, vt cibũ afferat Danieli, *Dan.* 14. Intersunt cœtibus Ecclesiasticis, & in his sunt spectatores atque obseruatores morum atq; doctrinæ 1. *Cor.* 11. *Ephes.* 3. 1. *Timoth.* 5. Paulus sub persona Timothei omnes fideles pastores intelligens, docet angelos adesse cuius testes fidelitatis aut infidelitatis. Præsunt Reipub. contra diabolos aulicos *Dan.* 10. Animant & armant fortitudi-

ne infirmos magistratus, vt Gideon *Iud.6.* tantur pios gubernatores cū subditis, quē modū angel. vna nocte occidit 185000. hominū, liberauit Ezechiā & regnū ipsius *Esa.37.* *Re.*19. reges & aulicos in Deū cōtumaces & superbos affligunt & terrent, vt piis tranquillitas aliqua contingat, sicut Pharaonis & aulicorū interficit primogenitos angelus populo Dei *Exo.*12. & Herodē, qui Iacobū interemerat ꝓpter superbiā percutit angelus Dei, vt memoratur *Act.*12. plagis cedant populū Deo rebellē vt is, qui peste Israelitas occidit 2. *Reg.*24.

VII. Thesis.

Angeli sancti sunt honorādi, & sanctis nostris operib. exhilarandi, non tamen colendi vt Deus.

Explicatio.

SIcut homines sibi mutuos honores debēt & cauēdū est, ne quē peccatis offēdam°, studendū autē, vt quēuis bonis operib. ad timorē inuitemus, vel in ipso confirmemus, ita alter alterius animū demereatur, honorib. diuinis soli Deo seruatis, ita quædā est reuerentia q̃ angelis bonis exhibere debemus: Etsi nequaq̄ cultu diuino digni sint. Nā cp. 1. Tim. Paulus inquit, *Obtestor in conspectu Dei & Domini nostri Iesu Christi, & electorū angelorū, vt hæc serues absq; præcipitatione iudicii, nihil faciens iuxta propensionē animæ.* In hoc Apost. coniūgit Deo, & Christo angelos ꝓpter æqualitatē honoris, sed quia angeli a Deo ordinati sūt inspectores, & testes vitę atq; actionū nostrarū, ipsos omnino reuereri par est. Co

CONFIRMATIO.

Velle Deum, vt reuereamur sanctos angelos, testimonium Pauli citatum modo grauiter probat. Et Christus Matth. 18. dehortans a scandalis, quibus offendantur paruuli, angelos horum appellat. Ac sicuti fugantur peccatis, ita pœnitentia & fructibus pœnitentiæ dignis exhilarantur & detinentur. Nam Christus ait, Luc. 15. *Angelos in cœlis gaudere super vno peccatore agente pœnitentiam*. Psal. 34. *Angelus Domini castrametatur circa timentes Deum.* Heb. 1. *Angeli dicuntur ministri hæredum salutis.* Recusant autem sacrificium. Itaque diuinum honorem angelus, *Iud.* 13. Sic cum Ioannes procideret, vt angelum sibi concionantem adoraret, audit ab eodem, *Vide ne feceris, conseruus tuus sum ex fratribus tuis, qui habent testimonium Iesu, Deum adora. Apoc.* 19. Eadem recusatione vtitur angelus, *cap.* 22. *ad Colloss* 2. Hoc etiam testimonium contra cultum angelorum intelligitur: *Nullus voluntarius moderator de vobis statuat ex subiectione & cultu angelorum.*

VIII. THESIS.

Diabolus sua substantia non est proprie peccatum, etsi propter peccatum deprauatus, & totus sit Deo abominabilis.

EXPLICATIO.

Διάβολος vocatur ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, a calumniando, quod fit translatione culpæ ab au-

ctore in alium, in quo multiplicem traiectio-
nem Satanæ ita describit Chrysost. 2. Cor. 1.
ἐ θεὸν πρὸς ἀνθρώπους διαβάλλει, καὶ ἡμᾶς πρὸς θεὸν, καὶ
πάλιν ἡμᾶς αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους, id est, *& Deum a-
pud hominem, & nos apud Deum, & rursum*
inuicem traiciendo calumniatur. Hilarius, qui
sequūtur alii nonnulli Zabulore appellāt, ha-
betque Hesichius verbum ζαβάλλειν pro ἀπα-
τᾶν, id est, *decipere.* Sed non opus est mutare
originē vocis, cum Æolicum sit, διὰ in ζα mu-
tare, vt ζαβάλλειν dicatur pro διαβάλλειν, & ζάβο-
λος pro διάβολος. Dicitur etiam Satan He-
bræis, quibus Satan est, odio habuit, seu ad-
uersatus est, *T H O A R*, osor, inimicus, aduer-
sarius. Sic Salomon 3. *Reg.* 5. gratus agno-
scens beneficium pacis, sibi diuinitus conces-
sum, ait: *Nunc requiem mihi dedit Dominus,*
& non est mihi Satan. Et Christus *Matth.* 16.
Petrum sibi aduersantē, vocat Satanam. Dia-
bolo vero, 1. *Pet.* 6. adiungitur epitheton ἀ-
ντιδίκου *aduersarii.* De thesi autem, cum recen-
tes Manichæi affirment negatum, obseruen-
tur etiam orthodoxæ antiquitatis testimonia.
Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionē: Deus
fecit angelos, spiritus: Ergo quod factus est a
Deo, i. e. angelus, id erit eius, qui fecit. Quod
autem factus a Deo, non est, i. e. Diabolus, i. e.
delator, superest, vt ipse sese fecerit deferendo
Deum. Leo Magnus Epist. 93. ad Turbiū Astu-
ricensiū Episcopum: *Deus, qui vniuersitatis*
conditor, nihil non bonum fecit, vnde etiam Dia-
bolus

bolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiã, sed a summo bono, cui debuit adhærere desciuit. August. lib. 6. contra Iulianũ Pelag. cap. 9. *Diabolus est spiritus immundus, & vtiq; bonũ, quod spiritus malum, quod immundus, quoniã spiritus est natura, immundus est vitio, quorũ duorũ illud a Deo est, hoc ab ipso.*

CONFIRMATIO.

Gen. 1. *Vidit Deus quæ fecerat, & erant omnia valde bona.* Ioh. 8. *Diabolus in veritate non stetit.* Quod tamen substantiã suã non retinuerit, nullubi legitur, sed spirit⁹ adhuc appellatur, & hic spiritus nequã. 1. *Reg* 16. mendax. 3. *Reg*. 22. immundus. *Matth*. 12. Quomodo duo intelligantur & substantia spiritualis, & malitia in ea. Deus autẽ conditor inuisibiliũ. *Coll*. 1. & pater spirituũ, *ad Ebr*. 12. Pater vero mendacii est ipse Diabolus, qui mendacium ex proprio loquitur, *Ioh*. 8.

IX. THESIS.

Diaboli commercium fugiendũ, nec quicquã salutare ab eo exspectandũ, nihilq; amice petẽdũ.

EXPLICATIO.

CVm argumentum hoc tractatur, etiam impotentia Diaboli, & eius in genus humanum odia ad dissuadendum adhibentur, quas rationes nulli arripiunt, & his limitatis, atque, vt existimant, correctis, putant, se a crimine liberatos, veluti cum

ſciſcitantur & petunt ea, quæ ſcientiam & po-
tentiam Diaboli non excedant, neque in-
rando quicquam reſpiciunt, aut conceſſa
acceptare velint, quod ſaluti ſuæ aut ſum
aduerſetur, ſed hi negligentes potiſſimum
tiones, quod nimirum Deus hoc prohib
rit, inimicitiaque a Deo poſita a nobis in a
citiam conuerti, ipſe etiam Satan ſibi diffi
lis eſſe nequeat, nihil excuſat, nec ſunt fac
da mala, vt eueniant bona, *ad Rom.* 3.

CONFIRMATIO.

Dei verba ſunt ad ſerpentem, hoc eſt,
Diabolum, Apoc. 12. *Ponam inimicitia*
te & mulierem, &c. Gen. 3. Poſitæ ergo ſunt
imicitiæ inter Diabolum & hominem ab
Deo, non vſque ad tranſactionem quan
amicam, ſed vſque ad perditionem Sata
cumq; hic mendax ſit & homicida, *Ioh.* 8
uerſarius noſter circumiens tanquam leo
giens, & quærens, quem deuoret. 1. *Pet.*
mo tum omnia deteriora fiāt, cum amici
mittitur & toleratur. *Luc.* 11. liquet
eſſe ſolertiam, quæ ad nullum amicum co
mercium cum Diabolo excuſandum con
ritur, præſertim ſi expendantur grauiſſ
prohibitiones Dei, ſiue mediate ſiue im
diate Diabolo iungaris, eumve cōſulas. De
18. *Caue, ne imiteris abominationes gentium*
inueniatur in te, qui hariolos ſciſcitetur, &
ſeruet ſomnia atq; auguria, nec ſit maleficus

incantator, neque pythones consulat, nec magos, aut quærat a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit gentes in introitu tuo. Leu. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos & hariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Id quod in Saule completum legitur, Paralip. 10. 2. Corinth. 6. *Ne ducatis iugum cum incredulis, quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia, & quæ communio lucis cū tenebris, & quæ concordia Christo cum Belial, & quæ pars fideli cum infideli?* Estque notabile dictū Augustini in Psalmum 39. *Diabolus*, inquit, *magis est metuendus cum fallit, quam cum sæuit.* Id quod Euæ seductione probatur, cui blandiebatur, vim vero non ostentabat aut inferebat.

X. THESIS.

Potentia Diaboli magna est, nec carnali securitate contemnenda.

EXPLICATIO.

Est quidam iustus Diaboli contemtus, qui fit fidei vincentis triumphatione, sed ista non mittit timorem Dei, ne iratus nos Diabolo permittat, sed solicite vigilat & orat, ne incidamus in tentationes, aut succumbamus. Quapropter carnali securitate Satanæ vim despiciendam esse negat nostra Thesis.

CONFIRMATIO.

Non sunt inania terriculamenta, cum in

historia Iobi, Saulis, Achab, Iudæ, & simili
de Diaboli furoribus. Item in Euangeliis de
obsessis a Christo liberatis commonemur, ac
historiam Christi a Diabolo tentati legimus
Matth. 4. Imo Christus ipse Diabolū appell
fortem armatum. *Luc*. 11. principem hu
mundi. *Ioh*. 12. & 14. Paulus 2. *Cor*. 4. vocat
Deum huius seculi, qui excœcauit mentes i
infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangel
Ephes. 2. principem vocat, cui potestas est a
ris & spiritus. Et Eph. 6. inquit: *Non est no
lucta aduersus carnem & sanguinem, sed adu
sus* ἀρχὰς *imperia*, ἐξουσίας *potestates*, κοσμοκρ
*mundi rectores, & Dominos tenebrarū huius s
culi, aduersus spirituales astutias in cœlestibus*.
Tim. 2. Diabolus dicitur homines laqueis c
ptiuos tenere. Ad Ebr. 2. legitur, mortis hab
re imperium. 1. *Pet*. 5. Leoni rugienti & fam
lico comparatur. Et Matth. 13. securis imm
nere dicitur: *Dormientibus*, ait Christus, *h
minibus venit inimicus, & seminauit Ziza
inter triticum*. Hoc vero propterea annota
in sacris Bibliis, vt securitatem nobis excu
& vigilantiam exsuscitet, sicut Christus Ma
thæi 26. hortatur, inquiens: *Vigilate & ora
te ne intretis in tentationem*.

XI. THESIS.

*Potentiam Deo æqualem Diabolus non ha
bet, nec creator est, cum angelus creatus est.*

Expli

EXPLICATIO.

VEre magna est potentia Diaboli, principis & imperatoris mundi, sed Deus non est. Quod enim 2. Corinth. 4. dicitur: *Deus huius seculi*, hoc intelligendum est secundum distinctionem, quæ exstat 1. *Corinth*. 8. Etiamsi sunt (*inquit Apostolus*) qui dicantur Dii in cœlo & in terra, sicut sunt Dii multi, & domini multi, nobis tamen est vnus Deus, qui est pater ille, ex quo omnia, &c. sunt. Nullus λεγομένων θεῶν, siue in cœlo, siue in terra propter quoddam dominium ita dictus, vero Deo, qui vnus tantum est potentia creandi, & similiæquandus est. Non ergo est necesse, vt vel propter Arrianos, vel propter Manichæos hic constructio torqueatur, quemadmodũ Hilarius fecit, ita ordinans verba: *Deus huius seculi sensus excæcauit*, sicut & alii Patres hic absque causa sudarunt, cum in Psal. 96. idem dicatur: *Dii gentium Dæmonia*, & nuncupatiui Dii alias etiã concedantur in sacris literis.

CONFIRMATIO.

Esaiæ 42. & 48. Iehoua inquit: *Gloriam meam alteri non dabo*. Est autem vis creandi insignis Dei gloria. Ierem. 10. *Dii, qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub cœlo sunt*. Esa. 45. Iehoua sibi sumit omnia, inquiens: *Ego Iehoua faciens omnia*. Huc pertinet, quod nil, nisi Deo permittente, possit Diabolus, de quo tamen singularem Thesin dabimus.

II. THESIS.

Diabolo sine permissu Dei non licet, quodlibet, exsequi.

EXPLICATIO.

CONdidisse Deum angelos libere agentia, nec libertatem omnem deperditam esse in Diabolo, supra quarta Thesi probauimus. Etsi ergo nihil sit, quod Deus prohibere statuit, voluntatibus tamen diabolicis & hominis suam quandam relinquit libertatem, etiam cum facultatē cupita præstandi intercipit. Quamobrem multa quidem Diabolo libera, sed non omnia licent.

CONFIRMATIO.

Sedes huius doctrinæ est in historia Iob quem nec affligere sine potestate a Deo concessa, nec vsque ad libitum suum, sed quousque Deus indulget, persequi potest. 3. Reg. 22. Satan sese offert ad decipiendum Achab. Idque annuente Deo præstat. Math. 8. Diaboli ad Christum inquiunt: *Venisti huc vexatum nos ante tempus:* quo ostendunt, sibi non sufficere tempus ad explendum desiderium peccandi. Ibi sē licentiam rogāt inuadendi porcos Gergosenorum. Sic Luc. 22. Christus ait: *Simon, Simon, Diabolus concupiuit vos, quos cribaret sicut triticum, sed ego rogaui pro te, ne deficeret fides tua.* Marc. 1. Spiritus immūdus in synagoga Capernaitica expostulaturus, cum Christo andi-

audit: *Obmutesce, & exi*, id quod Diabolus fecit. Additq; Euangelista: *Expauerunt omnes, ita vt mutuo quærerent, inter se dicentes. Quid est hoc? quæ doctrina noua est hæc? quia cum potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.*

XIII. THESIS.

Arma Christianorum, quibus Satan pellitur & vincitur, præcipua sunt verbum Dei, vera fides in Christum, & assidua preces ad Deum.

EXPLICATIO.

AD πανοπλίαν militis Christiani possent plura referri, quam hæc tria, si studeas analogiæ plurium & diuersarum armaturæ partium, sed nihil est omnium, quod his non subsistit, ideo paucioribus istis nunc contenti simus.

CONFIRMATIO.

Huc referatur locus ad Ephes 6. qui est de armatura Christiani militantis contra Diabolum. Vult autem Apostolus huiusmodi bellatorem fortem esse in Domino, & in robore potentiæ ipsius cingi veritate, quæ est sinceritas hypocrisi opposita, & indui iustitia, quæ est imputata iustitia, & ex hac manans vitæ integritas, ἑτοιμασία & promtitudo, seu quam Euangelium pacis conciliat patientia in cruce, quæ omnia sunt vel pars vel fructus fidei, quæ singulariter est quasi scutum, elidens omnia tela ignita Diaboli. Christum enim, quem in

amplexu brachiorum tenet, fiducialiter obiicit, ſicut ipſe iubet, Ioh. 15. *Confidite, quia ego vici mundum.* Ad hoc apparuit filius Dei, vt deſtruat opera Diaboli, 1. Ioh. 3. 1. Ioh. 4. *Potentior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo.* Hebr. 2. *Aboleuit eum, qui mortis habebat imperium.* 1. Ioh. 5. Hæc eſt victoria, quæ vincit mundũ fides noſtra. Verbũ autem Dei Paulus ad Epheſ. 6. appellat galeam ſalutarem & gladium ſpiritualem, per hoc enim tuto excipiuntur & eliduntut omnes ictus tentationum, ſicut eodem Chriſtus ipſe ſe texit, & Diabolũ abegit. *Math.* 4. His iungit perſeuerantiam in precibus, ſicut & Petrus 1. *Epiſt. cap.* 5. *Sobrii eſtote, & vigilate, nam aduerſarius veſter Diabolus circumit veluti leo rugiens, quærens quem deuoret.*

DE HOMINE
Locus XI.

I. Thesis.

Homo eſt ſubſtantia, a Deo creata.

Explicatio.

IN Hebræo primo occurrit vox *ADAM*, quæ aliquibus terrenum ſignificat, quemadmodum Adam a terra dicitur, Geneſ. 2. & 3. Quomodo reſponderet latina appellatio, ſi ab humo deduceretur? Quibuſdam autẽ ſanguineus vel rubens dicitur Adam. Eſt enim Adam

dam *rubuit*, vnde Adam rubeus, rufus, *Genes.* 25. Et hunc nonnulli a *DAM*, quod est sanguis deducunt. Hæc vox, si non habeat ה notificatiuum generaliter hominem significat, & quidem vtriusque sexus: cum illo vero proprium est, excellentiæ cuiusdam hominem significat. Est & alia Hebræa appellatio אֱנוֹשׁ ab אָנַשׁ *doluit*, ab ærumnis, quibus se homo per lapsum immersit. Eusebius de præparatione Euangelica deriuat a *Nascha*, oblitus est, quod similiter fragilitatem hominis innuit, sed longius, sicut etiam longe petita est ratio Eusebii ex Psal. 8. *Quid est Enosch, quod memor es eius*, potius congruit, quod Psal. 9. dicitur: *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant, gentes se esse.* Enoschim homines, id est, *doleant*: Etymo huic respondet, quod Latini mortales pro hominibus dicũt, & Græci βροτοὺς ἀνθρώπους. Platoni in Cratylo putatur vocatus ab ἄνω τρέπων ὀπωπὴν, *sursum attollens aspectum.* Alii quod tamen significatione idem est παρὰ τὸ ἀνιατρεῖν, *sursum aspiciendo*, ἄνθρωπον dictum volũt, quod beneficiũ hominis singulare prædicat Ouid.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Thesis autem vniuersaliter & sine omni exceptione vera est de omnibus, quibus veritas hominis denegari non debet. Nam etiã Christus, qua homo est, creatam habet naturã seu substantiã, creatasque essentiales proprietates, nec

obstat in hominibus peccatoribus, inhabitans malum. Rom. 7. *Tenaciter inhærens peccatum.* Hebr. 12. *Quo minus quiuis etiam pessimorum hominum substantiam circumferat, a Deo creatam.*

CONFIRMATIO.

Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum & fœminam creauit eos, *Gen.* 1. *Gen.* 6. Iehoua de corruptissimis hominibus loquens, ait: *Delebo hominem, quem creaui de facie terræ.* Gen. 7. *Delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ.* Exod. 4. *Quis fecit os hominis, &c. nonne ego dicit Iehoua ad Moysen per balbutiem tergiuersantem, ne mitteretur ad Pharaonem.* Psal. 89. *Nunquid frustra creasti omnes filios hominum.* Malach. 3. *Nunquid non potest omnium nostrum, nunquid non Deus vnus creauit nos.*

II. THESIS.

Substantia hominis aut corpus est, aut spiritus seu anima.

EXPLICATIO.

CORPUS Hebræis גְּוִיָּה, ita dictum, quod ex partibus hominis vnicum emineat apparendo, ad quam excellentiam allusit Prosper in sententiis, sentent. 75. *Corpus*, inquit, *carnis nostræ ornamentum nobis fuit, peccauimus & compedes inde accepimus, vt vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus impedi-*

pellaretur. Græcis est σῶμα. Anima Latina appellatione Lactantio in lib. de opificio Dei, cap. 17. videtur deduci à Græco ἄνεμος, quod est *ventus*, & sequenti cap. recenset quorundam sententiam & argumenta, quibus animus & anima Latinis differre statuantur, vt anima sit vita, animus sit mens hominis. Sunt etiam Ciceroni hæc discreta cum lib. 5. in Verrem de Aprinio scribit, quod is non modo animum integrum, sed ne animam quidē puram conseruare potuerit. Lib. tamen 1. Tuscul. quæst. *animum & animam quibusdam esse idem fatetur*. Et Isiodorus lib. 11. Etymologiarum: *Animam*, inquit, *dum viuificat corpus, anima est, dum velut animus est, dum scit, mens est, dum recolit, memoria est, dum rectum iudicat, ratio est, dum spirat, spiritus, dum aliquid sentit, sensus*. Græcis ψυχὴ à ψύχω, spiro. Hebræis נְשָׁמָה *spiraculum seu flatus*. Genes. 2. Item נֶפֶשׁ, quod ipsum etiam halitum significat & flatum, vt Iobi 41. *Anima*, id est, *halitus eius carbones inflammauit*. Est etiam רוּחַ, quod spiritum significat, appellatio animæ, vt Eccles. 12. & πνεῦμα de anima Christi, Matth. 27. Sicut autem ex hactenus recitatis animaduersum est, in animæ consideratione, tum apud Philosophos, tum apud Theologos statui quandam distinctionem in appellatione Latina. Ita Hebræi רוּחַ collocant in corde, נְשָׁמָה in cerebro נֶפֶשׁ, sed cum sacra scriptura hanc distinctionem non obseruet, haud poterit a

quoq̃ recte vrgeri. Pſal. quidem 150. dicitur: *Omnis ſpiritus laudat Dominum:* vbi extat vox נְשָׁמָה, vnde Rabini colligunt animam, quæ in corde ſit, & quã potiorem faciãt, intelligi. Sed *Gen.* 7. *v.* 22. vſurpatur de anima omniũ viuentium & brutorũ, ſicut נֶפֶשׁ de Deo iurauit Dominus per animam ſuam. 55. *cap. Ier.* Theſi vero noſtræ contrarium videtur dici. 1. *Theſſ.* 5. vbi ſic ſcribitur: *Ipſe autem Dominus pacis ſanctificet vos totos, & integer veſter ſpiritus, & anima & corpus inculpate in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur.* Reſp. Etiamſi ſunt variæ huius loci interpretationes, nec deſint, qui tres partes hominis faciant, tamen ſi dicatur, inſtantias multas ſecuturas eſſe. Inprimis vero abſurdũ eſt, ſpiritum vocari partẽ renouatam, & animã veteris hominis partem, cum Pauli votũ totalem renouationẽ precetur. Apollinarius vero hinc tres hominis partes faciens, corpus ſcil. animã, & mentem, Arrianæ ſentẽtiæ acceſſit, Chriſtoq; corpus tribuit humanũ, non quidẽ prorſus ſine anima, ſine anima tamẽ intelligente, vt mentis inuicẽ ſubiret diuinitas. Certum autem eſt, & animam ſua ſubſtantia ſpiritualem eſſe, vnde ſubſtantia nõ erit aliud, ſpirit⁹ hominis aliud, & aliud anima. Cõmodior eſt eorũ ſententia, qui ſpiritũ faciunt animæ partem immortalem, virtutem autem vegetatiuam & ſentientem, quæ eſt φυτικὴ & αἰσθητικὴ, animã diſtincte appellari cenſent. Sic enim ex tribus conſtaret homo, vt nihilominus

minus dichotomia noſtra optat, vt homines ſint perfecti. Quomodo autē? Reſp. Apoſtolus, ſpiritus perfectione. Ideo ἐπεξηγητικῶς narratiue ſubiicit, *& integer ſit veſter ſpiritus.* Ita autē ſpiritus integer eſt, quo ſcil. homo ſpiritualis eſt, & perfecte talis. Hæc ergo perfectio tum animam reſpicit, tum corpus, quare totus homo ita ſanctificatus, etiam corpore ſpiritualis erit, 1. *Corinth.* 15.

CONFIRMATIO.

Gen. 2. tantū duo appellantur, ex quib. homo factus ſit corpus nim. quod ex puluere terræ creatū eſt, & ſpiraculū vitę, quod Dominus creato corpori inhalauit. Sic cū mors ſit ſeparatio animæ a corpore duę tātū partes eſſentiales hominis indicātur. Pſ. 146. *Nolite cōfidere in principibus in filiis hominū, in quibus non eſt ſalus, egreditur ſpiritus eius, & reuertitur in terrā ſuā.* Prius verbū *egreditur* תֵּצֵא fœmineū, & reſpondens voci רוּחַ *ſpiritus* arguit, nō admittendū eſt, vt alterū יָשֻׁב, i.e. *reuertetur*, maſculum ſcil. eodem referatur, quaſi ſpiritus ſit mortalis, ſed reſpondet præcedenti nomini Adam, qui eſt homo a terra ſecundū corpus dictus. Eccl. 12. *Reuertatur puluis in terram, quemadmodū erat.* (Sic enim Deus Adamo lapſo loquitur, Gen. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumtus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*) & ſpiritus reuertatur ad Deum, Matth. 10. *Nolite vereri eos, qui corpus trucidant, animam autem non poſſunt*

occidere. Si Christus moriens, exhalat animam, & corpus eius sepelitur, *emisit spiritum*, inquit, *Matth.* 27. Quod si spiritus alius esset, quam anima, mansisset in Christo anima, & sic viuus ille permansisset, non mortuus esset. Postea autem dicitur, quod Ioseph ab Arimathia petierit corpus Christi. His ergo refutantur Heracleonitæ, qui præter corpus & animam aliquid tertium finxerunt substantiale in homine.

III. Thesis.

Corporis & carnis humanæ substantiam esse a Deo creatam, & in hac non sine hac hominem saluandum.

Explicatio.

AVgustinus de hæresibus scribit, fuisse quosdam a Patricio sectæ auctore Patricianos dictos, qui docuerint, substantiam carnis humanæ non a Deo, sed a Diabolo conditam esse, eamque sic fugiendam & detestandam putarunt, vt quidam eorum, morte sibi illata, carne carere noluerint. Huius & similium eorum occasiones arripuit temeritas hominum, ex aliquot sacræ scripturæ dictis, Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Respond. Non dicit Apostolus, substantiam carnis per se detestabilem esse, sed peccatum in carne respicit, quod domare iubet carne manente. Si quis enim attenderit textui, deprehendet distinctionem istam traditam esse

his

his verbis: *Si a spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis.* Et paulo ante dixerat: *Is qui excitauit Christum a mortuis, viuificabit mortalia corpora nostra.* Tale est hoc quoq; 1. Cor. 15. *Caro & sanguis regnũ Dei non possidebunt.* Resp. sequitur in textu: *Nec incorruptio corruptionem hæreditabit.* De corpore autem ipso sic prius dixerat: *Seminatur in corruptione, resurgit incorruptum, seminatur in ignominia, resurgit gloriosum.* Fuerunt prętereà multi hęretici, qui eodẽ prætextu huius terrenæ carnis seu de terra sumtæ resurrectionem negarunt. Vt sũt Simoniani, Menãdriani, Saturniniani, Gnostici, Carpocratitæ, Valẽtiniani, Marcosii Cagoni, Argonitici, Serdaniani, Marcionitæ, Apelliani, Seruitiani, Taciani, Origeniani, & Manichęi. Quamobrẽ creationẽ & saluationẽ coniunxit, quod enim creatũ est nõ est Deo indignum, si saluetur, & quod saluabitur altera scilicet *creatione* renouatum, hoc illo ipso priorem creationem testabitur.

CONFIRMATIO.

De creatione corporis quędam testimonia præcedentis Thesis agunt, itaq; huc resumenda.

Addantur autem & hæc 1. Cor. 12. *Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore sicut voluit* 1. Cor. 6. *An nescitis corpora vestra esse membra Christi.* Philip. 3. *Transformabit humile nostrum corpus, vt conforme fiat glorioso*

corpori. Christi Iob. 19. dicitur, se in carne sua visurum Dominum, & quidem in ea, de qua cap. 7. dixerat, *induta est caro mea putredine*, Psal. 34. *Custodit Dominus omnia ossa iusti, vnum ex iis non conteretur.* Esai. 26. *Viuent mortui cum cadauere meo resurgent, expergiscimini & iubilate, qui habitatis in puluere terræ.* Esa. 66. *Semen vestrum stabit coram me.* Daniel, 12. *Dormientes in puluere terræ expergescent alii in vitam æternam, alii in exprobrium sempiternum.* 1. Cor. 15. *Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem, & hoc mortale immortalitatem.* De hoc insigni dicto præclare dixit Tertullianus in libr. de resurrectione carnis. *Quid mortale nisi caro? quid corruptiuum nisi sanguis?* Ac ne putes aliter sentire Apostolum prouidentem tibi, & vt vt de carne dictum intelligas cum dicit, *istud corruptiuum & istud mortale, cutem istam tenens ait*: certe istud nisi de subiecto nisi de comparente pronuntiari non potuit, demonstrationis corporalis est verbũ. Aliud enim erat corruptiuum, aliud corruptela, aliud mortalẽ aliud mortalitas. De eodẽ loco Pauli elegantiore in Græco textu sic habet Theodo. Dial. 3. ὁρᾷς τὴν ἀκρίβειαν τὸ θνητὸν, τοῦτο ἔδειξα δεικτικῶς, ἵνα μὴ ἄλλης νομήσῃς σαρκὸς ἀνάστασιν: *vides quã accurate loquar, mortale hoc quasi digito monstraui, ne putares aliam carnem propter hanc surrecturam.*

IIII. THESIS.

Anima non est portio substantiæ Dei, sed à Deo creatus spiritus.

EXPLICATIO.

IN historia creationis Genes. 2. de anima dicitur, quod eam Deus sufflauerat in faciem hominis. Non autem putandum est, Deum, qui immutabilis est, partem de sua substantia exhalatam communicasse homini, sed quemadmodum præmittitur, quòd Deus formauit hominem de puluere terræ, qui tamen humano more, cum Deus incorporeus sit, formationem istam non instituit: Sic cum de sufflatione dicitur, ritus quidam creantis Dei cogitetur, qui tamen formaliter ignoratur. Augustinus libr. 12. De ciuitate Dei cap. 23. ait: *siue quam sufflando fecerit indidit, siue potius sufflando fecit.* Nam quid aliud est, sufflare, quam flatu facere, cumque animæ quædam humanæ perdendæ sint in gehenna, nihil autem substantiæ pereat cum æterna sit & immutabilis, non erit anima hominis aliqua portio de essentia Dei delibata, & Deo coessentialis. Luciferiani animam fecerunt corpoream, & hoc videtur dici Genes. 6. cum totus homo caro dicitur. Sed si intelligendum foret dictum illud, animam plane negari oporteret,

& vnicam partem hominis tradi, quæ ſit caro tantum contra manifeſta dicta ſub Theſi ſecunda. Loquitur autem hoc modo de corruptione hominis, ſic enim ibidem legimus explicationem: *Videns Deus quod multa malitia eſſet hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malitiam omni tempore*. Idem error Tertulliano tribuitur, quanquam Auguſtinus eum excuſet, putans, quod corpus generaliter pro οὐσία vſuparit.

CONFIRMATIO.

Gen. 1. dicitur, *Deus creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Ergo & anima, quæ cum corpore hominem conſtituit, & refert imaginem Dei, ab ipſo creata fuit. Iere. 38. *Viuit Dominus, qui fecit nobis animam hanc*. Zach. 12. *Dominus extendens cœlos, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*. 1. Cor. 15. *Primus Adam factus eſt in animam viuentem*. Etſi autem oppoſitio ſic habet ſecundus autem Adam εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν in *ſpiritum viuificantem*: tamen hoc modo non negatur anima ſpiritus, ſed diuinior quiſpiam ſpiritus indicatur cuius vis in Chriſto ſit viuificare alios, ſicut etiam ſpirituale ibi vſurpatur, ſignificãs conditionem cœleſtem glorificatorum hominum, quæ & corpori & animæ permittitur quamuis nec corpus nec anima interitura ſint: ego ipſe, inquit Iobus cap. 19. viſurus ſum Deum, & non alius, videlicet pro me, vel meo loco.

V. The-

V. THESIS.

Animam a parentibus gignendo communicari liberis non obscure in sacris literis traditur.

EXPLICATIO.

Vsitate quaestio ita proponitur, num anima sit ex traduce. Cum autem tradux sit propago seu pars quaedam ab arbore secta, & in aliam traducta, ne ista voce corporalis quidam modus vel sono animis ingeratur, Thesis de communicatione, quae fit gignendo, loquitur, quando modus non exprimitur sed vt ignotus reticetur, & tamen res traditur, quam qui negant necesse habent, vt animas citra genituram creatas corporibus immitti dicant, siue illi προϋπαρξιν seu praeexsistentiam earum Platonicam, quae in Origene denotata est a Synodo Oecumenica Constantinopolitana quinta, siue tum quando corpus creatur animas infundi dicant. Quicquid horum affirmatur, praesciditur propagatio peccati originalis in anima, quam nisi ab Adamo acceptam Adami vitio carere dixerimus, creator certe illam peccato non imbuit, leuiusq; esset, si corpus tantum corrumperet illa ab origine pura.

Ex aduerso autem obstant hae potissimum rationes. Prima quod propagatio ista non possit cogitari sine διαιρέσει & diuulsione, quae tantum corporum est πάθημα, cū anima sit sp. ἀδιαίρετος enim spiritum simplicem a corporea

massa, h. e. a disparata substantia nulla ratione posse oriri. 3. Alias etiam Dominum daturum operam Mœchis. 4. Vel ex parente sancto sanctos procreare liberos. Etsi autem multi doctores in decisione huius quæstionis insigni sunt vsi modestia detrectante controuersiam pro alterutra sententia: Tamen præcipui Orthodoxi in ipsam magis inclinarunt, quæ ad defendendum peccatum originis, quod scriptura diserte ait propagari, promtior est & firmior. Augustinus lib. ad Bonefaciũ: *Quicquid de anima differitur, si neget peccatum originis, falsum est.* Et libr. 3. de peccatorum meritis cap. 4. Ego autem etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum etiam iis, quæ sunt in scripturis apertissima. Luth. paulo ante mortem suam, de hac materia disputauit, & thesibus 31. & 32. ita censuit: *Qui cogitauerunt animã esse ex traduce, videtur nõ penitus aliena a scripturis sensisse. Imo facilius defendent propagationem originalis peccati, quam iidem, qui aliter sentiunt.* In disputatione etiam ad opponentes testatus est, *se pro sua credulitate ita sentire, quod anima sit ex traduce. Monere tamen in Ecclesia cum reuerentia & timore Dei loquendum esse, nec facile statuendum quod ignoramus.* Philippus in lib. de anima iidem moderatur censuram suam, sed tamen cum plura argumenta pro traduce commemoret,

moret, vnum autem saltem contra afferat, & hoc insuper soluat, non obscure ostendit, quo propendeat. Quod ad recitata argumenta attinet, quæ contra Thesin nostram facere videntur, reuera illa tanti momenti non sunt, vt cordatum turbent. Quod enim animal sit ἀδιαίρετος id est *quiddam impartibile*, hoc non est dogma spiritus sancti, nec aliter illius negatio constat, quam si opponatur corporeæ diuulsioni. Quasi vero aliquid dissimile & animæ suo modo conueniens, fieret, vnde animæ esset sua quædam propagatio nobis inexplicabilis, certe quomodo hoc sine temeritate negetur, haud apparet. Et quid est, quod Beza in prima patre quæstionum animã statuit secundum qualitates corrumpi, & qualitates tribuit substantiæ simplici & immutabili, cum hac clausula, quales tali substantiæ conueniant. Quid igitur impedit διαίρεσιν, cuius fugam in neganda animæ propagatione prętendit, quo minus propagatio fiat. Et quid obstat quo minus hic etiam cogitet, dari quãdam διαίρεσιν, qualis isti substãtiæ conueniat, qua ratione etiã secundũ argumentũ infirmatur. Et Erasmus Rodingerus excellens Physica cognitione, adeo sese obiectionibus turbari passus non est, vt hæc suis auditoribus dictaret: In semine inesse mirifice & inexplicabiliter vim quandam existimamus, de qua & mortalis & vacans corpore anima exsistat ordine naturæ.

De Mœchis non tam valet consecutio, quam non potest negari, quod Deus conseruet naturam vniuersi, etsi hæc tota vanitati sit subiecta *Rom.* 8. De quarto respondet Lutherus: *Vellem concluderet argumentum, & tandem homines secundum carnem generantur, non secundum Spiritum.* Augustinus vtitur simili circumcisi, qui tamen præputiatum generet, multo autem hoc fit magis in parentibus, quibus nunquam in hac vita peccatum eximitur. His obstaculis igitur remotis confirmemus Thesin.

CONFIRMATIO.

Homo gignit hominem *Genes.* 5. Adam genuit filium ad imaginem suam, sed homo constat corpore & anima. Ergo homo gignit corpus & animam. *Gen.* 46. *Genuit Iacob* 16. *animas.* Et rursus: *has genuit Iacob omnes, animæ* 17. *cunctæq; animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum & egressæ sunt de fæmore eius absq; vxoribus filiorum eius.* 2.Re. 16. Dauid de Absolone insidiante vitæ parentis inquit: *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam.* 1. Cor.15. *Corpus animale, quod hic circumferimus, acceptum fertur Adamo*, idq; vocatur caro & sanguis singulari phrasi scripturæ, quæ hominem peccato corruptum ita appellat, quia videlicet per Adam peccatũ in omnes homines transiit. *Prou.* 5. Et Christus Ioh.3. Hominẽ vocat carnem, & simul addit huiusmodi

car-

carnem, non nisi ex carne natam esse. Quis au-
tem dixerit animam hic non intelligi, uno cũ
anima præcipue retulerit Deum sanctum &
iustum, quē homo ex tota anima diligere de-
buerit, peccatum quoque, quod successit origi-
nali iustitiæ in anima potissimũ hærebit. In-
quit autem Dauid Psal. 51. *In iniquitatibus na-
tus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*
Gen. 8. *Cogitatio cordis humani mala est, a pue-
ritia.* Gen. 6. *Omne figmentum cogitationũ cor-
dis humani malũ est omni die.* Eph. 2. *Eramus o-
mnes natura Filii iræ*, id est, hæreditaria trãsmis-
sione parentum, sicut Beza cõmentatus a Paulo
Rom. 5. inquit: *Ad sui corruptionem tum anima
in corpore venit, & sic in posteros naturã trãsmi-
sit, cumque purgatio Baptismi non respiciat sordes
carnis, sed concupiscentiæ bonam efficiat, quæ est
mundatio animæ* 1. Pet. 3. *sit autẽ lauacrum re-
generationis.* Tit. 3. Natã igitur oportet esse ani-
mam & quidem carnali propagatione, *Ioh.* 3.
quandoquidem renasci non possit, quod na-
tum nõ sit. Illud vero perabsurdum est, quod
negata generatione animæ Christus non sit
semen Abrahæ & Dauidis secũdum humani-
tatem, sed solummodo secũdum corpus. Hoc
quidem Hilarius dixit lib. 10 de Trinitate. Sed
grauius est testimoniũ Symboli Athanasii:
*Necessarium est ad æternam salutem, vt incar-
nationem quoque Domini nostri Iesu Christi,
quisquis saluus esse velit fideliter credat. Est au-
tem recta fides, vt credamus & confiteamur, quod*

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, Deus est & homo. Deus est substantia Patris ante secula natus. Homo ex substãtia matris in seculo natus, perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Hæc ibi. Quæ conueniunt cum multis sacræ scripturæ dictis. Deu. 18. *Prophetam e medio tui e fratribus tuis, vt ego sum suscitabit tibi Iehoua.* 2. Sam. 7. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo. Sed vt vt est, cũ hæc grauioris põderis argumenta sint, quã aduersantia, non tamen dissuadeo modestiam, qua vsi sunt pii. Sic igitur Augustinus contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 4. Vt ergo & anima & caro pariter vtrumq; puniatur, nisi quod nascitur renascendo emendetur, profecto aut vtrumque ex homine vitiato trahitur, aut alterum in altero tanquam vitiato vase corrumpitur, vbi occultata iustitia diuinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum libentius disco, quam dico, ne audiam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum quod fides vera antiquæ Catholicæ, qua creditur & asseritur, originale peccatum non esse, conuicerit falsum, ista fides non negetur, & hoc, quod de anima latet, aut ex otio discitur, aut sicut alia multa in hac vita, sine labe salutis nescitur. Notetur igitur illam partem decere maiorem modestiam, cuius sententia minus habeat istarum rationum, & plus

plus atrocium absurdorum, cuiusmodi certe deprehenditur illorum opinio, qui singulas animas citra generationis ordinem de nouo creari, & natis corporibus infundi dicunt. His igitur vbi suæ sententiæ affirmatione & obstrusione audaces sint & importuni, oppositione contrarii rectius confidenter resisti potest. Adam suam vxorem vocauit Euam, quia sit futura mater omnium viuentium. *Genesis 3.*

VI. THESIS.

Animæ rationalis partes sunt duæ, mens & voluntas.

EXPLICATIO.

ANimæ rationalis partes considerandas proponit libellus noster, quia harum cognitione opus est in doctrina de imagine Dei, de peccato, de viribus humanis, de lege & pœnitentia. Norint autem adolescentes quoque recenseri Philosophicas distinctiones, quarum duæ sunt præcipuæ, Aristotelica & Platonica. Aristotelica rursus alia est in Physicis, alia in Ethicis tradita. In Physicis Aristoteles quinque statuit potentias animæ, prima est rationalis, διανοητικὴ & λογικὴ. Secunda αἰσθητικὴ *sentiens.* Tertia ὀρεκτικὴ *appetens.* Quarta κοινωνητικὴ κατὰ τόπον seu πυξωτικὴ,

locomotiua. quinta τρεπτικὴ, *vegetatiua* seu φυτικὴ *nutritiua*. In doctrina morali tres tantum enumerat, λογικὴν, αἰσθητικὴν καὶ φυτικὴν. Omittit autem ὀρεκτικὴν, quod ſingulis illis ſuam ὄρεξιν, id eſt, *appetitum*, tribuat, quando appetitiua directe ad illas tres reducenda eſt. Locomotiuam non recenſet, quia proprio appetitu non ſit prædita. Eſt etiam Platonica tripartita vſitata. 1. Prima appellatur ἐπιθυμητικὸν concupiſcens potẽtia. 2. θυμικὸν ſeu θυμῶδες *iraſcens* & ἡγεμονικὸν ſeu λογικὸν. Eſt enim λόγος ſeu ratio ἡγεμὼν præſes ſiue dux reliquarum potentiarum. Hanc vero doctrinam in Philoſophorum ſcholis accuratius cognoſcent adoleſcentes, cuius vſus non exiguus poſtea fuerit in Theologia. De duabus autem partibus τῆς λογικῆς certa eſt ſcripturæ ſacræ doctrina, diſtincte appellari mentem ſeu intellectum & voluntatem. Quod tamen cor ſæpe pro anima intelligente, & volente ſumitur, hoc non confuſionem habet, ſed ſicut κατ᾽ ἐξοχὴν, ſedes animi dicitur, nõ quod mens & voluntas ſint in corde, & non in cerebro, ſed quod cor fons vitæ illam ſibi prærogatiuã ſumat, & cordis vi iuncta menti & voluntati vires harum magis vigeant & polleant, ideo ſedes animæ per excellentiam in ipſo ponitur, & ſicut propterea anima non negatur, animam eſſe in toto corpore, ita ratio hominis non negatur in cerebro habere domicilium.

CONFIRMATIO.

Pſalm.9. *Nolite fieri, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Hic diſerte potentia hæc animæ humanæ ſingulariter tribuitur, & negatur brutæ. Deutero. 6. *Diliges Iehouam ex toto corde tuo, & anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Matthæi vigeſimoſecundo. Pro fortitudine ponitur διάνοια *mens* Marci duodecimo & Lucæ decimo διάνοια & ἰσχὺς *mens & fortitudo.* Ad Epheſios ſecundo: *Olim conuerſati ſumus in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes, quæ carni & cupiditatibus libebant. Cogitationes enim ſcient voluntatem quemadmodum* Epheſiorum quarto dicitur. *Ne amplius verſemini, ſicut reliquæ gentes verſantur in vanitate mentis ſuæ, cogitationem habentes obſcuratam & abalienatam a via Dei propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis ex obduratione cordis eorum, qui poſtquam deuoluerunt, ſeipſos dederunt proteruiæ, hoc eſt: menti & cordi vano, voluntas veluti mancipium iungitur.*

LOCVS XII. DE AFFEctibus.

I. THESIS.

Affectus a Deo in natura hominis creati per ſe boni ſunt.

EXPLICATIO.

TErminus per se idem est, quod alias dicimus absolute, cum singula secundum se sine omni respectu etiam tenacissime inhærentis rei examinantur, & opponitur relatiue acceptis, atque sic potest res esse bona, quæ tamen aliũde habet, quod est, & simul corruptionem circumfert. Hanc discriminis notam Paulus obseruandam ponit Rom. 14. οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ *nihil per se pollutum* pro explicatione tamen addatur dictum 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.*

CONFIRMATIO.

Historia status hominis adhuc integri refert, Adamum conspecta Eua amorem suum erga ipsam singularem verbis valde amabilibus prodidisse, hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea *Gen.* 2. Conditus quoque fuit homo ad imaginem & similitudinẽ Dei, cuius præcipua pars fuit dilectio Dei & proximi. *Vidit autem Dominus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona.* Genesis primo. Sicut igitur creati sunt affectus, ita & boni sunt, cumque affectus sint motus animi, in Deo autem moueamur & simus *Actor.* 17. Nec non de iis, quæ post lapsum creantur, vere dicat Apostolus, *Omnis creatura Dei bona est*, non debet affectibus derogari bonum naturale, & si bono morali seu potius spirituali careant. Ducitur

citur quoque a præceptione diuina graue argumentum. Cum Deus peccatum vero non velit, *Psalm.* 5. Nec cuiquam impie & male facere *Ecclesiast.* 15. Omnia vera mandata eius. *Psam.* 119. Deusque dilectionem sui & proximi postulet, eamque totius naturæ cōsensu & coniuratione fieri velit. *Deuter*, 6. *Matth.* 22. *Marc.* 11. *Luc.* 10. Ergo affectus per se vitiosos esse impossibile, & bonos potius esse necesse est. Quid quod illis ipsis homo Deo similis esse censeatur, Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Psal. 103. *Sicut pater miseretur filiorum, sic Deus miseretur timentium.* Ergo affectus simpliciter vitiosi non sunt. Mandans quoque Deus affectus, & vitium eorum prohibens diserte inter rem cuiusque vitium discernit. Psalm. 4. Et Ephesio. quarto. *Irascimini & nolite peccare.* Matthæi quinto: *Quisquis irascitur fratri temere, reus erit iudicii.* Christus porro non humanam solum substantiam, sed etiam inter cætera τὰ πάθη & affectus humanos habuit. Condoluit videns occalluisse corda Iudæorum *Marci tertio.* Misericordia motus est erga turbam fame laborantem. *Marci octauo.* Gaudet propter discipulos nactus occasionem declarandi potentiam suam in mortuo Lazaro, lacrymatur propter Lazarum, & fremit contra Diabolum, atque aculeatam ironiam astantium *Iohannis* 11. Desiderio desiderat pascha manducare *Matthæi* 26. Contristatur &

angitur in horto agonem subiens *Luc.* 22. In summa oportuit eum per omnia similem fieri fratribus suis *Heb.* 2. Et tentari in omnibus similiter nobis. Christus igitur viuum & optimum est exemplar affectuum per se bonorum, cumq; in altera vita duratura sit dilectio 1.*Cor.* 13. vbi tamen Dominus sistet sibi Ecclesiam sponsam gloriosam, non habentem rugam aut maculam aut quicquam huiusmodi *Eph.* 5. Ergo purgatio erit affectuum, quæ affectus ipsos per se vitiosos esse negat, nec excisionem & exstirpationem eorum permittit.

II. THESIS.

Affectus carnis non solum cohibitionẽ rationis, sed ante omnia Spiritu renouati & domiti moderationem capiunt, Christiano dignam.

EXPLICATIO.

QVemadmodum affectus iunguntur menti & voluntati tanquam ὁρμητήρια, atq; calcaria, vt seria meditatio & grauis assensio fiat, ita in illorum probitate excellentia augescit bonæ mentis & voluntatis, quæ æstimatur qualitatibus. Quandoquidem autem est diuersa ratio Philosophicæ moderationis & Christianæ mundationis, affectuum discrimen notum sit. Vtraque pars in hoc consentit, affectus a vitio liberos esse debere, sed Philosophia externum dumtaxat, & hoc suo iudicio culpabile potissimum temperat. Theologia vero, vt vitium penitius censet, ita

ita accuratiorem medicinam adhibet, sapientia humana consistit in reductione affectuum ad mediocritatem, quæ est a nimio & pauco ad medietatem cõuenientem deflexio. Hanc sacræ literæ non prohibent, sed tamen tenuiorem iudicant, quam quæ sufficiat in conspectu Dei, & præterea non iudicium hominum, verum Dei, qui ad fontem vitiorum intentus, respiciunt, & de consilio, quod ipsi probatur, correctionem veriorem postulat. Discrimina vero recte in causis considerantur, causam efficientem purgationis affectuum Philosophia statuit ipsam rationem hominis. Hæc moraliter nonnihil corrigit, ne affectus doctrinam ipsam plane excutiant, & contra externam disciplinam ad turbandam priuatam vel publicam tranquillitatem nimium furant & debacchentur. Quia vero ipsa ratio vitiata est, ita conuenit vicino, vt sibi & illi blandiatur. Contra vero Theologia nihil efficientis causæ, ex homine originaliter promit, sed Spiritum sanctum per verbum & sacramenta efficacem, docet regenerare naturam hominis, in qua fides, donum illud Dei præclarum, amplexando Christum, & remissionem peccatorum & perfectam iustitiam a Deo imputante aufert, omnesque vires hominis, itaque simul eæ, quæ affectus edunt, renouantur, & additur dux & gubernator Spiritus sanctus, qui renatos agat, & subinde carnem cum affectibus suis magis sibi subiiciat & mortificet. Quod si

igitur mens renata suadet moderationem, voluntasq; obtemperans ciet cor purificatum sanguine Christi, tum vires quidem hominis ad temperandum affectiones agunt, sed illae non carnales & naturales, verum spirituales, & de nouo domitæ sunt, quibus ipse spiritus vtitur, cuius solius est, quicquid bene agitur. Sic igitur causa formalis Theologicæ moderationis post diuinam quandam purgationem fontis affectuum est ipsorum affectuum quædam purificatio, & quidem primaria & plenaria per iustificationem, quæ fide toti personæ credentis obtingit, quam comitatur renouatio quantitatiua, quæ non est in hac vita perfecta, vt iustificatio, & tamen longe maior cohibitione affectuum, quam Philosophia suadet & efficit, quæque subinde spiritus beneficio incrementa sumit, Deo interim tegente in credentibus residuas infirmitates. Cumque Philosophus externam quandam hominis vtilitatem & dignitatis alicuius humanæ cum gloria & existimatione propria comparationem spectet & venetur, Christiana vero sanctificatio & gubernatio affectuum ante omnia referatur ad gloriam Dei, atque hominis humilitatem & subiectionem, proximique commodum a Deo præceptum sine detrimento eius, quod Deo debetur, operetur, & præstet. Hac etiam causa dignior est res ista, & sanctior affectuum renouatio.

CONFIRMATIO.

Genes.

Genes. 6. *Omne figmentum cordis humani tantum malum est a pueritia.* Prouerb. 16. *Est via, quæ videtur homini recta & nouissimum eius ducit ad mortem.* Rom. 8. *Sensus carnis inimicitia aduersus Deum.* Ioh. 8. dicitur: *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis.* Rom. 6. *Sepulti sumus vna cum Christo per baptismum in mortem, vt sicut excitatus est Christus, &c.* Item: *Illud sciamus, veterem hominem nostrum cum eo crucifixum esse, vt euertatur corpus peccati, ne post hac seruiamus peccatis.* Item: *Ne regnet peccatum in corpore vestro mortali, vt obediatis peccato in cupiditatibus carnis.* Atq; hoc in loco Pauli, quasi sedē habemus doctrinæ de affectibus gubernandis ad Gal. 5. *Spiritu incedite, & concupiscentias carnis ne perficite. Nam caro concupiscit aduersus spiritū: Spiritus vero aduersus carnem.* Item: *Qui autē Christi sunt, carnē crucifixerunt cum affectibus.* Rom. 7. *Velle mihi adiacet, sed vt quod bonum est, perficiam non assequor: Non enim facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago.* Item: *Delector enim lege Dei quoad interiorē hominem, sed video aliam legem in membris meis.* Rom. 8. *Nulla nunc cōdemnatio est in his, qui sunt in Christo Iesu.* Item: *Si secundū carnē vixeritis, moriemini, sed si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis.* 1. Cor. 13. *Postquam aduenerit perfectū, tunc, quod ex parte est, abolebitur.* Colloss. 2. *In Christo estis completi, qui est caput omnis imperii ac potestatis.* Colloss. 3. *Quicquid egeritis*

ſermone aut facto, in nomine Domini Ieſu facite, gratias agentes patri & Deo per ipſum.

DE IMAGINE DEI LOcus XIII.

I. THESIS.

Imago eſt effigies aliquam ſimilitudinem rei repræſentans.

EXPLIC. & CONFIR.

GEneralem hanc Theſin præmitto, vt termini varius vſus explicetur. Imago interdum vere vt abſolutum accipitur, pro modo & poſitu qualitatum, ſeu figuris etiam corporeis, vt cum alicuius rei formam viſibiliter intueor abſolute, aut Ideam in mente abſtractam contemplor. Sic imago de Deo ex patefactionibus concepta, poteſt cogitationes detinere in abſoluta Dei conſideratione, & ſi reuelationes ad relationē deducant. Deinde eſt vocabulum πρὸς τι relatiuum, cum in collatione conuenientia ad aliud intelligitur. In hac ſignificatione accipitur interdum pro ὁμουσία, vt cum filius Dei dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, *cap.* 7. 1. *Corinth.* 4. *Hebr.* 1. Et χαρακτὴρ ἐνυπόστατος in 1. Dialog. Athanaſii. Vel pro ὁμοιουσία, vt cum filius hominis dicitur imago ſui patris reſpectu eſſentiæ, interdum pro conuenientia quantitatum, ſeu modo & poſitu harum, vt cum filius quantitate corporis, aut ſimilitudine lineamētorum refert parentem.

tem. Item cum Cicero inquit lib. Epist. fam. *Agesilaum neque pictam, neque fictam suam imaginem passum esse.* Quomodo tamen partim in qualitatem etiam recidit. Nonnunquam vero ponitur pro conuenientia qualitatum vnius aut duarum aut trium specierum, vt cum quis vel similitudine naturæ, siue indolis naturalis, Vel imitatione virtutũ vitiorumve, aut huiusmodi aliorum dicitur alterius imago: Aut igitur τῆς δυνάμεως φυσικῆς, vt hęc similitudo, vt cum poetam, qui natura rapitur ad fundendum bonum carmen Maroni aut Nasoni comparamus; eum, qui natura est heluo, Antonio, quem temperamento gulosum fuisse scribunt. Imo imaginem crudelitatis Antonii in Dolobella cernis. Hac significatione ait Cicero in Philipp. si vtrumque natura crudelem intelligis, secus si habitu: Aut τῆς ἕξεως erit similitudo, cum mores, virtutes, & vitia alterius imitamur, idque vel δόξᾳ, id est, κακοζηλίᾳ quadam, vt cum Melancholicus quispiam opinione se regem venditat: Thraso putat, se Herculem aut similem fortitudine præstantem. Vel βουλήσει, id est, inani simulatione, vt cum Lentulus Scipionis antecessoris sui fortitudinem simulare imitatur, & cum Vlysses πολύτροπος ad variorum populorum mores se composuit. Vel προαιρέσει: vt Fabritius vere potest dici imago Aristidis. Est enim vtrique constans voluntas ab honestate & iustitia Ethica non discedendi. Sic Theseus

æmulatur Herculem [illegible]. Hisce significationibus annumerentur & Tropicæ & Parabolicæ imagines, veluti cum ἀντιπάθειαι oleæ & quercus dicimus esse imaginem eius, quod ministeriũ verbi ab aulis gubernatum emoriatur. Huiusmodi imagines & picturæ frequentes sunt in sacris literis, & tantum in consideratione consistunt. Huc pertinent Typicę, vt cum agnus victima veteris Testamenti dicitur imago Christi, & Metaphoricas imagines pro insignibus nobilitatis intelligimus. Estque apud Rhetores figura, quæ appellatur εἰκὼν, rerum vel personarum imago. Ad formam formæ collatio dicitur εἰκών.

II. Thesis.

Imago Dei, ad quam homo initio conditus est, quamq; postea amisit, non fuit substantia, sed iustitia, sanctitas, veritas.

Explicatio.

SI quis generaliter rem censet, homo etiam essentia sua retulit Deum Iehouam, seu essentia hominis, quasi imagine arguit, Deum non esse imaginatũ aliquod numen, sed substantiam & rem vere subsistentẽ. Sed hæc cõparatio, vt alias creaturas substantiales spectat, vtq; prius lapsum permansit, ita nõ sustinebit rationẽ eius similitudinis, ad quã homo singulariter creatus sit, quaq; per lapsum perdiderit, sicut alias quoq; nimia cõparatio nõ succedit. Cõstat n. homo ex substantia visibili & inuisibili, qualis duplicitas in Deo nõ est. Deus n.

non

nō habet corpus & mēbra corporea, quemad-
admodū Anthropomorphitæ ab Ecclesia dā-
nati docuerūt, & immēsum est discrimē inter
esse creatricē & creatū; vana quoq; est ratioci-
natio eorū, q cum substantiā aliquā nobiliorē
videāt re accessoria, inde sic colligūt ex digni-
tate, esse imaginis Dei, si eā substantiā potius,
quam qualitatē statuant. Certissimū enim est,
nobilissimū pignus amissum esse per peccatū.
Mansisse autē substantiam, eamq; non aliam
τῇ οὐσίᾳ, quam quatenus Deo cōditori immedi-
ate debeatur. Quid quod hoc loco amplifica-
tio ad maiestatis sublimitatem spectat, eiusdē
essentiæ hominem faciat, cuius est Deus, quo-
modo licet hominē non statuat ὁμοούσιον & co-
essentialem Deo, ὁμοιούσιον eum tamē tradat, o-
portet, sed sicut homo non est persona diuini-
tatis, ita nec extra Trinitatē vnitatis, & vnitatē
Trinitatis persona est similis essentiæ. Recte
enim & secundum sententiam Domini, Esa.
46. Cyprianus in expositione Symboli scribit,
Deum in substantia non habere similē. Cyril-
lus quoque lib. 1. in Ioh. cap. 46. *Absurdum cen-
set, quis dicat, spiritum hominis referre Deum se-
cundum naturam*. Et Athanas. Dial. 1. de Trin.
expresse ait: *Aliud enim est, imaginem Dei es-
se, quam esse characterem* ὑποστάσεως ipsius.

Nam opus quispiam habet quidē imaginē
artis, cuius peritus est artifex, a quo effectū est
ὑποστάσεως minime. Cyrillus lib. 2. in Ioannem
capite 14. contra eos disputans, qui filium

Dei dicebant esse imaginem eius substantialiter, sicut & creaturæ dicerentur. Sic grauissime negat præsuppositum de creaturis: *Nihil*, inquit, *firmum aut stabile, nihil perpetuum soli Deo attribuetur, si creatura quoque substantialiter, & per naturam suscipere poterit, quæ in Deo substantialiter sunt: & quis non perhorrescat tantam veritatis dogmatum perturbationẽ, audiens. Omnia enim sursum ac deorsum euertuntur, Deitatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum substantia per insaniam ad supremæ naturæ locum scandere creditur. Hos ergo fluctus, hanc tempestatem impietatis relinquentes ad tutum pietatis portum enatare studeamus.* Huc pertinet præclarum testimonium Ignatii in Epist. 3. quæ est ad Magnesianos: *In hominibus*, inquit, *geminas notas inueniri dico, & hanc esse veri numismatis, illam vero adulterini. Pius homo numisma est, a Deo cusum, impius adulterinum & subæratum, non a Deo, sed a Diabolo effectum, non quod velim, duas esse hominis naturas, sed vnum esse hominem, qui iam Dei sit, iam Diaboli. Si quis pietati studet, Dei homo est, si impie agit, Diaboli est, non id factus per naturam, sed per animi arbitrium. Infideles imaginem referunt principis malitiæ, fideles imaginem ferunt principis Dei patris & Iesu Christi.*

CONFIRMATIO.

Genes. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Leuit. 11. 19. & 1. Pet.

Pet. 1. *Ego sum Dominus Deus vester sancti estote, quia ego sanctus sum.* Ephes. 4. *Iubemur induere nouum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iustitiam & sanctitatem veram.*

III. THESIS.

Orthodoxa antiquitas imaginem Dei in homine qualitatem diserte professa est.

EXPLICATIO.

IMaginem Dei relatiuum esse vocabulum diximus, cuius fundamentum est iustitia & sanctitas hominum. Sic igitur, cum imago Dei dicitur, qualitas absolute accipitur pro fundamento. Terminus est, congruere ad normam iustitiæ & sanctitatis Dei. Sic homo dicitur imago Dei, imagine pro solo termino accepta, secundum regulam 7. de relatiuis in Dialectica Melanchthonis. Cum ergo dicitur, homo est imago Dei, idem dicitur quod, homo refert Deum, & tum hæret adhuc quęstio, quare Deũ referat, vt ille male argumẽtetur, qui propterea, quod homo substantia sit, imaginem etiam substantiam faciat, quasi de substantia nõ possit prædicari accidens & qualitas: Nec est necesse, vt posita qualitate in homine, eadem sit in Deo, cum simile non sit idem, & Deus ita voluerit, hominẽ esse suam imaginem, vt infinitum esset discrimen inter creatorem æternũ, & immutabilem, & inter creaturam temporaneam & mutabilem.

Confirmatio.

Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem, qui Manichæorum parens fuit per illud, quod substantiæ accessit, id est, per liberum arbitrium anima deliquit. Rursus & hæc ergo imago censenda est Dei in homine, quod eosdem motus & sensus habeat humanus animus, quos & Deus, licet non tales, quales Deus. Et iterum imago veritati nequaquam adæquabitur, aliud enim est secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse, item in hoc erit imago minor veritate, habens illas vtique lineas Dei, qua immortalis anima, qua libera & sui arbitri, qua præscia & plerumque qua rationalis, capax intellectus & scientiæ, tamen etiam in his imago, & non vsq; ad ipsam vim diuinitatis. Cyrill. lib. 1. in Ioan. ca. 43. *Per spiritũ ad Deum reformati, ac proprio eius charactere insigniti, ad suam, vt ita dicam, qualitatem transformamur.* In lib. 1. Dial. de Trinit. ostendit: *Imaginem Dei, ad quam conditi sunt homines, nequaquam esse essentialem, sed secundum imaginem nos esse creatos, vel certe ad modum qualitatis formatos, quasi ad diuinam & immortalem pulcritudinem.* Basilius Epist. 141. loquens de imagine Dei, inquit: *Simile & dissimile iuxta qualitates dicitur, ibidem similitudinem a coessentiali discernit.* Augustinus lib. 6. contra Iulianum iustitiam & iniustitiam originalem aperte dicit, *esse qualitatem in hominibus, tanquam in subiecto.*

IIII. The-

IIII. THESIS.

Imaginem Dei Lutherus appellauit essentialem, & de essentia citra Manichaismum.

EXPLICATIO.

QVod Lutherus imaginē Dei vocat essentialem, & de essentia hominis: Item connaturalem hominis & de natura eius, hæc imaginem illam non faciunt veram οὐσίαν, sed qualitatem agnoscunt & profitentur. Scripsit enim contra scholasticos pontificios, qui magnopere laborabant, vt euincerent naturalia hominis, post lapsum mansisse integra. Naturalia recte vocabant non totā substantiam hominis cum potentiis, quas nunc visitate Physicas appellamus, sed illas vires, quibus homo potuit cognoscere spiritualia, velle bona, & diligere Deū. Ex his vero lapsu aliquid deperditum esse negabant, sed ea integra adhuc esse cōtendebant, quo libertatē arbitrii, & vim huius in diuinis atque multiplicia bona opera & merita assererent, quibus homo cooperari possit ad gratiam & amissam salutem obtinendam. Videbant autē se nequaquā interpretatores esse, naturalia mansisse integra, quā diu aliquid ex dictis naturalibus imaginē Dei fuisse, cōcederent, q; hanc amissam esse, nullo modo possent diffiteri. Quomodo igitur saluis naturalib. imago Dei amitti posset, eā non tantū mentē & voluntatē secundū substantiā fuisse, sed etiā naturalē aliquā vim ex qualitatib. illis, quas naturalib. hominis cōnumerarunt, cōfi-

denter inficiabantur, & quidem adeo prorsus singulare comminiscebantur, quod ad naturam non pertinuisset, sed quasi ἐπίσαγμα fuisset, donum videl. ab extra naturæ additũ. Huic impio figmento, in quod multi fœdi errores, quasi conglobati sunt, acerrime sese Lutherus opposuit. Non autem omnia, quæ scholasticos hoc in loco docuisse recensuimus, vna quasi litura sustulit: Sed operæ pretium est notare, quid receperit, quid reiecerit, nullibi contendit, amissam esse substantiam hominis post lapsum, imo eam mansisse sponte largitur, mansisse etiam vim quandam mundanam intelligendi & volendi, non inuitus concessit. Sed hæc insuper mansisse integra & inuiolata post peccatum, id constantissime negauit, nó quia aliquid de substantia decesserit, sed quia imago Dei fuerit in substantia, eiusque adeo naturalis, vt ea omissa non potuerint non corrupta & violata reddi naturalia hominis. Fuisse autem imaginem Dei dixit, illam ipsam δύναμιν hominis, naturæ in creationẽ insitam, qua potuit cognoscere, & vere cognouerit Deum, timuerit & dilexerit, nec non crediderit ei, cũ & perfecte ei obedierit. Præter hanc autem negauit donum aliquod ab extra accedens, & ad naturalia non pertinens, quo videlicet discedente naturalibus nihil detractum sit, quia ipsa integra manserint. Hæc verbis Lutheri probemus. Statum valde perspicuum ponit in explicatione Psalmi 87. fol. 393. vbi inquit:

Non

Non de voluntate, quæ est res naturalis, & mansit, seu de velle simpliciter, sed de velle bonum disputare cum scholasticis. Sic Tom. 1. in Genes. pag. 18. inquit: *Manserunt intellectus & voluntas.* Et pag. 24. *Manserunt vires in externis.* Rursus pag. 48. *Manet quidem natura, sed multis modis corrupta, siquidem fiducia Dei amissa est.* Et paulo post: *Nam fiduciam in Deũ per peccatum amisit.* Ibidem autem pag. 47. hanc dedit affirmatiuam: *Hoc statuamus, iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum ab hominis natura, sed fuisse vere naturale: ita in natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum: hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen respiciunt. Quia autem si oculum vitiosum reddas inflicto vulnere, recte dicas, naturam violatam esse. Itaque postquam homo ex iustitia in peccatum lapsus est, recte & vere dicitur naturalia non integra, sed corrupta esse per peccata, sicut enim natura oculi est videre, ita natura rationis & voluntatis in Adamo fuit, nosse Deum, credere Deo, timere Deum. Hæc cum iam amissa est constat, quis tam amens est, qui dicat, naturalia adhuc mansisse integra?* Hæc Lutherus coniungens suam affirmatiuã cum negatiua, quibus nihil magis dilucide dici potest, pro sententia contra Manicheos. Etsi enim inter substantiam & δυνάμεις huius, tam arctam facit cognationem & necessitudinem, vt qualitatibus etiã amissis naturalia hominis

ſtatuat violari, tamen aperte diſtinguit inter naturam, cum ſubſtantiã ſignificat, & eam, q δύναμις eſt naturalis. Rurſus, vt probe intelligatur, quod non de ſubſtantiæ, ſed qualitatis naturalis amiſſione loquatur, ſuperſtitem naturæ profitetur, fiduciam vero Dei amiſſam eſſe dicit, ac ſimilitudine nititur de oculo, ſic inquiens: *Sicut naturale eſt, oculo videre: ſic dico: cognoſcere Deum, diligere Deum, naturale fuiſſe Adamo. Quis autem adeo inſanit, vt inter ſubſtantiam oculi & vim videndi diſcrimen neget?* Rurſus. Sic ait: *Oculi ſubſtantia manet amiſſo viſu per vulnus, amiſſa autem facultate optica, non dicitur integer oculus, ſed vitiatus, vtcunque etiam retineat vires, quibus vegetetur, ſentiat, & moueatur, ita ſubſtantiam animæ manſiſſe quidem dico*, ait Lutherus, a*miſſa imagine Dei per lapſum, manſiſſe etiam vires huic temporali vitæ ſeruientes, ſed in reliquis naturalia integra conſtituere non audeo: verum neceſſe eſt, vt fatear, hac amiſſione naturalia corrupta & vitioſa eſſe reddita, ita vt quemadmodum oculus amiſſa potentia viſiua, plane non videt, ita amiſſa imagine Dei, quæ fuit vis cognoſcendi & agendi ſpiritualia, naturalia nihil plane iam de iis intelligunt, nec etiam quicquam ex ſeſe agere poſſunt, quod ſpirituale ſit, & Deo placeat.*

DE LIBERO ARBITRIO
Locus XIIII.

I. THESIS.

Liberum arbitrium in genere significat & iudicium mentis, discernens bona & mala, & facultatem voluntatis, qua sponte eligit, aut facit, vel auersatur, & negligit ea, quæ mens decernit.

EXPLICATIO.

APpellatio arbitrii si proprie accipiatur, per se libertatis significationem ostendit, nec sola mente, sed & voluntate fit, quod dicitur. Alicuius enim arbitrio aliquid fieri dicitur, quod ad alicuius iudicium & nutum fit, quomodo non mente solum, verum voluntatis etiam statuto arbitratus plenus est. Vsitatũ autem est latinis Patribus appellare etiam nõ arbitriũ duntaxat, sed adiicere Epitheton Liberum, de quo Scholastici ineptiunt, quod arbitrium ad mentis libertatem respicere velint, ideoque coniunctione opus fuisse aiunt. Potius ista sit ratio copulationis, quod etiam is, qui coactione inductus, hoc vel illud eligit aut respuit, arbitrio tamen suo vtatur, non tamen mero & pleno. Vt igitur significatio esset liberalior, adiectum fuit *liberum*, quasi diceres: *verum & non impeditum arbitrium, sed sponte cuiusque tale, quale appelletur*, quà ratione Latina appellatio responderet superbo vocabulo Græco, quibus αὐτεξούσιοι dictum fuit, hoc est, quod plane sui iuris & potestatis est, id quod Latinis esset liberum arbitrium.

Recte hic etiam semper copulantur mens & voluntas, cum ignoti nulla sit cupido, & nisi voluntas iungatur menti, quæ videlicet dictatis mentis assentiatur, non erit liberum, quod discernendo & eligendo peragitur.

CONFIRMATIO.

Liberi arbitrii generalis descriptio omnibus plana est, & vel ex eo nosci potest, quod Deus condito homini adduxerit cognoscenda animalia, eique potestatem dominii in ea fecerit, *Gen.* 1. *&* 2. quo modo mentis & voluntatis vis ad libertatem arbitrii concurrere intelligantur. Sic Deut. 11. Natura arbitrii, quæ est mentis discernentis, & voluntatis respuentis vnum atque alterum cupientis, similiter demonstratur. *Vide*, inquit Dominus, *pono coram vobis hodie benedictionem & maledictionem: Benedictionem, si obedieritis præceptis Iehouæ: Maledictionem si non obedieritis.*

Nec est dubium, quin in primis parentibus ante lapsum, diues illa cognitio Dei, & voluntatis ipsius liberrimus consensus hominum cum Deo, liberum arbitrium constituerit, cum restitutio hominis ita describatur Colloss. 1. *Vt impleamur omni agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali, vt incedamus, sicut Domino dignum est.* Eccles. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris seruare præcepta, serua-*

erudibunt te. Hic consilium mentis est sapientia, & manus est facultas voluntatis.

II. THESIS.

Homo liberũ arbitrium in spiritualibus planè per peccatum amisit.

EXPLICATIO.

NOtandum est in hac Thesi, ad duo respici, quorum obseruatio statum regit controuersiæ, quæ de hoc loco præcipue agitatur. I. Est quod dicitur, de amissione per peccatum facta: hoc igitur sic consideratur in statu post lapsum. Deinde fit mentio spiritualium. at nõ omnium, sed certorum respectu obiectorum limitatur amissio. Sunt enim status quatuor hominis. Primus est integritatis ante lapsum. Secundus est corruptionis post lapsum nondum sanatæ. Tertius, conuersionis, in qua cœpit sanari natura. Quartus glorificationis, quæ erit restitutæ integritatis. Sic autem homo nõ solum ad mũdanam administrationem, & ad vitam, mundo conditus est, sed etiam ad agnitionem, & cultum Dei, quæ supra mundum sese erigũt, & spiritualissima sunt. Ita hæc duo obiecta distincte consideranda sunt, ne quod vni conueniat, alteri temere detur: vel quod vnius respectu negetur, alteri absque discretione adimatur. In primo statu, quia expeditũ arbitrium fuerit ad mundana & spiritualia nõ est dubium. In statu vltimo spiritualis dicitur futurus 1. *Cor.* 15. & *Ephe.* 5. Nec est de istis

duobus discretio. Verum hoc in controuersia venit, quid naturalis libertatis & arbitrii homo retinuerit post lapsum, quo ex se possit aspirare & contēdere ad bona spiritualia & cœlestia. Spiritualia inquam non simpliciter sic appellata, quod corporalia nō sint, quando etiā præclaræ dotes ingeniorū in impiis spirituales sunt, sed illa, quæ legis & Euangelii spirituali intellectu & vsu constant, & saluti hominis cœlesti diuinitus destinata sunt. Sic Paulus Rom. 7. Legem vocat *spiritualem*, cui opponit *carnalem*. Et 1. Cor. 2. inquit. *Quædam esse Dei, quæ spiritualiter iudicantur*, cumq; adista homo formetur conuersione diuina, hæc hominis mutatio scopus principalis figitur, vt hoc videlicet interrogetur, nū homo vi quasi liberi arbitrii naturalis aliquid ad sui conuersionem agat. Ad quod respondet Thesis nostra, q̄ tale arbitriū iam in natura hominis post lapsum reliquum sit. Io. 8. *Quisquis committit peccatum seruus est peccati*. Rom. 6. *Cum serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ*. Atque hoc est ex comminationis veritate, *quacūq; die comederis de ligno scientiæ boni & mali, morte morieris*. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in mundum introiit & per peccatum mors*. Hæc mors præcipua est amissio spiritualis vitæ, quæ erat gloria Dei, in hominibus coruscans. Ad Rom. 3. *Omnes peccauerunt & caret gloria Dei*. At ne leuis ista carentia æstimetur mortis emphasis diligenter ponderetur, & considerentur

tur ea, quæ amissis bonis natura corrupta deprehenduntur animalia. Ad Eph. 2. *Cum essetis mortui in delictis & peccatis*. versi. 1. *Homines contumaces* vers. 2. *inter quos & nos omnes versati sumus in cupiditatibus facientes, quæ carni & cogitationibus libebant, eramusque natura filii iræ, sicut & cæteri. Deus qui diues est in misericordia per multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam cum per peccata, mortui essemus, viuificauit nos vna per Christum.* Sic Io. 1. *Homines dicuntur tenebræ, in quibus lux lucet*, hoc est, vt 2. Cor. 4. *Deus qui dixit, vt e tenebris lux splendesceret, lucet*. Gen. 6. *Omne figmentum cordis humani tantummodo malum est omni tempore*. Idem repetitur cap. 8. Rom. 8. *Sensus carnis, est inimicitia aduersus Deum*, &c. 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*. 2. Cor. 3. *Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam veluti ex nobis sed quod idonei simus, id ex Deo est*.

III. THESIS.

Liberum arbitriū in rebus mundanis & carnalibus mansit quidem, nec plane per lapsum distinctum sed tamen acriter debilitatum & multis modis impeditum est.

EXPLICATIO.

ETsi statuum hominis & obiectorū distinctio præcedentis negatiuę intellectū ita limitet, vt de mere humanis corporalibus non possit similiter accipi, tamen singulariter

monendum est, quod nō solum libertas quædam eodem in statu respectu externarū & terrenarum rerum permanserit, sed etiam quod ne ille quidem multum homo gloriari potest, vnde ad prioris obiecti supereminentem præstantiam rediens facilius de suis viribus desperat, & omnia gloriæ Dei in solidum ascribere discit. Distinguatur etiam inter externa, quibus Deus mediis vtitur, & interna, quæ Deus per ipsa operatur, vt quæ nostræ potentiæ & efficaciæ, quæ vero diuinæ probe discernantur. Auditū verbi externum, hoc est, qui naturalibus auribus hauriatur & mente cogitetur, ei Deus ordinauit medium, per quod pro suo beneplacito auditori benedicere, & mēti, voluntati, atque cordi eius nouas vires, nouosque motus indere velit. Estque in nostra potestate oblatum verbū somnolentius audire, & pro captu nostro meditari: vel idem obturatis auribus, fugaque auditorii respuere & reiicere, vt vero intus mens & voluntas & cor salutariter eo tangantur, & intelligentia spiritualis assensus amorque eius cieantur, hoc est, peculiaris & meræ operationis Dei absq; synergia hominis naturalis, qui etiam auribus sonum percipiens, & mente sua attendens sese tamen quo ad actum illum spiritualis efficaciæ habet tanquam mortuum quiddam, quod nec viuat, nec agat aliquid. Quamobrem non nostro auditui, nec naturalibus rationis cogitationibus, etsi Deus hæc externa vsurpet, nec Enthusiasmos

mos poscat & velit, sed auditui, qui a Deo ad discendum est propositus, tribuitur, quod est specialis effecti, quemadmodum Christus inquit Ioh. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Item, *scriptum est, erunt omnes docti a Deo quisquis audiuit a Patre, & didicit, & venit ad me* Esa. 54. Ier. 31.

CONFIRMATIO.

Gen. 4. Enoch filius Cain ciuitatem condidisse & politicam congregationem ordinasse dicitur. Iubal scribitur inuenisse Musicam organicam. Tubalcain fabrilium operarum auctor prædicatur. Et floruerunt liberales artes inter gentes a vero Deo plane alienas. *Ieremiæ* 21. Dominus per Prophetam ad populum ait: *Ecce ego do vobis viam vitæ & viam mortis, qui manserit in vrbe morietur: qui autem transfugerit ad Chaldeos, viuet.* 1. Corin. 7. Paulus de libertate nubendi & vitam cœlibem eligendi dicit, *faciat quod velit.* De legis etiam operibus sacra scriptura testatur residuam quandam libertatem *Matth.* 5. Christus Pharisæis æternam legis obseruationem tribuit. *Rom.* 1. Paulus damnandos in extremo die inde censet inexcusabiles, quod in omnibus manifestum sit τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ. Loquitur autem de agnitione Dei generali sapientiæ humanæ concessa. Itaque inquit cap 2. *Gentes natura, quæ legis sunt, faciunt.* Phi. 3. de se inquit: *Quod in lege* ἄμεμπτος id est, irreprehensibilis vixerit coram homini-

bus, & quidem ante conuersionem, ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus.* His dictis subiungātur præcepta, quæ poscūt a nobis gubernationē morū, quibusq;, vt possibilibus violatis magistratus politicus decernat pœnas. Ad impossibilia enim in eo foro nemo obligatur, de quo argumento insignis est sententia, *lex est iniustis posita*. 1. Tim. 1. Accedit insuper multiplex experientia, & cuiusque αὐτοκατάκρισις, id est, adiudicatio seu propria cōscientia & inuiti confessio interna, quod multa studiosa perpetret, quæ potuisset omittere, & multa omittat & negligat, quæ facere posset. Quale testimonium etiam dicit fabrica humani corporis, in qua nerui voluntati seruiunt, & ad eam mouentur. Non igitur tam contra sententiam scripturæ, sed etiam manifestam experientiam, quod est insani & furentis. Laurentius Valla dubitat, nū sit in hominis arbitrio mouere pedem vel dextrum vel sinistrum. Semper tamen meminerimus, has reliquias non esse tantarum virium, quantarum fuerunt ante lapsum, id quod difficilis labor in discendis artibus variæque infirmitates animę & corporis arguūt. Quicquid autē δυνάμεων vnicuique restāt, id Deo acceptum esse ferendum, & a Deo conseruari, sicut Actor. 17. dicitur: *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Deum quoq; modum ponere & limites nostræ libertati, quemadmodum supra in loco de prouidentia Dei doctrina de determinatione

tione Dei tradita est hanc partem explicans. Et in locomotiua memorabile est, quod Ieroboam 3. Reg. 13. *extendens manum suam, vt imperet comprehendere virum Dei clamantem contra altare idololatricum in Bethel, non potest eam retrahere, quia Dominus inhibeat.* Suntque huc referenda ea, quæ de obstaculis disciplinæ in loco de lege proponũtur. Ad postremam de auditu externo & interno commonefactionem Thesis secunda, & quæ sequitur quarta pertinet, illa negante quicquam spirituale esse nostrarum virium naturalium, hac vero asserente omnia soli potentiæ Dei.

IV. THESIS.

Conuersionem hominis naturalis & peccatoris salutarem atque spiritualem solus Deus efficaciter operatur.

EXPLICATIO.

SOlus Deus appellatur, nõ quod immediate agat, excluso verbo & sacramẽtis, quodue contemtores mediorum istorũ raptibus ad se conuertat, sed quod ipsius solius sit vis & efficacia operans per media, quæ ordinauit, quæque obseruari & vsurpari conuenit, imo propter mandatum Dei necesse est, etsi, quod nos vsu & exercitio illo quicquam conferamus efficaciæ ad conuersionem nostri iuuandam vel promouẽdã nequaquã statui debeat, omnia potius Deo soli operãti accepta ferẽda

ſint. Notetur hoc loco & iſta diſtinctio, aliud eſſe conuerſionem, & aliud conuerſionis effectũ. Ex cõfuſis enim hiſce oritur error multiplex, videmuſque doctos quoſdam, poſtquam ex aliis Pelagianis laqueis ſeſe expediuerunt, hic hærere, & ſeſe defatigare miſere. Conuerſio hominis quo ad formam eſt illuminatio, quæ ad capiendum ea, quæ ſunt Spiritus Dei, aptitudinem parat ineptæ menti. Eſt præterea voluntatis reſtitutio, qua procliuis & prompta redditur ad ſubiiciendam ſeſe Deo. Eſt etiam cordis renouatio, vt ſit idoneum ad nouos motus, quibus Deum amplexetur. Vt vero aliud eſt res aliqua, aliud eius effectum: ita aliud mentis illuminatio, voluntatis reſtitutio, & cordis renouatio, quam mentis illuminatæ actus cognoſcens ea, quæ Spiritus ſunt Dei, vel aſſenſus, quo voluntas rebus diuinis aſtipulatur, vel timor Dei, dilectio aut alius motus, qui actu in Deum fertur. Sic recte dicitur, niſi quis intelligat ſpiritualia, aſſentiatur iis, & delectetur Deo, illum non cenſeri conuerſum. Hoc tamen non eſt eius ſententia, quaſi iſta actualis intelligentia aſſenſus & delectatio conuerſionem conſtituat & cõficiat. Effectum enim non eſt ſuæ cauſæ parens, nec quod rem neceſſario ſequitur, conſtituit prius conſtituta. Sed effectum eſt cauſæ argumentum & index, & tãta neceſſitudine vtrunque copulatur, vt alterum ab altero ſenſibili momento temporis diuelli nequeat, ſitque con-

uerſio

uersio ordine, non tempore, prior æstimādæ: Isto pio actu intellectus, voluntatis, & cordis, cum Deus non extra verbi ministerium, sed per hoc operetur: Itaque non disiunctim, etsi distincte agatur, & intellectus illustretur, atq; illustratus verbum intelligat, & voluntas flectatur, & flexa bonum velit, cor renouetur, & nouū nouos motus cieat. Hæc propinquitas & simultaneus quasi concursus, nisi distinctione manifesta fuerit priuatus, non poterit hoc largiri, vt ad conuersionem hominis præstandam, sit necesse requiri intelligentiā, assensionem & motus subiecti, sed quia subiectum subigendum & nouum creandum, reparatis videlicet viribus mentis & voluntatis & cordis ad res spirituales compositis, quibus id omnino spoliatum probauimus Thesi secunda: Ideo conuersio tantum fit in subiecto mere passiuo, hoc est, in homine, cum tota sua mēte voluntate & corde nihil agente, ad hoc, vt conuertatur, sed patiendo recipiente, quod Deus solus sua sola vi, in solidum operatur, & efficit, ad id vt conuersus istis sibi de nouo donatis viribus ipse intelligat, ipse velit, ipse amet cœlestia, quā distinctionem tāquam præcipuum lumen in hac controuersia summopere adolescentibus commendo, eamq; sciamus discretis statibus hominis, contineri: Ita nimirum statum, cui omne liberum arbitriū adimimus in rebus spiritualibus, appellamus corruptionis statū, in quo homines sedent in

tenebris per mortem & exstinctionem omnis lucis spiritualis meris & densissimis. Statum isti proximum appellamus conuersionis seu conuersorum, in hoc liberum arbitrium restitutum, hoc est, ex morte viuificatũ, non tam potest non agere, quã viuens nõ potest viuere.

CONFIRMATIO.

Esai. 56. *Omnia nostra opera operatus est nobis.* Iere. 18. & 31. *Postquam conuertisti nos, egimus pœnitentiã.* Iere. 5. *Conuerte me Domine, & conuertar.* Iohan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* 1. Ioh. 4. *Nos diligimus eũ, quia prior dilexit nos.* 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum quicquid sum.* Iohan. 1. *Christus illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum.* Item, *Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* 2. Cor. 4. *Deus qui iussit ex tenebris lucem splendescere, ipse eluxit cordibus nostris.* Rursus Ioa. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Emaunticis viatoribus Christus aperuit mentem. Item aperuit cor Lydię *Acto.* 16. Nec tantum aperit, vt qui lateat, sese exserat, sed aufert cor lapideum, & donat cor carneum, *Eze.* 11. & 17. Et incipit in nobis bonũ op⁹. *Phi.* 1. Reuelando *Matth.* 16. Et dando ipsum nosse. 1. *Cor.* 4. Dando item cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures, quæ possunt audire. *Deut* 29. Largiendo velle & perficere *ad Philip.* 1. & 2. Vt cum non simus idonei cogitare quicquam ex nobis tanquam ex nobis, ἱκανότης, aptitudo & suf-

sufficientia nostra ex Deo sit, non ex nobis ipsis 2. *Cor.* 3. Itaq; omnibus subductis rationibus verissime nos Paulus compellat: *Quid habes homo, quod non accepisti?* Porro vt hæc res sit planissima, plures sententiæ exclusiuę notentur. Ephesi 2. *Gratia saluati estis per fidem, idq; non ex vobis; Dei donum est ne quis glorietur.* Iohan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum.* Matth. 11. *Nemo nouit patrem, nisi cui filius voluerit reuelare.* In summa, *Sine me nihil potestis facere*, inquit Christus Iohan 15. Quod quidem aliqui ita intelligunt, *sine me nihil potestis, sed tamen, mecum aliquid potestis.* Verum hoc est contra vim verborum. Si enim hoc voluisset Dominus, oportuisset eum dicere: *Non omnia potestis sine me, aut parum.* Iam vero cum *Nihil* dixerit, non apparet, quomodo sub *Nihilo* aliquid, etiamsi paucillum sit, subsumi possit. Ideo perplacet, quod Augustinus scripsit. libr. 2. cõtra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 8. Hoc modo: *Non dixit Christus sine me difficulter potestis, nec dixit, non potestis perficere, aut magni aliquid præstare, sed simpliciter dicit, sine me nihil potestis facere.* Confirmatur explicatio dicto Baptistæ Ioh. 3. *Non potest sibi homo sumere quicquam nisi sit ei datũ desuper.* Quod idem Iacobus ca. 1. ita retulit: *Omne datum bonum & bonum perfectum est desuper a patre luminum.* Hisce deniq; subiici potest, ꝙ huic operi diuino creationis titulus

tribuitur. Psal. 51. *Cor mundum crea in me Deus.* Hoc vero optime explicatur Rom. 4. vbi Abraham celebratur, quod crediderit Deo, qui viuificans mortuos, vt conuersio ad *Ephe.* 2. *& ad Col.* 2. describitur. Vocat ea, quę non sunt, vt sint. Huc pertinet παλιγγενεσίας renascentiæ & regenerationis ratio Iohan. 3. *Vt creemur Christo ad bona opera.* Ephes. 2. *Seu creetur homo nouus ad imaginē Dei.* Eph. 4. *Vt cuius fuerit* πλάσις, id est, prima creatio, eius sit ἀνάπλασις, id est, secunda creatio, quēadmodum Iustinus loquitur. Seu vt eiusdem sit ἀνακτίζειν, id est, iterum creare & fingere, cuius fuerit κτίζειν, sicut Atha. inquit ad Epict. Quod etiā Epistola ad Heb. statuit ca. 2. his verbis: *Decebat eum, per quem omnia, auctorem fieri salutis.*

V. THESIS.

Non est προσωπολήπτης quosdam conuertens, quosdam non, nec iniustus æqualibus inæqualia tribuens vel largiens.

EXPLICATIO.

EX eo, quod Deus solus absq; hominis συνεργεία, conuersionē eius operatur, colligitur a nonnullis ratione humana plausibili, Deum sic fieri προσωπολήπτην qui inæqualia tribuat æqualibus: itaque iniustum. Si quis autem fontem argumentationis respicit, animaduertit hoc dari pro Thesi, quod sicut homo in eligendo suis affectibus rapitur, quibus personam vel rem aliquam prosequitur

quitur, vt pro fauore potius, quam pro iusti-
tia debita distribuat, ita & Deum agere, & illo
quidem in genere peccari ab omnibus homi-
nibus haud poterit negari. Verum sic non o-
mnis, qui inæqualia æqualibus dispertiatur προσω-
ποληψίας est [illegible]. Sed potest aliquis aliis
mouentibus causis inæqualitatem pro æquam sua-
dentibus, quæ tamen & alienæ sint a prædi-
ctis & iustitiæ seueritatem non excedant. Non i-
gitur satis est, vt in hac imputatione inæqualis di-
stributio æqualibus facta ponatur, sed necesse
est, & iure consequentiæ illud postulatur, vt
definitio προσωποληψίας tanq̃ iniustæ actionis
huius proprie applicetur specialibus istis ope-
ribus diuinis. Hoc opus hic labor est, nec ces-
sabit probationis difficultas, quandiu idem
saxum voluetur. Postq̃ autem aliquis agnos-
cit necessario, quandam inæqualitatis ratio-
nem dandam esse, vnde iustitia constet, quæ-
rendo illam non sane peccamus, modo co-
gnita reticentia sacrarum literarum tenere
non progrediamur. Sed quia curiosis placet
exorbitare & in deuio pro libitu statuere, hoc
est iuxta ea, quæ in hominum actionibus ob-
uia sunt, cursum iudicandi de operibus Dei diri-
gere, nequaquam leuiter erratur. Speciosa
tamen est, quod & legis & Euangelii vniuer-
salitas [illegible] videtur vtrobique æqua-
lia ponere, quibus homo vel damnationis
vel salutis sibi conscius existit, sed vt vt sit, vni-
uersalitas tum legis omnes ex Adamo natos
accusantis tum Euangelii omnes ad salutis cõ-

ſortiũ vocãtis. Tamẽ nõ eadẽ in vtroq; obie-
cto vel ſubiecto prę̧ſupponitur ratio. Nõ n
lex in omnibus cauſam damnationis repen
ita Euangelium omnes vocans inuenit facu-
tatem propriam veniendi ad Chriſtum. E-
preſſe enim Ioh. 6. dicitur. *Nemo poteſt venir*
ad me, niſi pater traxerit eũ. Nec eſt connexi
cum quis ſic argumẽtatur: *Omnes iubemur v-*
nire. E. *Omnes velle aut venire poſſumus.* Fit: e-
nim conſecutio a mandato ad poſſe, nec m-
datum tale Tyrannum facit, mandantem im-
poſſibile. Repetitur enim ab eo, qui pri-
poſſibilitatem dederat, & exactio poſterior
re fit, nec non ſuperbiæ atq; contumaciæ ho-
minis deiiciendæ & frangendæ adhibetur
vt videlicet diſcatur, eum, qui dederat, vt ho-
mo poſſet adhuc valere, efficere, vt homo q
nunc nequeat, denuo facere queat. *Quod e-*
nim impoſſibile eſt apud homines, id poſſibile
apud Deum. Matth. 19. *Et quod impoſſibile era*
legi, quia infirmabatur per carnem, hoc præſti-
tit Deus miſſo proprio filio. Rom. 8. Quar-
re ſic pronuntiat Auguſtinus Epiſtola 20:
Vtilitas legis vt hominem de ſua infirmitate co-
uincat, & gratia medicinam, quæ in Chriſ
eſt, implorare compellit. Et lib. de corruptio-
ne & gratia: *Iubet Deus, quæ non poſſumus, vt*
nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Rurſus
in Pſal. 118. *Ita fac Domine, ita fac miſericors*
Domine, impera, quod non poſſit impleri, imo
impera quod non niſi per gratiã tuam poſſit im-
pleri.

pleri, vt cum homines id implere per suas vires nequiuerint, vt omne os obstruatur, vt nemo magnus videatur, sint omnes paruuli, & reus fiat omnis mundus Deo. Iterum libro de natura & gratia cap. 52. *Quid tantum de natura possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, vera confessione, non falsa defensione opus habet.*

CONFIRMATIO.

Etsi Deus æqualibus inęqualia largiatur, tamen scriptura sacra eum προσωπολήπτην negat, & simul iniustitiæ notam declinat. Le. 19. prohibetur, *ne quis in iudicio consideret personam pauperis, aut honoret vultum potentis cum in iustitia iudicandum sit.* Deu. 1. *Non agnoscetis personam in iudicio, sicut paruum, sic & magnum audietis &c.* Sic diserte dicitur, quod Deus non sit προσωπολήπτης Deu. 10. *Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantiũ, Deus magnus, & potens & terribilis, qui personam non accipit nec munera.* Iobi. 34. *Qui non accipit personam principis neq; agnoscitur diues coram paupere, quia opus manuum vniuersi.* Eadem negatiua multoties repetitur in nouo testamento. *Luc. 20. vers. 21. Actor. 10. vers. 34. Rom. 2. vers. 11. Gal. 11. ver. 6. & Ephes. 6. vers. 9. 1. Pet. 1. vers. 16.* Et 1. Sã. 16. *Dominus* inqt q; *secũdum intuitum hominis*

non iudicet: homo enim aspicit, quæ sunt pro oculis & Iehoua aspicit quæ sunt in corde. Ita igitur Deus etiam tum cum legaliter iudicat, non debet iudicari ab homine quę penitiora latēt, quæ tamen Deo patēt. Vnde in legis & Euangelii coniunctione, cum hoc mysterium tr. & maius arcanum contineat, multo minus homini integrum erit iustitiæ & iniustitiæ rationem exquisitam inuenire.

Quamobrem licet verum sit, quod Deus inæqualia æqualibus conferat, nō tamen iniquitatis culpam sustinebit: Ipse enim Christus in parabola de conductione operariorum in vineam omnes æquat mercede, cum essent inæquales in operibus. Accusatus autem respondet, amice non facio tibi iniuriam. Nec aliam caussam subiicit, quam hanc, *an non licet facere meis quod volo? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum, quasi* dixisset, *nemini quod debeo denego; quod autem largior indebitum, hoc bonitatis est*, & donans de suo non censetur iniustus, licet non donet quibuslibet promiscue. Sic Paulus Rom. 9. Esau & Iacob æquat natura, & tamen Deum recipientem Iacob & reiicientem Esau ab iniustitia liberat, quia huic nihil nisi quod meritus sit rependerit, misertus autem sit Iacobi, qui tamen idem erat meritus.

Ac ne quis hic curiosius disputet, omnia ad voluntatem Dei reuocat, *cuius vult*, inquit, *miseretur, & quem vult indurat.* Et

Et vt amplius disceptantem pudefaciat, ait: *O homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum figulo, cur me tale fecisti.*

VI. THESIS.

Homo, quatenus conuersus & renatus est, donatus libero arbitrio, agit spiritualia.

EXPLICATIO.

Συνέργειαν & cooperationem Dei atq; hominis in spiritualibus non negamus, nisi in statu corruptionis, cui opus conuersione a solo Deo sine vllo hominis ope, & opera per verbum & sacramenta efficienda. Postquam autem homo conuersus est, & quamprimum conuertitur, ad id paratus est diuinitus, vt intelligendo & volendo porro cooperetur gratiæ: nec tamen ista συνέργεια quicquã largitur naturalibus hominis viribus, cũ duntaxat nouis tribuatur, quicquid ita affirmetur. Quamobrem ne tum quidem, quando homo renatus est, naturali potentię eius quicquam sancti operis vendicet, sed cum quilibet in hac vita ex parte tantum renouetur, eatenus, quatenus veterem hominem circumfert, non operatur sancta, id quod particula distinctiua in Thesi indicat.

CONFIRMATIO.

Ierem. 24. *Dabo iis cor, vt sciant me, quia ego Dominus sum:* Ezech. 11. *Dabo eis cor viuum,*

& spiritum nouum tribuam visceribus eorum, &c. Ioh. 8. *Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.* Item: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Matth. 23. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.* Matth. 16. Christus Petro confessionem de saluatore edente, inquit: *Caro & sanguis hæc tibi non reuelarunt, sed pater meus, qui est in cœlis.* Roman. 7. *Scio, quod non habitet in me,* hoc est, *in carne mea bonum.* Item: *Video aliam legem, in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Roman. 6. *Cum serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ: nunc vero liberati a peccato, mancipati autem Deo, fructum vestrum habetis in sanctimonia.* Roman. 3. *Spiritus auxiliatur in infirmitatibus nostris.* Galat. 2. *Viuo iam non ego, sed viuit in me Christus.* 1. Corinth. 13. *Plus laboraui aliis omnibus, ego tamen, sed gratia Dei mecum.* Augustinus de verbis Apostoli sermone 13. *Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respond. Imo agis & ageris, sed tunc bene agis, si a bono spiritu agaris.* Et paulo post: *Sic tamen scitote, vos agere bona, vt sit rector spiritus adiutor, qui si defuerit, nihil omnino boni agere valetis.*

VII. THESIS.

Renouatur homo de die in diem, Deo illum perficiente, etiamsi idem nouis viribus ad idem conatur.

EXPLICATIO.

Sicut

SIcut homo renatus cooperatur ſpiritui ſancto, quatenus gratia Dei agitur, ita quod exercitio ſpirituali augetur, gratiæ acceptum fieri neceſſe eſt. Orat ſane homo pro incrementis fidei, ſed in ſpiritu, & recte Hieronymus inquit in Epiſt. ad Cteſiphonem: *Sciamus, nos nihil eſſe, niſi quod donauit in nobis, ipſe ſeruarit, dicente Apoſtolo: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio non erit meum.* Dicit enim idem Apoſtolus: *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* Et Auguſtinus: *Deus præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit, quoniam ipſe, vt velimus, operatur, incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo vel operante velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

CONFIRMATIO.

Lucæ 11. *Quanto magis Deus Spiritum ſanctum dabit petentibus.* Et Eph. 3. Paulus docet: *Precibus impetrate, vt fortiter corroboremur in inferiore homo.* Eſt autem natura precum ad Deum fuſarum confiteri, quod a Deo, & non a precante proficiſcatur, quod petitur. Sic enim inquit pater obſeſſi pueri, Marc. 9. *Credo*

Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Et Apostoli, Luc. 16. *Domine, adauge in nobis fidem.* Sic igitur precatio Deo defert potentiam augendi dona, & magis magisque perficiendi renouationem hominis, iuxta illud Esaiæ 46. *Vsque ad senectam ego sum,* inquit Iehoua, *& vsque ad canos ego portabo, ego feci, ego feram, ego portabo, ego saluabo.* 1. Pet. 1. *Virtute Dei custodimur, ad fidem per salutem.* Philip. 1. *Qui cœpit in vobis, bonum opus perficiet ad diem Christi.* Phil. 2. *Deus est, qui agit in vobis, vt & velitis, & perficiatis.* Sic precum fidelium auctor est Deus, Gal. 4. *Quia iam estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba pater.* Rom. 8. *Per spiritum clamamus Abba pater.* Item, *spiritus* συναντιλαμβάνει, *&c. vna sublevat, & tanquam onus sustinet, infirmitates nostras: quid enim precemur, vt oportet, non nouimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

VIII. THESIS.

Liberati per filium in hac vita non sunt liberi a metu lapsuum contra conscientiam, a metu item excussionis Spiritus sancti & amissionis fidei.

EXPLICATIO.

DOminus Lutherus in articulis Schmalcaldicis conqueritur, sibi sæpe oblatos esse huiusmodi sectarios, qui contenderint, omnes, qui semel acceperint spiritum & remissionem

sionem peccatorum, vel fideles facti sint, etsi postea peccent, perseuerare tamen in fide, nec nocere eis peccata. Hos vero homines errare, & Dauidem mœchum atque homicidam, Spiritum sanctum & fidem amisisse statuit. Sic enim in Augustana confessione articulo XII. dicitur: *Damnant Anabaptistas, qui negant semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum.* Item in confessione Saxonica articulo II. sic scribitur ex dicto Luc. 11. *Vadit, & assumit alios spiritus nequiores se, & fiunt posteriora peiora prioribus.* Et ex similibus dictis manifestum est, aliquos contristari, & excutere Spiritum sanctum, & rursus abiici a Deo, & fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Ezech. 18. scriptum est: *Cum recesserit iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea.* Ibidem articulo XVI. *Redire ad scelera est excutere Deum, & rursus amittere iustitiam & vitam.* Sic Ioannes inquit 1. Epist. 3. *Qui facit iustitiam, iustus est, qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Contra hanc doctrinam nostrarum Ecclesiarum Caluiniani insurgunt, & expresse dicta loca notant atq; excipiunt, vbi concordiam cum dictis confessionibus nostris iactitant. Sic enim ad locum Augustanæ confessionis annotarunt in suis obseruationibus, additis Harmoniæ confessionum, Anno 81. Geneuæ editæ: *Nos dona spiritus* ἀμεταμέλητα, id est, *quorum non pœnitet*. Rom. 11. a donis temporariis (cuius modi est etiam illud fidei veræ, si-

mulacrum fidei, videlicet προσχήματος) diſtinguimus, nec ipſorum etiam donorum ἀμεταμελήτων motus interrumpi, ac pene interdum exſtingui negamus, ſed ita, vt ipſa vera radix ſemel inſita in vere iuſtificatis ἀμεταμελήτως ad extremum perſeueret. Ad Saxonicam autem confeſſionem ita ibidem commentati ſunt, quod illum ſanctificationis Spiritum, qui eſt in ſolis vere renatis, attinet, nunquam eis penitus adimitur, verum ipſius tantum energia cupiditatibus regnantibus ad tempus interrumpitur, ſicut ebrietas non mentem ipſam, ſed mentis tantum vſum ac tempus aufert. Et rurſus ad locum Saxonicæ confeſſionis articuli XII. vbi peccata in renatis retinentibus fidem & bonam conſcientiam, negantur corruptelæ fundamenti, & delicta contra conſcientiam, ſic annotarunt. Hoc ſi intelligimus, non contra omnem conſcientiam ſine regnante in ipſis peccato, peccare, ſed quod eis ſæpe ſuccumbant, tamen non tota προαιρέσει ruant in ſcelera, & quod adhuc in illis ſpiritus (etſi ad tempus carni ſuccumbens) reluctetur, donec rurſus diuinitus vincat. Hinc quam violenti ſunt interpretes noſtræ doctrinæ liquet. Quam enim confeſſionem alibi non ſaluandam eſſe, hic in eodem excuſant, nec Saxonica confeſſio de conſcientia loquens, omnia intelligit, cum ne quidem peſſimus nebulo contra omnem conſcientiam agat, ſed ſæpe eius ductum ſaniorem

niorem sequatur, nec ipsa confessio quicquã scelerum permittit, & solummodo summam extremitatem excipit, cuius tamen nullũ nouimus exemplum. Sed quodlibet scelus intelligit vel singula contra conscientiam commissa, & si multis aliis conscientia nõ lædatur. Sententiam suam quoq; suorum sic exposuit Beza in 1. parte quæstionum pagina penultima sub quæstione: *nunquam ne igitur censes spiritum adoptionis excuti?* Respondet autem, interrumpi interdum fateor in grauibus tentationibus spiritum, atq; adeo sic nonnunquam illius in nobis habitantis testimonia sopiri, vt ad tempus penitus nobis demigrasse videatur, sed nunquam pœnitus eripi dico, quoniã firmum esse, necesse est, Dei de suis seruandis decretum, ideoque suo tempore tandem decussis carnis nebulis, semper redditur lætitia salutis Domini, solis instar turbatis electorum conscientiis affulgens. Denique sic veram fidem & eius effecta in electis interrumpi dico, vt in iis, qui lethargo laborant, & in ebriis, in quibus impediuntur animę facultates, non tamen anima ipsa tollitur. Cum inter lethargũ aut ebrietatem & mortem ipsam plurimũ intersit. Quod ad electionẽ attinet, cuius firmitati metuitur, nisi istud dogma Caluinianum astruatur, verum est, quod solidum fundamentum Dei stet, habens signaculũ hoc, nouit Dominus, qui sunt sui. 2. Cor. 1. Istam vero soliditatem ita vsurpemus, vt, vbi metum

prohibeat, ea nitamur, vbi vero ſcriptura metum incutiat, eum prætextu ſoliditatis datæ minime vanum exiſtimemus, & Deo reſeruemus conciliationem eorum, quæ videntur pugnantia. Soliditas electionis ſtabile argumentum præſtat conſolationum aduerſus omnem tyrannidem hominum & Diabolorū, & totius mundi, contraque atrociſſimas calamitates, & tamen Dei timorem ſuadet, cuius proprium eſt timere, ne excidas ex amplexu ipſius, niſi perpetuo ab ipſo petas, & exſpectes perſeuerantiam, quæ conſtat ſeruata fide, & hæc rurſus non niſi cum bona conſcientia exiſtit. Et de renatis quidem permulta audiuntur teſtimonia, quod labi poſſint mortaliter, ex quibus electionis gratia quoſdam ad pœnitentiam quidem reuocat, non tamen eximit atrociter lapſos, a voce Dei minante omnibus, propter ſcelera & peccata contra cōſcientiam commiſſa, non fictitiam, ſed veram damnationem, quæ niſi ſeparatione a ſpiritu Dei non fit. Eſtque hoc imprimis notabile, quod electio Dei facta ſit ab ęterno, & eorum ſit, qui vel nondum nati ſunt, vel poſtquam naſcuntur, filii iræ ſunt natura ante generationem. Hic vero nemo dicit, omnes electos a momento conceptionis Spiritu ſancto donari & fide: nemo hoc quoque impetrabit, quod ſi omnes ab initio Spiritu ſancto & fide careant, nulla ſit electio, alias negaret manifeſta affirmata ſpiritus Dei, per quem locutus Paulus

lus electus, sic scripsit de se, & sanctis atque fidelibus Ephesiis: *Eratis mortui in delictis & peccatis, in quibus olim ambulastis iuxta seculũ huius mundi secundum principem, cuius potestas est aeris & spiritus, nunc agentes inter filios contumaciæ, &c. Sed Deus, qui diues est misericordia propter multam caritatem suam (qua dilexit nos, de quibus ad Ephes.* 1. *dixerat: elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta terra) etiam cum per peccata mortui essemus, conuiuificauit nos per spiritum*, Ephes. 2. Hic manifestum est, electionem non posse dici cessasse, cum isti sancti & fideles cum electo Paulo, adhuc Diabolo agenti in ipsis, non vero Spiritui sancto hospitium præberent. Nulla ergo necessitate propter electionem docetur, quod si renati contra conscientiam labantur, & scelera committant, non tamen excutiant Spiritũ sanctum, & fidem amittant. Atque hinc confirmatio nascitur perillustris.

CONFIRMATIO.

Cum quæstio est, num de renato peccante contra conscientiam statui debeat, quod excusserit Spiritum sanctum, & amiserit fidem? Et negatiue respondeatur a quibusdam, vt electioni diuinæ sua firmitas maneat: Illustre iudici exemplum occurrit in Adamo & Eua, qui in vera iustitia & sanctitate initio creati fuerunt, *Ephes.* 4. Quos, etiamsi ad electionẽ disputatio deuoluatur, electos fuisse nemo du-

bitet, iam vero certum est, Adamum & Euam lapsu suo mortuos fuisse in peccatis, iuxta comminationem: *Morte morieris.* Estque mortis illius spiritualis, hoc est, amissionis Spiritus sancti, quæ est vita illa fidei. Item totius gloriæ Dei carentiæ, vt Paulus appellat, Rom. 3. *Estis locuples natura posterorum Adæ, secundum quam naturam omnes mortui sunt in peccatis, & sunt filii iræ,* Ephes. 2. Rom. 5. Iam si Adam & Eua, qui perfecte sunt conditi sancti secundum naturam, labentes tamen contra conscientiam, excusso Deo, spiritualem vitam amiserunt, quæ erit posterorum renatorum præeminentia. Quare lapsi in delicta contra conscientiam eximantur a metu amissionis Spiritus sancti & fidei, cumque concessum in primis parentibus non possit, propter electionem tolli, qua consequentia electio semel iustificatis, postea vero sceleratis priuilegiũ perpetuæ inhabitationis Dei conciliabit: Maxime cum hæc Thesis in sacris literis certissima sit, semel liberatis a peccatis, dum in hac vita sunt, cauendum esse, reditum ad ea ne damnentur. Veri enim & probati timoris Dei proprium est, metu offensionis cauere peccata, Exod. 1. *Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruarunt mares.* Exod. 20. *Vt probaret vos, venit Deus, & vt timor illius esset in vobis, vt non peccaretis.* Deuter. 6. *Timeas Dominum*

minum Deum tuum, & custodias mandata & præcepta eius. Ierem. 32. *Dabo eis cor, vt timeant me vniuersis diebus.* Idem: *Timorem meum dabo in corda eorum.* Prouerb. 1. *Argumento timoris Dei absterrentur filii a peccatis.* Luc. 1. *Vt sine timore Dei de manu inimicorum nostrorum liberati seruiremus ipsi in sanctitate & iustitia &c.*

Timor ergo Dei est fuga peccati, coniuncta cum exercitio pietatis, nec interrumpitur salua spe salutis, ideoq; perpetuãdus docetur, quo faciunt etiam hæc testimonia de perseuerantia. Iobum in historiis ipsius cap. 2. ita Dominus commendat, quod timeat Deum, recedat a malo, & retineat innocentiam. Prou. 23. *Non æmuletur cor tuum peccatores.* Matth. 2?. *Qui perseuerauit ad finem, saluus erit.* Act. 11. *Barnabas cum aduenisset Antiochiam, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortatus est omnes, vt proposito cordis permanerent in Domino.* Act. 14. *Paulus & Barnabas confirmantes animos discipulorum, hortantur eos, vt permanerent in fide.* Sic Paulus pro Thessalonicensibus orat: *Vt Deus, qui vocauit eos, opus fidei potenter compleat, vt glorificetur nomen Domini.* Rom. 11. vbi de electione agitur: *Vide benignitatem & seueritatem Dei: in eos, qui ceciderunt seueritatem, in te vero benignitatem si permanseris in benignitate.* Rom. 6. *Ne regnet peccatũ in mortali corpore vestro.* Item: *Cũ serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ, quẽ ergo fructũ*

habebatis tunc ex iis, de quibus nunc erubescitis, nam finis illorum mors est, & cap. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 1. Cor. 6. *Ne erretis, neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles regni Dei hæreditatem possidebunt, & hæc eratis nonnulli, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini Iesu.* Et postea: *An ignoratis, membra vestra esse membra Christi.* Item: *Qui scortatur, in proprium corpus peccat: an ignoratis, corpus vestrũ esse templum Sp. sancti.* Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, proteruia, idololatria, veneficiũ, &c. Et his similia, quæ dico vobis, sicut prædixi, eos, qui talia agant, non fore regni Dei hæredes.* Similis sententia habetur Ephes. 5. Et supra ex cap. 18. Ezech. recitata est sententia Dei de iusto deserente iustitiam, ideoque mortis reo. Item ex cap. 11. Luc. Christi affirmatum de reditu Diaboli in domũ, vnde expulsus sit, quo posteriora fiunt deteriora prioribus. Similis sententia exstat, 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem addictus est, itaq; si postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & saluatoris nostri Iesu Christi effugerit, his rursum implicati superantur. Facta est vltima eorum conditio deterior priore. Satius enim fuisset, eos non cognouisse viam iustitiæ, quam cognita illa regredi a sacra doctrina ipsis tradita.* Exstat quoq; insignis parabola, Matthæi 18. de seruo, quem debitorem Dominus motus

motus misericordia dimisit, remisso simul debito, & tamen, quia non exercebat misericordiam in conseruū, denuo indignante Domino, tortoribus traditur in æternum. Luc. 8. *Qui supra petram, ii sunt, qui cum audierint, cum gaudio accipiunt sermonem, sed isti radicem non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt.* 1. Tim. 1. *Hoc mandatum commendo tibi, vt secundum progressas de te prophetias milites per eas, bonam militiam retinens, fidem & bonam conscientiam. Qua repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt, ex quibus Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant, non blasphemare.*

DE DICTO AD ROM. XI.

Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum non pœnitere eum possit.

POnitur hæc sententia illo in cardine, de quo ipse Paulus exclamat: *O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ ac cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt eius iudicia, & imperuestigabiles eius viæ.* Ergo absit a nobis ista arrogantia, quæ sibi sumat omnem, quæ cum hac sententia committi possunt, conciliationem. Cum autem ad præsentem quæstionem num peccans contra conscientiam, retineat Spiritum sanctum & gratiam, dictum istud præbere debeat affirmatiuam responsionem, quasi ista collata homini charismata maneant, ita ἀμεταμέλητα, vt spiritus semel donatus, nun-

quam auferatur, licet occidas, ſcorteris, mœ-
cheris,&c. Porro quæritur, num tale quid in
dicto loco Pauli vel minima nota innuatur.
Non autem hoc, ſed contrarium reperitur.
Dicit enim *rami*, id eſt, Iudæi per infidelitatē
defracti ſunt, tu vero per fidem ſtas, ne effe-
tor animo, ſed time, nam ſi Deus naturalibus
ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non
parcat. Hic ne multis diſceptes, an defracto-
rum ramorum vllus fidem habuerit, qua a-
miſſa, exciſus ſit, collationis ſaltem alteram
partem conſideremus, in qua diſerte dicitur:
Tu vero per fidem ſtas. Huic vero metus exci-
ſionis incutitur exemplo reprobatorũ Iudæ-
orum. Quod ſi igitur in naturalibus ramis
hoc non eſſet factum, vel non potuiſſet, niſi
negato Deo, vt hoc loco ex 2. Timoth. 2. lo-
qui ſolent Caluiniani, tum profecto vanus eſ-
ſet timor euentus impoſſibilis, eiuſque qui ſi-
ne Dei ignominia non poſſit accidere, itaque
& metui nequeat, niſi præconcepto furore,
qui Dei perditionem poſſibilem polliceatur.
Prius igitur quam Paulo tantam impietatem
tribuamus, quo homines vanis ſermonibus
fruſtratus ſit, & fundamẽtum ipſis ſubſtraue-
rit poſſibilitatem abolitionis & perditionis
Dei. Prius ergo, quam tantos furores conce-
damus, ſtatuamus poſſibilitatem excuſſionis
Spiritus ſancti, ſemel renatis donati, eiusque
amiſſi certum indicium credamus peccata
contra conſcientiam & ſcelera, præſertim
cum

cum hæ sententiæ disertè in sacris literis traduntur. Cumque hoc modo istud affirmetur, quod Caluiniani per ἀμεταμέλητα dona destruere laborant, satis patet, istos abuti verbis Apostoli. Liquet, Paulum in isto loco gentium temeritati occurrere, quæ ex incredulitate Iudæorum, de ipsorum gratuita receptione desperabant, quas refutat exemplo in ipsis gentibus edito, vt quas ipsas quoque incredulas misericordia Dei fideles reddiderit. Vnde constat, hanc esse ἀμεταμελήτων χαρισμάτων indicatam rationem, non posse prohiberi ista, quo minus, si Deus decreuerit, conferantur. Siquidem ille in talibus non moueatur pœnitentia, licet etiam plus insit dictis, quemadmodum Apostolus subiecta exclamatione profunditatem sapientiæ in eo contextu constituit, vt tamen ea fateatur ἀνεξερεύνητα, *imperscrutabilia*, καὶ ἀνεξιχνίαστα *inperuestigabilia*, quę subsunt, ita nostra ratiocinatione non licebit inde exstruere, quod Apostolus ipse non exstruxit, multo minus illud poterimus destruere, quod palam Paulus adstruxit.

DE DICTO 1. Iohan. 3.

Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen eius in ipso manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.

HOc testimonio, qui pro Caluiniana opinione assumserit, eũ non solũ oportet negare, quod excuti possit Sp. sanctus, & amitti fides,

ſed etiam hoc inficiari, quod renatus poſſit relabi in peccata, cum tamen ſanctis ſit præſcripta forma precandi: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et Pſal. 32. *Pro remiſſione peccatorum orabit ad te omnis ſanctus.* Quid, quod ſcelera poſſint a iuſtificatis & renatis perpetrari, concedant Caluiniani, & tantummodo negent amiſſionem ſpiritus. Ergo cum in hac ſententia, quod renati non poſſint relabi, nequeat accipi dictum Iohannis, quærenda est alia διάνοια. Schmalcaldici articuli in loco de falſa pœnitentia Papiſtarum, vbi refutant hoc ipſum dogma Anabaptiſticum, explicant dictum Ioannis de dominio Spiritus, cum non ſinit regnare peccatum, vt committatur, ſed reſiſtit & prohibet, ne peccatum faciat, quod concupiſcit. Et ſubiicit, *quod ſi autem ipſum peccatum dominatur, tum Spiritus ſanctus & fides non adſunt.* Verum enim eſt, quod Iohannes inquit: *Qui ex Deo natus eſt, non peccat, nec poteſt peccare.* Et tamen veritas eſt eodem teſte cap. 1. *Si dixerimus, peccatum non habere, nos mendaces ſumus, & veritas non eſt in nobis.* Hæc ibi. Dum igitur ſemen Dei in homine eſt, homo agit, vt filius Dei, *quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, Rom. 8. Et eatenus renatus non poteſt peccare mortaliter, dum ſpiritus mortificat actiones carnis, nec tum vero quoque filius Dei erit, quando peccat, & quidem contra conſcientiam. Proximo enim verſu præcedente dictũ iſtud cap. 4.
Sic

Sic ſcripſerat Ioannes: *Qui peccatum committit ex Diabolo eſt*: & rurſus ſtatim ſequente ſic ſtatuit: *Quisquis non exercet iuſtitiam, non eſt ex Deo.* Atqui Caluiniani coguntur fateri labantes contra conſcientiam committere peccatum regnantibus cupiditatibus, quod certe non eſt exercere iuſtitiam. Ergo ex Diabolo, & non ex Deo ſunt tales Itaque ſemen Dei in ipſis non eſt, cum ſi ineſſet, non ſineret peccatum regnare.

DE LEGE LOCVS XV.

I. THESIS.

Lex appellationem habet in lingua Hebræa (cui quaſi mutuis operis reſpondent Græca & Latina) quæ obligatus ipſo ſtatim Etymo accuratam obſeruationem ſuadeat.

EXPLICATIO.

AGimus adhuc de appellatione generis, q̃ Hebræis eſt Thora, quam vocem alii deducunt a Thor, quod eſt explorare, ſcrutari, quia in hac voluntas Dei ſit inquirenda. Alii referunt ad *Garba* id eſt, *iecit, docuit*, vt ſit conſtitutio, inſtitutio, doctrina, cuius maieſtatem Salomon Pro. 6. eleganti paranomaſia oſtēdit, vbi inquit: *Thora Obr.* id eſt, *lex eſt lux*. Siue igitur ſcrutationē poſcat, ſiue doctrinam promittat, Etymologia vtcumq; attentioni ſeruit. Sic lex Latinis a legendo dicitur, cuius ſignificatio gemina eſt. Varro li. 4. De lingua Latina hoc ipſo in vſu intelligit, quod legatur ab

omnibus literæ, quando diceretur lex, qua
non nisi literarum notis testatum faceret, atq;
expressum ante oculos poneret, quod vellet.
Itaq; scriptis tm̃ mandatis nomẽ competere,
essetque angustius, quam vt generi cõuenire.

Commodius vero & latius hic legitur, pa
deligere, quod lex sit norma & regula delectu
honestorum & reiectionis turpium, quando
cunque eorundem ratio reprehendatur. Et
mon hoc Ciceroni probatur in 1. De leg. vbi
inquit: *legem a legendo dici, quia delectus vim
in lege ponimus*. Græcum νόμος Cicero ibidem
ait a νέμειν quod est *distribuere* appellari, itaque
respici ad æquitatem. Sed Platoni in post. de le-
gibus placet deduci ἀπὸ τοῦ νοῦς *a mẽte, cũ* inquit
*Omnium scriptorum præstantissima sunt ea, quæ
de legibus composita ad hoc, vt is qui discit melior
fiat, si sane recte posita fuerint, alioqui frustra di-
uina & admirãda lex mentis & intelligentiæ co-
gnatum nomen haberet, vt νόμος velut νόος appel-
letur*. Hoc est, Plato Etymologiam vocabuli
exprimere hac sententia, quod lex non tam
erudiat & compleat animum honestis sente-
tiis, id quod de recte positis legibus verum est,
sed ipsa etiam diuina & admiranda lex, quam
naturæ dicimus, ex mente seu dictamine Dei
vel rationis profluat. Sic ergo conueniunt hæ
linguæ appellationibus in hunc quasi finem
conspirantibus, legem diligentissima obser-
uatione sui obligare eos, quibus lata sit, eosq;
eximia sapientia remunerari. Germani vocãt

Gesetz

Ecūr, quod videtur congruere positiuis legib. Sed cum nequaq̃ res vocibus, sed rebus voces applicentur & accommodẽtur, deq; lege Dei scriptum sit, *quod in omnib. apicibus fundamẽto innitatur firmiore cœlo & terra*, ideoq; vernaculum nomẽ ab immota ratione inditum putamus, cui cum insistunt, & ipsi firmãtur iuxta dictum Psal. 17. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.*

CONFIRMATIO.

Siue a seruando, siue a docendo legem Hebræis statuas, magna eius, vt dictum est, ex vtroq; maiestas oritur. Nam licet verbũ Thorita non vsurpetur, idẽ tñ æquipollentibus indicatur: vt quod Iosuæ 1. Sic legitur. *Non recedat liber legis ab ore tuo, sed mediteris in eo die ac nocte.* Forte autem hæc Etymologia periculosior est, cum explicatoris sit dirigere vias inquirendi, quomodo verbum thor accipitur, Eccl. 1. *Dedi cor meum ad disquirendũ & inuestigandum sapientiã.* Est a. auctoris legis exhibere sapientiam, quare meditantes quidem manet, sed non debetur studio ipsorum & industriæ, verũ singulari efficaciæ Dei, quæ tñ isti modo est promissa. Quamobrem ad snara ipsius potius inclina, cuius ἔτυμον respicit Ps. 119. qui de legis obseruantia & custodia & vtilitate multus est. *A iudicio*, inquit Psalmista, *non declinaui, quia tu docuisti me* Iob. 36. Vbi vetus versio habet. *Quis similis illi in legislatoribus:* Hebraica sic sonat: *Quis sicut ipse docet.*

II. THESIS.

Genus legum probatarum, quæ homines obligant, summum est lex Dei, quæ in decalogo comprehensa est.

EXPLICATIO.

GEnus summum hic dico, quod non more Dialectico seu cogitatione constituitur, quomodo sola legis ratio cõcepta superior sit lege Dei, & hæc illius species, sed genus appello quidẽ vnde species permanent. Summum a. quod primũ vere dari potest, hoc est, quæ omnium prima fuit, vnde ceu ex vnico fonte oẽs reliquæ deducãtur veluti riuuli, vsitate dicitur legis Dei, quæ intelligitur respectu humanarũ legum tres esse species, moralẽ, ceremonialẽ & iudicialẽ. Sed si exquisitius res perpenditur, illa, quæ moralis est, genus est, & reliquæ duæ sunt species accommodatæ diuisioni, q̃ primum quod appellamus naturæ proxime sequitur. Vt n. Decalogus distinctus est in 2. tabulas, quarum prior poscit, quæ Deo debemus soli, posterior, quæ propter Deũ hominibus: ita ceremoniales leges primæ, iudiciales secundæ tabulæ sunt aptatæ. Non a. hic moneo, vt aboleãtur, quæ vsu inualuere, sed vt seruatis vsitatis intellectus subiiciatur genuinus. Sit igitur prima lex, cuius auctor Deus est, qui vt in rerum creatione non admisit socium, ita solus condidit primã legẽ. Et sicuti creatura Dei recte appellatur quæ prima facta est, & tñ respectum

ctum alterius cuiusdā creaturæ non infert nū-
cupatio, ita lex Dei vocatur, quæ prima fuit, ex
qua nomē legis oriri potuit, sine vlla socia al-
terius respectus. Quod n. de lege membrorū
repugnante legi mentis conuersi Pauli, & ca-
ptiuāte eum sub lege peccati Ro. 6. 7. scribitur,
id κακόζηλον legis exprimit, quemadmodū Sa-
tanas est prauus æmulus Dei. Itaq; in Thesi ap-
pellauimus leges probatas quamuis etiam lex
Dei duabus rationalibus creaturis lata sit, an-
gelis nimirū: & hominibus, tñ hominum re-
spectu lex Dei summitatem retinet, & hoc lo-
co potissimum de ea agemus. Est n. legis vox
relatiua, vt qua legislatori obligetur ista crea-
tura, cui præscripta est. Vt ergo in Thesi, pro-
batarum mētione separauimus prauas leges,
ita hominū appellatione angelorum bonorū
obligationem seponimus, qui tñ eidem haud
aliter obstringantur quā homines, nisi quod
corpore carentibus dictum nō sit, quod quis-
que nostrum suo corpori debet, & ipsis electis
angelis lex sine Euangelii moderatione pro-
ponatur, lapsis vero seu Diabolis tantū ad cō-
demnationē, quādoquidē etiam expeditioris
intellectus gratia hæc proponantur. Vsus inde
patet, quod definitio nostri libelli generis lo-
co præmissa, est ipsius legis moralis definitio,
quæ tñ postea ceremonialibus & iudicialibus
quasi æquali gradu connumeratur, id quod in
libello etiam significatur, cū in partium legis
Mosaicæ enumeratione moralis mentione

additur, quod sit ea lex, quæ prius defini- fuerit. Ac ne quem offendat illa trimem- bris partitio, superiora & inferiora seu to- tum atque partes confundens, sciatur enume- rationem desumtam esse, ex promulgatione per Moysen facta, qui primum accepit Deca- logi tabulas *Exod.* 20. Postea Iudiciales leges *Exod.* 21, Et demum cum dies atq; noctes 40. rum fuisset in monte. *Exod.* 24. ceremoniales quæ cap. 25. & post recitantur, vt ita diuisio sit historica, & non ex rebus ipsis petita. Vbi hoc notetur, Iudiciales præponi ceremonia- libus cōtra ordinem tabularum, quia respu- ordinanda & disciplina munienda erat, in q Deo seruiretur, itaq; medium fine prius e In Decalogo autem cultus Dei prior sancitur quia propter hunc cōditum est genus hum- num, & posterior tabula est prioris soboles, eaq; ita dependet, vt sola nunquā salua sit pr orique necessario cedat, quoties opus est. Hi- storicæ diuisionis exemplum continetur. Ps 89. *Si deseruerint filii legem meam, & in iudic meis non ambulauerint.* &c. Hic Thora lege Dei tanquam genus significat, & Decalogu tanquam speciem videtur subiicere. Sed cu extra Decalogum non sit lex Dei, hac ratio ipso non erit genus superius. Quoniam au singularis fuit obligatio Israelitarum, quib lex peculiariter tradita fuit, inde nascitur qu dam speciei ratio. Quapropter in Thesi di mus, repetitam esse in Decalogo & quasi spe ciam

ciatim conſcriptam legem Dei, quam alias eſſe ſummi generis docemus. Nec alienum foret a vero, ſi quis diceret prima & vltima voce eidem appellari, vt quæ iudiciis & ſtatutis exigantur ad præcepta Dei congruant, & ſciatur non ſingulorum tantum, ſed totius efflagitari obſeruationem. Aut ſi hic generis ratio plenius expendatur, præſtabit & ipſa ratio totalis obedientiæ commonefactionem.

CONFIRMATIO.

Non tantū magiſtratui, cui iudicia commiſſa ſunt, lex Dei commendata eſt, *Ioſua* 1. *& alibi.* Sed etiam prioris tabulæ cultori dicitur. Eſaiæ 8. *Ad legem & ad teſtimonium, quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux* Rom. 1. *Gentes quæ natura legis ſunt faciunt. Eſt enim opus legis ſcriptum in cordibus ipſorum.* Huc pertinet viſitata reſponſio de Sabbati obſeruatione Decalogo inſerta, quia videlicet genus eius ſit legis Dei immotæ. Species autē hoc eſt: quod ceremoniale fuit, ſublata eſt, quando in ceremonia externa & mutabili: quæ ſpeciem conſtituit non completur mandata pietas, ſed animus pluribus obſtringitur, in quibus æternitas legis conſiſtit.

III. THESIS.

Lex Dei eſt doctrina a Deo tradita.

EXPLICATIO.

DOctrina hic accipit̄, nō tm̄ de eo, q̄ ſermone docemur, vel alia quadā inſtitutione

discimus, sed etiam quod cordibus inscribitur a Deo, inexplicabili modo intus formare notitias & erudire hominem, veluti in creatione Deus inscripsit legem mentibus primorum parentum, cuius quædam particula adhuc innascitur hominibus, vel cum homines fiunt θεοδίδακτοι, id est, docti a Deo, operante quidem per verbū & sacramenta, ipso tamen suo modo & singulari mentem aperiente, & quemadmodum Ier. 31. dicitur cordibus hominum legem inscribente. Hac igitur latitudine acceptum genus & legi naturæ & scripto Decalogo congruit, nec non medullam legis, qua spiritualis est, recipit, quæ vel maxime doctrina est, licet diuiniore quam vsitato in aliis disciplinis humano modo discatur & percipiatur.

CONFIRMATIO.

Gen. 1. Homo dicitur conditus ad imaginē Dei. Complectitur autē imago Dei cōformitatem cum lege Dei: appellatur enim iustitia & sanctitas vera *ad Eph* 4. *Ier.* 11 *&* 19. Nec non 1. *Petri* 1. dicitur: *Sancti estote sicut & ego sanctus sum.* Item Deuteron. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* Et Deuteron. quarto: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ex eo,* &c. Ac sicut Moyses præfatur legis traditioni Dominus locutus est. Sic dicendo creans hominem ad imaginem suam per λόγον ἐπιωδὸν commendat verbum, quod egreditur ex ore Dei, vt lex sit doctrina a Deo tradita siue creando insita, siue loquendo promulgata,

promulgata, vtq; ſermoni Dei ſcriptura eiuſdem æquaretur, & locutus Dominus legitur & ſcripſiſſe in tabulas legem. Cum igitur creationis traditio ſcripturæ conferatur. Rom. 2. *Gentes oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, & ad Rō. 1. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *quod de Deo cognoſci poſſit*, Dei manifeſtationi tribuitur: idem cum in regeneratione ſcribatur lex in corda hominum *Iere.* 31. ſimusq; conditi in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ preparauit Deus, vt in ipſis ambularemus, hinc inquam doctrinæ ratio in quauis legis notitia agnoſcitur.

IIII. THESIS.

Lex Dei eſt æterna & immota.

EXPLICATIO.

QVatenus lex eſt, quod dicitur relatiue, videlicet ad creaturas conſiderata, eatenus cœpit, nec eſt æterna, quatenus autem eius cum mente congruentiā ſpectas, æternitas ex æterna mente diuina intelligitur. Quod immota dicitur, id ex genere nō ex ſpecie ęſtimandum eſt. Genus enim conſtans eſt, etiāſi variis ſpeciebus iisq; mutabilibus eſt cōmunicabile. Theſeos huius fundamenta paulo poſt ſubiiciemus. Quod autem facta contraria obiiciuntur, ea potius, qualia ſint fateamur, nos ignorare, quam vt legem Dei mutabilem ſtatuamus. Abrahæ mandatur interfectio Iſaaci filii *Gen.* 22. Iſraelitis ſpoliatio Aegyptiorum *Exo.* 11. quæ videntur 5. & 7. præce-

ptis repugnare. De Simei inquit Dauid 2. Reg. 16. *Sinite illum vt maledicat, quia praeceptum Iehoua.* Quod autem peccatum commiserit in 4. præceptum, non est dubium, cum Exo. 22. dicatur: *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*, item quod 3. Reg. 2. *Dauid maledictionem pessimam & supplicio dignam iudicat?* Sic prohibitiones graduum sanguinitatis sunt legis moralis. Nam Leuit. 18. expresse dicitur: *Omnes abominationes istas fecerunt incolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam, ne faciatis igitur istas, ne vos terra euomat, quod contaminatis eam, quemadmodum euomuit gentem, quæ fuit amente vos*, & tamen hoc concessum est Deo necessitatem immittente & multiplicationem instituente, quando fratrem cum sorore copulari oportuit inter filios Abrahæ. Hæc omnia, quomodo fiant, haud adeo exquisite ab vllo explicabuntur, ne vel Deus auctor peccati, aut lex moralis Dei mutabilis arguatur.

Perstant tamen ambæ maximæ immotæ, in Deo non esse iniustitiam, & legem Dei in genere esse immutabilem, & facta recitantur, quæ videntur repugnare. Hic itaq; rationi potius nostræ cœcitatem, quam Deo mendacium tribuamus. Quod etiam obiicitur dictum Matth. 11. & Luc, 6. *Lex & prophetæ vsq; ad Ioannem*: id de abrogatione suo loco explicanda agemus, non tollit id, quod immotum est.

CONFIRMATIO.

Leuit. 11. *Sancti estote quia ego sanctus sum*, Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est*. 2. Cor. 3. *Nos autē omnes retecta facie gloriam Dei, vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriā tanquā a Domini spiritu.* Sic amissio imaginis Dei describitur carentia glorię Dei. Rō. 3. & 1. Pet. 5. *Deus omnis gloria vocabit nos ad aeternam suam gloriā in Christo Iesu.* Æterna igitur est lex Dei in Archetypo, quae non est ęterna in Antitypo. Ergo multo magis immota est lex Ps. 117. *Veritas Domini manet in aeternum.* Etsi vero haec testimonia intelliguntur de Christo sicut Ioh. 12. dicitur: *Christus in aeternum manet.* Et 1. Pet. 1. ad allegatum Esaię dicitur: *Hoc autem est verbum istud, quod Euangelizatum est vobis*: tamē de lege quoq; verissime accipitur. Finis n. legis Christus est. *Ro.* 10. In quo conditi sumus ad bona opera ad Eph. 2. & Matth. 5. dicitur, *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea nō transibunt, neq; Iota quidē peribit de lege Dei.* Leuit. 21. *Cumq; cessauerit fides & spes in altera vita, caritas manebit.* 1. Cor. 13. *Quae est legis impletio.* Rom. 13.

V. THESIS.

Lex docet, quales nos esse, & quae facere nos oporteat.

EXPLICATIO.

IVstitia hominis alia est originalis, alia est actualis, vtramque requirit lex, cum imago

Dei, quæ fuit iustitia originalis, fuerit conformitas cum lege, & bona arbor bonos fructus ferat. Phrasis ergo, quales nos esse oporteat, iustitiam originalem spectat. Altera iustitiam actualem.

CONFIRMATIO.

Ephes. 4. *Iubemur renouari spiritu mentis nostra, & induere nouũ illum hominẽ qui secundum Deum conditus est in iustitia & sanctitate vera.* Collos. 3. *Nouus homo renouatur ad agnitionem eius, qui condidit ipsum.* Leuit. 18. *Custodite leges meas atq; iudicia mea, quæ faciens homo viuet in eis.* Idem repetitur. Luc. 10. Rom. 10. & Gal. 3. Sic Deus Deu. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.*

VI. THESIS.

Lex docet, quæ omittere debeamus.

EXPLICATIO.

COincidit hæc phrasis cum eo, quod dicitur, *lex arguit peccatum*, nisi quod dehortetur peccatum, antequam fiat, arguat vero factum, cumq; nondum esset peccatũ, lex docuit omissionem eius, sicut post lapsum arguit istud. Non enim consonat scripturæ, quod Beza in 1. parte quæstionum tradidit: *Primos parentes non habuisse cognitionem mali.* Quid enim est cum Deus inquit: *quocunq; die comederis de arbore, morte morieris.* An non peccatum prohibet? Ergo vel huius respectu sal-

saltem errat Beza. Consideretur autem quid fiat, si ignorantia vel potius arrogantia illa statuatur, aut primi parentes non habuere legis notitiam perfectam, aut tollenda est ista pars officii ex prima legis natura & definitione. Quomodo autẽ tum fuisset peccatum ꝓhibitum, & si non fuisset prohibitum, quomodo peccatum potuisset accusari a lege? Nec si vnum esset, iudicium de peccati forma, quod sit ἀνομία, nisi constans esset, & vna cum lege nota prohibitio peccati. Sed quid multis opus est, cum Decalogus præstet formam legis diuinæ, in qua sunt frequentes prohibitiones. CONFIRMATIO.

Decalogus, vt iam dictum est, sufficienter probat Thesin.

VII. THESIS.

Lex requirit perfectam obedientiam in hac vita ab hominibus.

EXPLICATIO.

PErfecta obedientia ex relatione ad legem æstimanda est, itaq; ex integra legis impletione, non vero tantũ ex hominum summo nisu & conatu, id quod contra Iesuitas notandum est, qui perfectionem istam inde definiunt, si quantum in nobis præstiterimus, eoq; abunde a nobis legi satisfieri putant. Errant in eo quoq; nequiter, quod dum maiorẽ perfectionem a lege posci agnoscunt, fingunt etiã, eam in hac vita nõ postulari a nobis, quapropter in Thesi addita est clausula in hac vita.

CONFIRMATIO.

Deut.27.& Gal.3. *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Et quidem ad Gal.3. hoc etiam dicitur *Quotquot ex operibus legis sunt &c.* Quod non fieret, nisi esset obligatio. Et Christus Mat.5. diserte dicit: *quicquis soluerit ex mãdatis his minimis*, Itẽ *dico vobis, nisi iustitia vestra abundauerit plusquam Pharisæorum &c.* ergo adeo non seruatur eius impletio in alteram vitam, vt nisi hic satisfiat, tum nobis non sit exspectanda illa vita, sed exclusio ex regno vitæ. Quibus porro decalogus in tabulas relatus est, nisi hominibus huius vitæ? Cuius decalogi summa est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.* Deu.6. Leu.19. Matth.22. Luc.10. Marci.12. Ioh.7. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis præstat eam.* Rom.1.2.& 3. *Gentes & Iudæi ideo peccatores arguuntur, quod legem non seruauerint.* Et additur, *quæ lex dicit his dicit, qui sub lege sunt, vt omne os obturetur, & totus mundus fiat obnoxius Deo.* Hoc dici nõ posset, si perfectio ex possibilitate hominis describẽda esset, quæ vt imperfectio agnosceretur, legem dicitur infirmare. *Rom.8.* Et Paul. 1.Cor.4. inquit: *Nullius rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum.* Iacob.2. *Quisquis totã legẽ seruauerit, peccauerit autẽ in vno, reus est omnium.* Desumtũ hoc est, ex 18. Eze. *Si auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit*

iniquitatem, morietur in ea iniustitia, quam operatus est, morietur, nec recordabitur iustitiæ eius prioris.

VIII. THESIS.

Lex promittit perfecte obtemperantibus, non solum huius vitæ benedictionem, sed ipsam etiam vitam æternam.

EXPLICATIO.

Contrarium thesi videtur, quod dicitur ad Gal. 3. *Si data fuisset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia.* Sed conclusit scriptura omnes sub peccatum, vt promissio ex fide daretur credentibus. In his vero cum Apostolus se explicet, quod loquatur de homine corrupto, quem mortuum lex viuificare nequeat, non potest negari vitæ per legem collatio, si quis non est mortuus, sed operibus perfectus viuat. Sic ibidem dicitur, *Nullum apud Deum per legem iustificari manifestũ est.* Et tamen ad Rom. 2. docetur: *Factores legis iustificabuntur.* Hic iustificatio in posteriore significat iudicium agnoscens, & approbans iustitiam legis in aliquo. Illic vero iustificare est impium iustum reputare gratis propter Christum in quem credat. Implicatur & hæc quæstio, num homo legi satisfaciens promeritus fuisset vitam æternam, quam Deum oportuisset tanquam debitum conferre? Hic dicendum est quod non. Cum enim non sit gloriandũ de acceptis, vt 1. Cor. 4. dicitur, *Certũ vero quod iustitiam originalem*

dono habuerit homo integer, consequitur, ipsum de eo tanquam merito suo non potuisse gloriari, præsertim cum Christus Luc. 17. dicat: *Num Dominus gratiam habet seruo illi, quia fecit, quod ipsi præceperat? Non puto. Ita & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Nam quæ debuimus facere fecimus.* Meritum igitur hic non agnoscimus, & tamen debitum fatemur, quia videlicet Dominus promittendo se fecit debitorem integre legem seruantibus, & quidem pollicendo vitam æternam, quam homo citra istam obligationem Dei erga se nō potuisset promereri suis operibus. Quamobrem est frequens sacris literis, cum meriti nulla fiat mentio relatione nimirum ad mercedem bonorum operum. Hoc quidem legimus, quod merces sit operum, quemadmodum, Ezech. 29. dicitur, *ecce ego dabo Nabuchodonosori regi terram Ægypti. &c.* Sic sæpe dicitur, reddet vnicuiq; secundum opera sua. Sed constat hæc phrasis de debito explicata pendenti ex promissione Dei. Si inquam constat absq; ratione meriti sic obseruatur, quod dū Matth. 5. dicitur. *Si dilexeritis eos, qui diligunt eos, quam mercedem habetis?* Luc. 16. *pro* μισθὸς *ponitur* χάρις *& promissiones Dei sunt etiam atq; amen in Christo Iesu.* 2. Cor. 1.

CONFIRMATIO.

Deut. 4. *Custodi præcepta Domini atq; man-*

data, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filiis tuis post te. & permaneas multo tẽpore super terram, quam daturus est Dominus tibi. Ingens quoque catalogus benedictionum temporalium recitatur, Deut. 28. & Leuit. 18. *Custodietis leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis.* Ezech. 20. *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, viuet in eis.* Matth. 19. Quidam ex primariis rogans Christum, quid facere debeat, vt habeat vitã æternam, audit: *Si vis in vitam ingredi, serua mandata.* Postea ex Decalogo enumerantur mandata. Rom. 10. *Moyses describit iustitiam, quæ est ex lege, quod qui præstiterit eam, viuat per illam.* Galat. 3. *Lex non est ex fide, sed qui fecerit homo, viuet per eam.*

IX. THESIS.

Lex non promittit remissionem peccatorum, sed peccata arguit, & propter ipsa damnat omnes homines, nisi per Christum impetrent remissionem.

EXPLICATIO.

LIbellus noster Catecheticus affirmat hoc, quod negamus, quæ affirmatiua, quomodo sensu saluari queat, non apparet. Auctor in doctrina de promissionibus legis videtur inniti dicto, Exod. 20. *Sum misericors his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Illud vero testimonium quidam Euangelice accipiunt. Sed licet legis vox sit, non tamen sequi-

tur promissio inde remissionis peccatorum. Nam qui pollicetur misericordiam obedientibus, certe non agit de remissione peccatorum. Est certe legalis quædam misericordia, quæ ex præcedentis thesis explicatione agnoscitur, Psal. 145. *Bonus Iehoua vniuersis, & misericordia eius super omnia opera eius.* Psal. 33. *Misericordiæ tuæ plena est terra.* Matth. 5. *Iubet solem suū exoriri super bonos & malos.* Hanc misericordiam pro remissione peccatorum accipere, est eandem remissionem communicare, quibusuis etiam extra omnem Euangelii rationem fideque nulla præditis. Si quis vero vellet ex sacrificiis & victimis Leuiticis, quæ legibus ceremonialibus præcipiebantur, affirmatiuam colligere, ei quidem concedendum esset, quod doctrinæ de sacrificiis Mosaicis implicata fuerit promissio remissionis peccatorum ratione fidei, quæ directe intuebatur Messiam. Sed quod hæc legis fuerit propria, id non potest saluo proprio Euangelii ostendi, sed Euangelii doctrina sub vmbris tum fuit proposita, quæ postea abolitis ceremoniis, quasi velamine sublato Christum redemtorem, qui tanquam corpus vmbram illam proiecit, hoc suo proprio officio declarat clarius, si fieri posset, pateret sane hac etiam sententia mitigari locutionem. Quod in definitione dicitur: *Legem damnare & destruere omnes sibi non conformes, nisi fiat remissio & reconciliatio propter filium mediatorem.*

hin-

hinc sic posset colligi: *Lex facta remissione peccatorum per fidem in Christum, abstinet à condemnatione.* Ergo, *vel approbando remittit peccata, siquidem emolliretur sententia.* Sed quod verba eam admittant, non dixerim. Diserte enim docetur, *in discrimine:* Lex promittit remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam, sed simul flagitat perfectam obedientiam. Aliud autem est approbare promissum Euangelii propter præstitam legis satisfactionem a Christo, eamque ex gratia aliena communicatam & fide propriam factam. Aliud est illud ipsum polliceri, cumque legis promissiones respiciant obedientiam illius, cui deferunt, impossibile est, causam remissionis peccatorum esse perfectam obedientiam iuxta legis promissionem. Quomodo enim erit eius perfecta obediētia, cuius sunt peccata, quæ remittuntur? Idcirco contradictio manet inter causam & effectum: quicquid etiã de approbatione illa disputatur, manet perpetuo mera gratia & misericordia Dei, qua homo iustificetur & saluetur. Et quicquid iustitiæ interuenit, vt sit causa saluationis hominũ, id solummodo Christi ꝓpriũ est, nec cõmunicatur homini, nisi ꝑ imputationẽ credenti. Et licet homo renat⁹, iustificatus sit, ista tamẽ inhærens iustitia, nihil causæ sustinet iustificationis. Sed ne multum laboremus, Deo Domino legis tribuam⁹ simul auctoritatẽ, qua constet sententia Euangelii a lege etiã diuersa.

Quia igitur difficilis eſt, vel nulla affirmatiuæ ſaluatio, & conciliationes ſemper periculoſæ ſunt, negatiuam retineamus.

CONFIRMATIO.

Lex noſtra duo promittit, vel benedictionem, vel maledictionem, vel vitam, vel mortem, vel bonum, vel malum. Priora quidem integre obedientibus: poſteriora non permanentibus in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, Deut. 26. *En propono in conſpectu veſtro hodie, &c. Benedictionem ſi obedieritis mandatis Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis, maledictionem ſi non obedieritis mandatis Domini Dei veſtri.* Deut. 20. *Conſidera, quæ hodie propoſuerim in conſpectu tuo, vitam & bonum, econtra mortem & malum.* Item: *Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & bonum, &c.* Hic audimus dari duo, quæ homo præſtare debeat vel omittere, obedientiam videlicet vel inobedientiam. Duo item quæ Deus præſtet, bonum & malum, & quidem diſerte bonum obedientibus, malũ vero inobedientibus decernitur. Hinc igitur ſtatui neceſſe eſt: Primo, non eſſe tria, ſed duo tantum, quæ lex promittit. Secundo, non eſſe illa cum cauſis permutanda, hoc eſt, benedictionem non eſſe commutandam cum peccatis. Eſſet autem remiſſio peccatorum tertium quiddam, cum neque conueniat benedictioni, quæ tantum obedientibus eſt parata,

nec

nec maledictioni, cum sit a maledictione absolutio. Nec obstat prædictis, quod Deus benedicat etiã peccatoribus. Est enim quædam benedictio temporalis & peculiaris, quæ non quiddam tertiũ constituit, sed inest plenæ benedictioni, vt toti, vt quod nuper dictũ est de mercede Nabuchodonoseri decreta propter laborem, quem in Ægypto sustinuerit, *Ezech.* 29. Quo certe legem non impleuit, etsi conferatur ei, non quatenus voluntati Dei aduersatus sit, sed quatenus voluntatem aliquam Dei fecerit. Etsi vero hic omnia quoque explicari nequeant, & longanimitas atque tolerantia Dei malos etiam lenitate & benignitate tractet, quemadmodum *ad Romanos* 2. docetur: Quia tamen scriptura nullibi definit eam benignitatem, quod sit remissio peccatorum, & quia adhuc inuitatur ad resipiscentiam, non potest iam accepisse condonationẽ iniquitatum. Quapropter vel ideo, quod id scripturæ testimoniis non stabiliatur, ab affirmatiua discedimus, & rursus pro negatiua cõstituenda scripturam sequimur. Ezech. 33. *Iustitia iusti non liberabit eũ, in quacunq; die peccauerit.* Item: *Si dixero iusto, quod vita viuet, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur.* Hinc apparet, iustitiam & iniustitiam non posse iungi, vt illius ratione hæc remittatur, sed potius iniustitiam tradere iustitiam obliuioni. Quod autem ibidem de conuersione dicitur, nõ nisi

Euangelice recte intelligitur, nec de confessione legali, quæ integra obedientia hominis perficiatur, quicquam exstat in sacra scriptura. Secundum Euangelium autem exclusis operibus constat iustificatio. Istud, vt Paulus asserat, sic scribit ad Rom. 3. *Scimus autem, quæcunque lex dicit, iis, qui sub lege sunt, dicere, vt omne os obturetur.* Hinc manifestum est, quod vnum tantum sit legis officium, vbi peccatum inueniatur, nimirum condemnare. Non enim posset constare vniuersalis, quam negat Apostolus, si præter condemnationem esset via remissionis, secundum vnam & eandē legem. Sic Rom. 4. Paulus negat promissionē quæ est remissionis peccatorum, esse ex lege, quia lex iram operetur. Non enim per legem, inquit, promissio facta est Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Et cum Abraham ibidem dicatur pater credentium, hoc est, cui omnes saluandi confirmandi sunt in articulo iustificationis; non est ferenda doctrina aliam viam iustificationis quæ quidem remissionis peccatorũ fiat, constituens. Quapropter Petrus ait Act. 4. *Non est in alio quoque salus, nec est aliud nomen sub cœlo datum hominibus per quod oporteat nos saluari propter nomen Iesu Christi.* Cogitetur & hoc, atq; expendatur: quod si homo integra sua obedientia potuisset eluere præcedentia peccata ad remissionē peccatorum, non opus fuisset alio satisfactore, nec quidē filio Dei, sed solum-

ſolummodo viribus ad integrã obedientiam necessariis. Cum hac vero sententia quomodo congruet, quod dicitur Luc. 17. *Si omnia feceritis, dicite. serui inutiles sumus, tantum enim, quæ debuimus, fecimus.* Qui igitur poterit iustitia hominis seipsam excedere & superare, vt non solum se probatum Deo sistat, sed etiam iniustitiam aboleat potius, cum Christum nõ solum oportuerit esse hominem immaculatum, & perfecte morigerum, sed etiam verum Deum. Ita credamus, omnes vires mere humanas non potuisse sufficere tanto operi.

X. THESIS.

Lex moralis per Christum sublata est, quoad condemnationem credentis.

EXPLICATIO.

ALiud est abrogare legem, ne sit, quæ fuerit, dum obligauit ad obediẽtiam, vt sunt forensium & ceremonialium solutiones, aliud vero est tolli legis alicuius vsum quendam, postquam causa sublata est. Sic lex moralis nõ est refixa, quatenus lex est, & obligat homines, sed quatenus cessante peccato cessat eius condemnatio. Nam de lege ipsa Christus inquit: *Non veni soluere legem, sed implere.* Matthæi 5. Sed cum remissum & tectum fuerit peccatũ, *Psal.* 32. Imo sublatum teste Ioh. Baptista, Ioh. 1. Lex iniusta esset, si abolita causa condemnationis, non tamen desisteret, ferre sententiam eius. Sic igitur lex moralis tollitur,

& tamen manet forma sua immota & immu-
tabilis, quemadmodum sol nō mutatur, dum
ceram, quam ad se expositam, liquefaceret, in-
teruentu tegminis & refrigerantis vmbræ nō
emollit. Quamobrem ista etiam abolitio non
simpliciter, sed respectu credentis, hoc est sub
vmbram alarum Christi tegentium & refrige-
rantium concedentis intelligitur. Hic tamen
explicandum est, quod abrogatio legis vide-
tur cassam reddere ipsam legis moralis do-
ctrinam, quia ad Ephes. 2. dicitur: Christus
*τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργῆσαι, legem man-
datorum in decretis sitam aboleuisse.* Responde-
tur autem, cohærentiam præbere citatorum
sententiam, *Christus*, inquit Paulus, *pax nostra
fecit ex vtroq; vnum, interstitii septo sublato; le-
gem mandatorum, quæ in decretis sita erat, abo-
lens, vt duos conderet in semetipso, in vnum noui
hominem faciens, &c.* Hic si quis de veteri &
nouo homine in vno indiuiduo conciliando
statum figit, is incurrit in hoc absurdum, quod
homo ante istam pacificationem sic fuerit di-
stinguendus. Christus enim dicitur interstitii
septo remoto vniuisse duos. Restat igitur, vt
de Iudæorum & Græcorum seu gentium co-
ordinatione sententia accipiatur, vt sublatis
legibus πολιτείαν & Ecclesiam Israeliticam sin-
gulariter constituentibus, & Iudæi & gentes
vnus sint in Christo Iesu, quemadmodum ad
Gal. 3. dicitur: *Non est Iudæus, nec Græcus, non
est seruus, nec liber, non est masculus, nec fœmi-
na:*

na: omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu. Nec obstat, quod dicitur ἐν δόγμασι. Nam ita quoque ceremonialia decreta appellantur, vt cum Act. 15. in synodo Apostolica constitutũ esset, ne quid oneris imponeret amplius fratribus, qui essent ex gẽtibus, nisi vt abstinerẽt ab Idolothytis, quæ idolis immolata fuerant, & a sanguine atque suffocato. Hæc Act. 16. appellantur dogmata. Si quis tamen legem moralem hic simul complecti volet, quemadmodum scortationis prohibitio, *Actor.* 17. simul intelligitur, ei vel maledictionis sublatio intelligẽda erit, vel tegminis, vel velaminis Mosaici remotio. Qua de re in discrimine veteris & noui Testamenti literæ & spiritus agetur. Sic quod ad Colloss. 2. Christus dicitur, nobis condonare omnia debita, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo: Eadem est responsio nimirum, quod & hic de lege ceremoniali loquatur. Sequitur enim in textu, ne quis vos iudicet in cibo ac potu, aut in parte diei festi. Potest tamen hic etiam intelligi lex moralis, quatenus illa chirographum tenuit τὸ καθ' ἡμῶν, quod aduersus nos erat, quod nobis erat contrarium. Illud igitur Christus sustulit e medio cruci affixum, & remissioni peccatorum nostrorũ inductum, vt cessaret maledictio.

CONFIRMATIO.

Sublatio legis quoad condemnationem, hoc testimonio Pauli continetur, Gal. 3. *Chri-*

stus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Et hoc quidem colligit Paulus tum per Antithesin ex hac promissione: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Gene. 12. Tum ex iustificationis forma opposita sententiæ legis: *Maledictus, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Et hoc appellat Esaias castigationẽ carnis nostræ, cap. 53. Sic 1. Tim. 1. dicitur: *Iusto non est lex posita*. Rom. 3. *Non estis sub lege, nulla nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu.* Rom. 8. *Si filius vos liberauerit, vere eritis liberi.*

XI. Thesis.

Lex in renatis est norma bonorum operum, & necessaria obedientia secundum legem, etsi citra coactionem.

Explicatio.

Contrarium Thesis nostræ inde quidam (Antonius Ottho) exstruxit, quod videatur, libertati aduersari. Sic liberati a lege adhuc obligentur legi, & necessitas putetur implicare coactionem. Sed libertas a maledictione & coactione non est exemtio a debito obediendi, & potest esse necessitas mandati & debiti sine coactione, sicuti ingenui & liberales homines libere obtemperant ciuilibus legibus, atque seruili coactione iuxta versum: *Oderunt peccare, &c.* Sciendum etiam, quod lex exigat quidem debitum: Spiritus sanctus autem, qui non per legem, sed per Euangelii acci-

accipitur, ad Galat. 3. renouat cor, & ex lege docet renouatos, quæ sit voluntas Dei bona & accepta. *Rom.* 12. Et contra carnis socordiam excitat alacritatem, ducitque renatos, vt sic spiritus per Euangelium donatus opera legis in conuersis vtatur.

CONFIRMATIO.

De libertate & spontaneo obediendi spiritu hæc sunt testimonia: Psal. 51. *Dauid precatur, se spiritu spontaneo confirmari.* Psalm. 110. *Populus tuus spontaneus in die exercitus tui, id est, missis doctoribus Euangelii tanquam exercitu colliges populum regni tui sponte obtemperantem. Quotquot enim*, vt Rom. 8. dicitur, *spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: non accepistis spiritum seruitutis rursus ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater.* Etsi igitur non amplius sub pædagogo sumus, nam omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu, *Rom.* 3. Et vbi spiritus ille Domini, ibi libertas, 2. *Cor.* 3. Tamẽ lex non admittit vim talem obligandi obedientiam, sed est etiam lex libertatis, *vt est Iacobi* 1. Estq; beati meditari in lege Domini die ac nocte, *Psal.* 1. *Lucerna pedibus nostris verbum Domini, & lumen semitis nostris*, Psal. 119. Vt sic debitores simus, ne secundũ carnem viuamus, *Rom.* 8. Et necesse sit obedire, non tantũ propter iram, sed ꝓpter conscientiam, *Rom.* 13. Siquidẽ conditi sumus in Christo Iesu ad

bona opera, quæ præparauit Deus, vt in iis ambularemus, *Ephes.* 2. Et quia frustra Deum colunt, docentes doctrinas & mandata hominum, ideo lex retinenda est tanquam norma, vnde dicitur lex operum, *Rom.* 3.

XII. THESIS.

Nemo siue renatus, siue non renatus satisfacit legi Dei in hac vita.

EXPLICATIO.

DEpendet hæc Thesis ex septima, sub qua ostendimus, quomodo pontificii perfectionem obedientiæ torqueant, & substantiam legis, quibus isto modo palam contradicitur, ex hac vita in aliam reiiciant, quamobrem illa huc sunt resumēda, vt impossibilitas satisfaciendi legi secundum debitum, quo legi in hac vita obligamur, intelligatur. Obiicitur autem, quod ad Rom. 13. dicitur: *Qui diligit alterum, legem impleuit.* Item: *Perfectio legis est caritas.* Sed respondetur, dilectionem quidē proximi per se non esse totius legis impletionem, quia tamen hæc nunquam absoluta est, (*diliges proximum propter Deum*) nisi amore Dei regatur, qui integre sincerus sit, ideo dilectio ad Deum simul extendenda est, & quidē ab hoc originē trahere dicitur. Itaq; dilectio, vt quæ in omnibus aliis virtutibus seu partibus officii secundum legis sentētiam dominetur, recte dicitur legis impletio. Cum autem alia sit quæstio de eo, quo lex impleatur, alia de hominis

minis possibilitate & facultate implendi, ea nihil derogat Apostolus nostræ thesi. Agit enim ille de debito: *Nemini*, inquit, *quicquam debeatis, nisi vt alii alios diligatis. Nam qui diligit alterum, legem impleuit*, & Thesis nostra quærit, num homo, quod in lege exigitur, plene præstare queat, cui scriptura sacra denegationē suppeditat. Porro obiicitur: *Qui præcipit impossibilia, tyrannus est: Sed Deus præcipit homini legē impossibilem.* Ergo, *Tyrannus est:* vel si talis nō est, vt certe a piis Deum venerantibus talis non potest haberi, neganda est minor. Resp. Maior loquitur de impossibilitate simplici, qua exsistente impossibilium præceptio fiat sine vllo moderamine exactionis. Hac vero ratione lex Dei perperam subsumitur. Illa enim lata est homini in integritate, donata iam eidem facultate a Deo implendi eam. Postquam autē homo per peccatum se hac potestate exuit, iustitiæ Dei est, nō mutare suam sententiam, ideo ea retenta & repetita est, vt argueretur & damnaretur hominis culpa, & ab hac Deus eximeretur. Accedit etiam benignitas Dei, quæ modum implendi in Christo inuenit, & credentibus satisfactionē illius imputat, eosque ad incoandum nouam obedientiam regenerat & renouat (neq; enim renati perfecte obediunt legi Dei, suis nouis in hac vita concessis viribus) quæ omnia nō sunt iniqui & duri tyranni, sed tum iustissimi, tum clementissimi Dei argumenta Notandū est &

hoc Hieronymi esse sententiam: *Anathema sit, si quis dixerit, Deum praecepisse impossibilia.* Hinc Pelagiani, vt ex lib. 2. Dialog. Hieronymi patet, collegerunt possibilitatem seruandi legem, quia Deus eam hominibus praeceperit, ad quod Hieron. ita respondet: *Sunt impossibilia natura, sed possibilia gratia.* Et gratiam intellexit de auxilio & renouatione Sp. sancti. Estq; similis sententia Augustini: *Gratia sanat voluntatem, & voluntas sanata implet legem.* Verum his sentētiis id quidem declinatur, ne homo ante conuersionem suis viribus, legi putetur satisfacere, negatum tamen illis renatis tribuitur, de quibus adhuc scriptura imperfectionem testatur. Hic vero pontificii triumphū agunt, cum & ipsi fateantur, vires hominis sine ope Spir. sancti non sufficere obedientiæ, succurrente autem gratia iustas vires suppetere. Verū Dn. Chemnitius in libello de doctrina Iesuitarū hanc obseruationem opposuit, quæ digna est memoria: *Cœlestis*, inquit, *Pelagii discipulus illud Hieronymi & Augustini axioma arripuit, & cœpit docere hominē in hac vita, licet non possit naturalibus liberi arbitrii viribus posse, tamen instructum gratia, id est, dono renouationis legem perfecta obedientia suis operibus implere, vt sine peccato esse possit in hac vita, quia qui legem perfecte impleuit, in nullo reus est in lege. & quando nihil lex potest accusare in homine, tunc est sine peccato. Ibi Augustinus coactus fuit scripturæ testimonia de hac quæstione*

pen-

penitius cōsiderare, & hac occasione scripsit librū de perfectione iustitiæ, cuius argumentū hoc est: Renatos, qui aguntur Sp. sancto, tamē in hac vita non posse peruenire ad illā perfectionē, quā lex requirit, sed illā demū futurā in altera vita. Et idē affirmat de spiritu & litera, Eph. 6. Item exempla 41. ad Hieron. in suo libello de perfectione iustitiæ contra cœlestiū gratiam interpretatur, non tantū de auxilio Sp. sancti, sed inquit, gratia Dei, etiāsi aliquid in præceptis Dei minus seruatur, ignoscit. Et alibi. Tunc tota lex impletur, quādo, quicquid non fit ignoscitur. & hoc modo præcepta Dei nō sunt grauia. Hæc Chemnit. Huc pertinet dictū Apostoli ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et August. *Legem implere est non concupiscere. quis ergo hoc, qui viuit, potest?* Adiuuat nos Psal. 144. qui modo cantatus est: *Exaudi me Domine in tua iustitia*, id est, *non in mea.* Hic ergo adhuc opus est circumspectione, ne quis ex positis exstruat, quasi homo sola fide iustificatus in initio, postea iustus sit incoatione & imputatione. Veritas autē hac distinctione declaratur, recte dicitur, hominē renatū esse iustū incoatione, quatenus ille homo iustus est ex particulari illa obedientia, sed hac nō iustificatur coram Deo, cum scriptum sit, Psalm. 143. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo viuens.* Nec iustitia particularis per se integra est iustitia, cū lex maledicat omnib. qui nō permālerint in omnib. quæ scripta sunt

in libro legis. Et qui peccet in vno, reus fit omnium, *iacob.* 2. neque, si vere iudicare volumus, vera est illa iustitia p se, sed q iustitia est, illud ex fide habet, quia iustificata fuit & persona & opus ipsius, sicut de Abel scribitur: *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius.* Vt igitur defectū supplet remissionem peccatorum per fidem, ita ne manca fidelium opera reiiciantur, idem quoque ex fide est: item ex gratia gratis. Quamobrem sola fide homo iustificatur & saluatur nunquam ex operibus suis, quæ eadem fide bona sunt, nec potest effectus causæ suæ esse causa.

CONFIRMATIO.

3. Reg. 8. *Non est homo, qui non peccet.* Iob 14. *Quis dabit mundum de immundo, ne vnus quidem.* Psal. 14. *Non est, qui faciat bonum, ne vnus quidem.* Prouerb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato.* Ecclesʃ. 7. *Profecto non est quispiam iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Actor. 15. in synodo Apostolico Petrus legem vocat iugum, quod neque ipsi in synodo congregati, neque preces ipsorum portare potuerint. Apostolus Paulus 12. & 3. cap. Rom. euincit neque gentes neque Iudęos (*hic enim totum genus humanum complectitur*) satisfecisse legi, sed potius eam horribiliter violasse. Rom. 7. *Inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam,* hoc est, *esse ad mortem.* Gal. 2. *Ego iam per legem*

legem legi mortuus sum, vt viuam iam non ego, sed viuit in me Christus. Nullum ex lege iustificari manifestum est. Galat. 3. *Si quidem iustus ex fide viuit.* Rom. 8. *Quod impossibile erat legi, quia infirmabatur per carnem, hoc praestitit Deus misso filio.* Rom. 10. *Finis seu perfectio legis Christus est ad iustitiam omni credenti.* 1. Ioha. 1. *Si dixerimus peccatum nos non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis.* Psalm. 32. *Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus*, quemadmodum Matth 6. Orationi Dominicae inserta est haec petitio: *dimitte nobis debita nostra.* Obseruetur etiam hic Augustini dictum ex Epistola 29. ad Hieronymum, quod & scripturae sententiis refertum est, & obseruationem Domini Chemnitii superiorem multum illustrat, contraque obiectionem munit. *Charitas*, inquit, est *virtus, qua id, quod diligendum est diligitur?* Haec in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima enim quae iam non potest augeri, quamdiu hic homo viuit, est in nemine, quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est, ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet, ex quo vitio non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis, propter quod etiam quantum libet profecerimus,

necessarium est dicere: *Dimitte nobis debi- nostra*, cum iam omnia in baptismo dicta, fa- cta, cogitata, remissa sunt. Huc pertinet dictũ Bernhardi super cantica sermon. 50. *Mandando impossibilia Deus non præuaricatores ho- mines fecit, sed humiles, vt omne os obstruatur & subditus fiat omnis mundus Deo. Accipientes quippe mãdatum, & sentientes defectum clama- bimus in cœlum & miserebitur nostri Deus, & sciemus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam saluos nos fecit* ad Tit. 3. Simile est hoc Augu- stini Epistola 200. *Vtilitas legis est vt homi- nem de sua infirmitate conuincat & misericor- diam, quæ in Christo est, implorare compellat.* Et Psalm. 118. *commentans ita precatur: Iube Domine, ita fac misericors Domine, impera quod non possit impleri, imo quod non nisi per gratiam tuam possit impleri, vt cum homines id implere per suas vires nequiuerint, omne os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur, sint omnes paruuli & fiat omnis mundus reus Deo.*

LOCVS XVI. DE LEGIBVS DEI in populo Iudaico temporalibus.

I. THESIS.

Deus Israelitico populo singulariter delectam temporalem Politiam ciuilem & Ecclesiasticam promisit & constituit.

EXPLICATIO.

COgitantibus de politia Iudaica, ne in vulgaribus, & cõmunibus tantũ cõsistant, sed quod hic singulare est, assequantur, opus est expendere consilium Dei patefactum. Nam politiarum constitutiones communes sunt omnibus gentibus, & licet aliæ aliis præstent, nobiles tamẽ & præeminentes aliquot contigere iis populis q verũ Deũ nõ agnouerũt, si quis igitur cõsideratione detineretur, in nuda politiæ Iudaicæ æstimatione adeo singularitatem non admiraretur vt etiam multas gentes populo Dei præferret. Peculiare autem quod est precipue in his cõsistit: I. Quod Deus Israelitis nominatim a reliquis gentibus mundi segregatis omnibusq; aliis prælatis promisit, & miraculose præstitit certæ terræ promissionẽ. II. Quod Deus eosdem asciuit in hæreditatem peculiarem, Ecclesiæ suæ sedem in ipsorum politia figens. III. Quod ex illa saluatorem totius generis humani prodire & exspectari voluit. IIII. Quod Deus præsentia sua spirituali & præ omnibus reliquis populis hic plurimum speciosa collegit, gubernauit & conseruauit hanc politiam vsque præstitutum finem V. Quod huius politiæ finis constitutus fuit exundatio spiritualis benedictionis in politias gentium & vniuersæ orbis terræ habitatores sine populorum discrimine. VI. Quod rex Christus ex Israele secundum carnem tandem

omnibus regnis, & toti huic mundo fine
sit allaturus, & politeuma nostrum in cœ
cõstituturus. Generalis prædictio simul typ
illius politiæ sanctæ fuit familia Sem, a q
Gamitas tanquam seruos segregandos, I
phitas tanquam domesticos recipiendos pa
dixit Noha *Gen.* 9. Eius vero tempore N
roth prius graue imperium quoddam in h
mines obtinuit, Semo doctrinam interim
Deo tradente, & in priuatis parietibus Ecc
siam seruante, vt regni quidem mundan
tio a forma Ecclesię discreta agnosceretur,
patrio tamen regimine Ecclesiam collige
futura illa politiæ & Ecclesiæ in populo I
raelitico coniunctio suauissima imag
aspiceretur, simulque eiusdem disceptat
ne diuersorum populorum per bland
sermonem Euangelii ad Semi tabernacul
hoc est, ad vnitatem Ecclesiæ in toto mun
dispersæ congregatio indicaretur, impiis q
in Ecclesiæ cœtu non censentur semper in
seruitio & iugo maledictionis permansur
id quod pia meditatione Noe succurrit & n
bis, qui Iapheti posteritas sumus, frequen
tissime cogitandum, & nunc quidem gra
pectore agnoscendum, & celebrandum e
cum voti Nohæ, sonante inter nos Euange
lii dulcissima voce, compotes simus reddit, &
regna mundi ad interitum iam vergant, &
properent.

Verba Nohæ hæc sunt: *Maledictus Ca-
naan*

naan, seruus seruorum erit fratribus suis: benedictus Iehoua Deus Sem, & sit Canaan seruus eius, blande loquatur Deus ad Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, & sit Canaan seruus eius. Singulariter autem postea restricta fuit promissio ad Abrahami semen, tandemque nominatim ad Israelis posteritatem.

CONFIRMATIO.

Genes. 12. Abræ ex patria euocato & in terram Canaan profecto dicit Dominus, *semini tuo dabo terram hanc*, cumque ipsi ex ancilla Hagar natus esset Ismael, mutat ei Dominus nomen, vt qui Abram dictus erat, Abraham post hoc vocetur, addita hac ratione, quia patrem multarum gentium constituam te, & multiplicabo te vehementissime. Ibidem postea ad Saram dicitur. Et Ismaeli fit promissio quidem, Isaaco præterea autem dicitur: *Pactum meum statuam cum Isaaco*: Gen. 17. & repetitur Gen. 22. & 24. Rursus cum Rebecca gemellos gestaret in vtero, Deus ipsi inquit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populus populum superabit & maior seruiet minori.* Genes. 25. Quando singularis benedictio politica & Ecclesiastica defertur Iacobo, de qua *Genes.* 26. 27. & 28. Et hic Iacob dictus est Israel Gen. 31. Vnde Israelitæ eius posteri, qui terram promissam duce Moyse petiuerant, & duce Iosua occuparunt, cum prius in deserto per Moysem accepissent leges iudiciales

Exodi. 21. Et Ecclesiasticas seu ceremoniales *Exodi.* 25. *& sequentibus capitibus.* Temporalem autem fuisse illam politiam Ecclesiasticam & ciuilem vel hinc constat, quod vtraque fuit visibilis estque hoc argumentum confirmatum auctoritate Pauli Apostoli, qui 2. Cor. 4. inquit. *Quæ cernuntur temporalia sunt quæ non cernuntur æterna.*

II. Thesis.

Ciuilis politiæ Iudaicæ finis, ab ipso Deo prædictus fuit.

Explicatio.

AD probandum, quod finaliter sublata nec in pristinum mundanum statum restituta sit politia Iudaica duobus potissimis argumentis vtimur. I. De quo hic sigillatim audiemus, est a prædictionibus diuinis. II. De quo agetur thesi tertia ab euentu.

Confirmatio.

Ex historia Abrahami Epistola ad Heb. 11. aliquot huius rei argumenta colligit. I. Quod Abraham vocatus ex patria, fide obediuerit Deo, exiuerit nesciens, quo venturus esset. Dominus enim Genesis vndecimo suppressa certe terræ indicatione dixerat: *veni in locum, quem monstrabo tibi.* Vis huius argumenti est, quod fides Abrahæ, potius in Deum recubuerit, quam in terræ promissionem. II. Per fidem Abraham commoratus est in terra promissa tanquam aliena III. Cum Isaa

Isaac & Iacob cohæredibus eiusdem promissionis habitauit in tabernaculis. Ex his ita colligit Epistola: *Exspectabat enim vrbem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor est ipse Deus* hoc est, peregrinatio patrũ in terra promissa fidem eorum non demoliens indicium est, ipsos terrenam possessionem pro minus principali habuisse, & loco tabernaculorum humana opera erectorum & facile mouendorum, & destruendorum exspectasse firmioris structuræ vrbem fundatam vi creatoris omnipotente. IIII. Cum posteriorum multiplicatio reuocare lectorem posset a re spirituali ad corporalem, hanc illius quasi vadem constituit inquiens, *per fidem Sara vim ad concipiendum semen accepit, & præter ætatis rationem peperit, quod fidelem iudicauit Deum, qui promisit.* Quapropter & ex vno, eoque iam e mortuo, nati sunt multitudine tanquam astra cœli & quasi arena maris innumerabilis, quæ est ad oram maris. V. Ex morte fidem morientium non delente, argumentum sumit, per mutationis huius vitæ possessionum, cum alterius politia, quam eminus oculis spiritualibus fidei sunt contẽplati, secũda fidẽ ait Epistola, *mortui sunt illi, omnes nõ adepti promissa, sed eminus ea cõsecrati post quã credidisset & amplexi essent & professi fuissent, se hospites vel aduenas esse in terra.* (Respicit ad hæc verba Iaco. Ge. 47. dies pegrinationis meæ sũt 130. añorũ, & nõ puenerũt vsq; ad

dies patrum meorum, quibus peregrina sunt) nam qui hæc dicunt palam ostendunt se patriam quærere. Item: *nunc autem meliorē expetunt id est, cœlestē*. VI. Ex capite & pace promissionis, quod nimirum Deus voluerit vocari ipsorum Deus statuit, Deum parasse ipsis vrbem. 7. Ex obedientia Abrahæ filium oblaturi Domino ratiocinatur, Abraham credidisse resuscitationem mortuorum, & hac similitudine recepisse filium. Similia argumenta ex reliquorum, patrum historia enarrantur, quæ legere & considerare iucundum est atq; vtile. Insignis vero prophetia Iacobi Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda & legislator e pedibus eius, donec veniat Silo*.

Hoc dicto sceptrum quidem regium posteritati Iacobi, præcipue vero tribui Iudæ promittit, id quod in Dauidis persona præstari cœpit, sed idem ablatum iri in aduentu eius qui & mulieris semen. *Gen.* 3. & princeps pacis *Esaiæ*. 9. futurus esset. Huc pertinet vaticinium de regno Dauidis in semine eius post mortem æterno, de quo ipse dixit Dauid: *Hæc est mos vel lex hominis, qui sit Deus Iehoua*. 2. Sam. 7. Ergo regnum humanum diuino permutandam innuitur. Item Dan. 7. *Antiquus dierum dedit ei, qui ad se quasi filius hominis in nubibus veniebat, potestatem, honorem & regnum.* Additur a. *& omnes populi tribus & linguæ ipsi seruient, potestas eius potestas æterna, quæ nō auferetur, & regnū eius, quod nō corrūpetur.*

Insigne quoque est, quod de desolatione vrbis Ierosolymæ post occisum Christum futurum satis luculenter prædicitur. Dan. 9. Vbi additur, *& post finem belli statuam desolationē.*

III. THESIS.

Euentus comprobauit veritatem promissorū vaticiniorum, euersa politia Iudaica & legibus forensibus abrogatis.

EXPLICATIO.

IN vaticiniis obseruandum est, quod non solum desolatio politiæ Iudaica, sed hæc quoque perpetua significatur, & successio regni incomparabilis & æterni, quod in Christo agnoscit, non esse de hoc mundo promittitur. Quamobrem vana est Iudæorum exsulātium spes, aliquando instauratū iri in hac terra Mosaicum politeuma. Quod etiam Paul. ad Ro. II. ait: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt ne sitis apud vosmetipsos arrogantes, obdurationem ex parte Israeli euenisse, donec plenitudo gentium introierit, & ita totus Israel saluabitur:* Hoc sane de Israelitis naturalibus promissionis restituendis loquitur, sed ea parte, qua regnum Christi respicit, quod non est esca & potus, sed iustitia pax & gaudium per spiritum sanctum. Rom. 14. *propter quod & omne imperium terræ per Christum abolebitur.* I. Cor. 15. Postquam igitur gratia Dei repetitura est Israelitas carnales tum nouam gloriam accipient, vt sint Israelitę secundum promissionē fidei

Rom.9.scripsit Apostolus : *Non enim omnes qui sunt ex Israele Israel, neque qui a semine Abrahæ omnes sunt Filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, nō qui filii carnis, ii sunt Filii Dei, sed q sunt filii pmissionis cēsentur in semine.

Confirmatio.

CElebrem modo recitauimus Prophetiam Iacobi ex 49 Gen. Videtur autem illa soli tribui, adimere regnum, non vero minationem vniuersæ politiæ Iudaicæ, sed regno ad Herodem alienigenam Idumæum ex seruo oriundum etiam contra legem *Deu.* 17. translato sceptrum a toto populo fuit ablatum, & quæ tum mansit politiæ forma, tandem plane destructa fuit. Estque memorabile, quod Iudæis permissa fuit sub Herode & Romanis quædam αὐτονομία & potestas suis viuendi legibus etiam capitalis iudicii. Paulus n. *Act*. 26. ait: *accepta potestate a sacerdotib. multos sanctos carceribus inclusisse, & vt occiderentur, suffragium tulisse*. Itē Stephanus a sacerdotibus vrbe ejicitur & lapidatur Actor. 7. & Iosephus lib. 20. Antiquitatū cap. 8. scribit: *Summum sacerdotem Ananum mortuo Festo præside, cuius fit mentio Act. 24. multos curasse lapidari de synedrii sententia, nec tamē propterea causam dixisse, sed tamen accusatum fuisse quod sine permissu præsidis synedrion conuocasset*. Ex ex 23. Act. Vbi Lysias militum tribunus Romanus sese coram Felice laboriose excusat, quod Paulum tanquam ciuem

quem Romanum Iudæis eripuerit, satis apparet, Iudæis in Iudæos aliquod fuisse imperium. Vnde seria non Ironica vox Pilati agnoscitur ad Iudæos de Iesu Iohan. 18. *Accipite vos eū & secundum legem vestram condemnate.* Quanquam igitur hoc iure vti potuisset, tamen vt sese totum abdicarēt illa tempestate clamarunt: *Nobis non licet occidere quenquam.* Et Euangelista expresse addit, *hoc factum esse autoritate Christi*, quo modo euentus Prophetiis respondit, & præstitit Christus obedientiam, Romano magistratui, cum dedit staterem ex pisce exemptum, id est, duplex didrachma pro se scilicet et Petro Matth. 17. & cap. 22. ait. *Date cæsari quæ sunt Cæsaris.* Paulus quoque Act. 22. contra Iudæos vtitur iure ciuis Romani & cap. 25. ad tribunal Cæsaris prouocat. Atque huc pertinent dicta Roman. 13. Tit. 3. 1. Pet. 2. quæ gentilibus magistratibus obedientiam, & quidem a Christianis, qui sunt filii Abraham Roman. 4. & veri Israelitæ, Romanorum. 9.

IIII. THESIS.

Ceremonialibus legibus Mosaicis Dei prædictio finem statuit.

EXPLICATIO.

Hic discatur solutio obiectionis huius. *Nihil corrigi posse, nisi quod ante factum non probatur, vel quod semel recte factum fuit*

immutari vllatenus non debuit. Respondetur obiectionē hanc cōtra veteris legis abrogationē a criminatorib. dominicæ incarnationis vsurpatā Notarius Imperatorius Marcellinus Augustino soluēdā proposuit, vt exstāt eius exempla inter Epistolas August. nu. 4. cui respōdetur in 5. datis instantiis, vniuersalitatē Thesis illius infringentibus hoc modo: *Nonne hyemi æstas addito sensim calore succedit? Nonne diurnis tempora nocturna vertuntur. quoties nostræ variantur ætates, adolescentiæ pueritia non reddita cedit, iuuentus adolescentia non mansura succedit, & finiens iuuentutem senectus: senectus autem in morte finitur. Hæc omnia mutantur, nec mutatur diuinæ prouidētiæ ratio, qua fit vt ista mutentur. Non autē opinor cū agricola aliud iusserit æstate, quam iusserit hyeme, ratio mutatur agriculturæ.* His tandem Augustinus memorabile Medici exemplum subiicit: *Magnus* inquit, *ille nostrorum temporū medicus Vindicianus, consultus a quodam dolori eius adhiberi iussit, quod in tēpore congruere videbatur, adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus causa commotus, hoc idem ille putauit adhibendum. vertit in peius, miratus currit ad medicum, indicat factū, at ille, vt erat acerrimus, ita respondit: Ideo male acceptus es, quia ego non iussi vt omnes, qui audissent parumque hominem nossent, non eum arti medicinali fidere, sed nescio qua, illicita sententia putarēt: vnde cum esset postea a stupentibus quibusdam interrogatus aperuit, quod non intellexerat videli-*

ceret illi aetati hoc tamen nō fuisse. Ex hoc medici exemplo Augustinus concludit, artibus nō mutatis aliquid tamen secundū eas pro temporū varietate mutandum esse. Applicat autem hoc ad propositum his verbis: *Non itaque verum est quod dicitur semel recte factū nulla tenus esse mutandum, mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat, vt cum ipsi dicant recte non fieri si mutetur. Contra varietas clamitet recte nō fieri, nisi mutetur, quia vtrumque tūc erit rectū, si erit pro temporum varietate diuersum.*

Non tamen sufficit hæc respōsio: Est enim tantum maioris limitatio, vt quæ vniuersalis apparebat, multis exceptionibus infirmata sit, eiusdem autem vsus in subsumtione adhuc ostendendus est, id quod Augustinus sic commode præstat: *Age nunc,* inquit, *quæ diximus refer ad illud, vnde agitur,* & subiicit: *aptū fuit primis temporibus sacrificium, quod præceperat Deus, nunc vero ita non est. Aliud enim præcepit quod huic tempori aptum esset, qui multo magis, quam homo nouit quid cuique tempori accommodate adhibeatur, quidque impertiat, addat, auferat, detrahat augeat, minuatve immutabilis immutabiliū sicut creator ita moderator, donec vniuersi seculi pulchritudo, cuius particulæ sunt quæ suis quibusdam temporibus apta sunt velut magnum carmen cuiusdā ineffabilis moderatoris excurrat, atque inde transeat in æternā contemplationem speciei, qui Deum recte colunt etiam cum tempus est fidei.*

Confirmatio.

Ier. 3. *Et erit cum multiplicati fueritis, & [a]ueritis in terra.* (illud a. versu sequēti indica[t] turū, quē ad solium Domini, q; sit Ierusale[m] gregādæ fuerint omnes gentes in nomine [Ie]houæ) *in diebus illis nō dicent vltra arca fœ[deris] Iehouæ, nec ascendet super cor* (hoc est: non [ve]niet in mentem) *neq; recordabuntur illiu[s] visitabunt, nec fiet vltra*, Ier. 31. *Ecce dies ve[niunt] dicit Dominus, & feriam cum domo Israel, [&] cum domo Iuda fœdus nouum, non secun[dum] pactum, quod pepigi cum patribus vestris [in die] illa, qua apprehendi manum eorum, vt educ[erem] eos ex terra Ægypti.* Hoc dictum ita expl[icat] epistola ad Heb. 8. *dum nouū dicit, antiqua[uit] prius. Porro quod antiquatur & senescit prope [est] vt euanescat.* Dan. 9. diserte dicitur, *Non so[lum] vrbem id est* politiam, *sed etiam sanctuar[ium] desolatum iri.* Hoseæ 3. *cessare faciam vni[uer]sum gaudium eius solemnitatē neomeniam [eius] & Sabbathum eius, & omnem festiuitatem [eius].*

V. Thesis.

Leges Mosaicæ ceremoniales in Christia[nis]mo, ne quem obligent, sublatæ sunt.

Explicatio.

EVersa politia destructo templo & dissip[ato] populo, vt vbicunq; degat exsulet, cult[um] illum diuinum certo loco destinatum cess[are] oportuit. Etsi autem in locum reprobator[um] Israelitarum Christiani successerunt, *ad Ro[m.] 9. &*

& 11. tamen ad cultus Mosaicos adeo nō sunt obstricti, vt ab iis etiā liberi pronuntientur & obseruationes Leuiticæ, prohibeantur.

CONFIRMATIO.

Christus Matt. 11. inquit: *Omnes Prophetæ & ipsa lex vsque ad Iohanem Prophetarunt.* Idem Iohan. 4. mulierculæ Samaritanæ loquens ait, *Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in monte, neque Hierosolymis, adorabitis patrem.* Item, *sed veniet hora & nūc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu & veritate.* Marci 15. legitur, *aulæum templi scissum in duas partes moriente Christo.* Actorum 10. Petrus de hac doctrina discriminis inter Iudæos & gentes visione diuina docet, eiusque summā sic ipse exponit: *In veritate comperio, Deum nō accipere personam, sed in quauis gente acceptū esse quemuis, qui eum timeat & operetur iustitiam, id significauit Filiis Israel annuntians pacem per Iesum Christum, qui est omnium Dominus.* Respexit autem Petrus ad 10. caput Deut: vbi docentur Israelitæ de sua præ omnibus gentibus prærogatiua, & tamen Deus ipsorum Dominus dominantium appellatur, qui non accipiat personam, sed amet peregrinum, det ei victum & vestitum: quodque de pace dicitur, id Esaiæ vndecimo sic traditur. *Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo, accubabit vitulus & leo & ouis simul morabuntur.* Itē Esaiæ sexagesimo quinto. *Pascentur*

lupus & agnus simul. Hanc pacem in altera vita maxime conspicuam futuram addit Christus. Quemadmodum Paulus ad Eph. 2. dictis Prophetiis & loco Petri lucem addit his verbis: *Propterea mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium ad ea, quæ vocatur circumcisio in carne, & quæ manibus fit: Vos, inquam, illo tempore fuisse absque Christo alienos a Repub. Israelitarum, extraneos a pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo, at nunc in Christo. Igitur vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis per sanguinem Christi, ipse enim est pax nostra, qui vtrunque fecit vnum.* Act. 15. Cum aliqui docerent, non circumcisos ritu Moysis non posse seruare, synodus habita fuit Apostolica, & in illa a Petro dictum, *Deus nihil discreuit inter nos & illos* (loquitur de gentibus) *fide purificatis cordibus eorum: Nunc ergo qui tentatis Deum imposito iugo ceruicibus discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Gal. 3. *Non est Iudæus neque Græcus, omnes vos estis vnus in Christo Iesu.* Gal. 5. *In libertate, qua Christus nos liberauit, perstate, & ne a contrario implicamini seruitatis iugo, ecce ego Paulus dico vobis: Si circumcidamini, Christum vobis nihil profuturum.* Coll. 2. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potũ, aut respectu diei festi, aut nouilunii aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra rerum futurarum, at corpus est Christus.*

VI. Thesis.

VI. THESIS.

Negans prædictam abolitionem multipliciter aduersatur Deo, qui sancto & utili consilio forẽses & ceremoniales Mosaicas leges fixit & refixit.

EXPLICATIO.

VT sapientia Dei de mutationibus istis patefacta consideretur, & vsui permagno parata doctrina fidelius custodiatur, aduersatiua a.serio fugiatur, expedire ista simul voluimus paucis, & quidem propositione negationis consequentia colligente res cõmodissime conficitur, cum cætera quoq; sibi illigata manifestius ostendat.

CONFIRMATIO.

Primum negans hic asserta cõtradicit præmissis vaticiniis & euentuũ experientiæ, quod & in Deum auctorem iniuriose redundat, & veritatem impudenter impugnat, cuius probatio collatione negatiua cum singulis supra positis conficienda est.

Secundo idem ille, dum politiam Israeliticã stabilit terrenam patriam Filiorum Dei terrestrem constituit, & huius primarium vsum tollit, vt videlicet sit symbolum alterius cœlestis, & suo fine tanq̃ fidelis sponsor animũ hinc ad æternam auocet patriam. Atq; hęc negatio pugnat cum Thesi prima, & cum toto aceruo exemplorum, quæ ex epistola ad Hebr. Thesi secunda posuimus.

Tertio ille ipse negator sapientiam Dei magistri totius mundi accusat & reformat, & hæredes Dei tanquam perpetuos infantes perpetuo sub tutore detinet, eosque elementis tantum cognoscendis tradit. De hac sapientia videatur cap.4. Ad Gal.

Quarto, negat idem ille libertatem filiorũ Dei, de qua in sequenti loco agemus.

Quinto, remouet ex oculis fidelium gentiũ illam egregiam doctrinam, quæ materiam resipiscentiæ promit, ex reprobatione Iudęorũ, de qua agitur ad Rom.11.

Sexto, Ecclesiam Dei huic tantum terræ astringit, eamque sine fine militantem facit, & spe cœlestis quietis atque gloriæ spoliat, contra exspectationem nostram promissionibus certis & exemplis patrum firmatam. *Hebræorum* 11.

Septimo, Christum, quem Moyses præfigurauit venisse, inficiatur & vmbras pro corpore, tum vbi corpus pręhensandum erat substituit. Huc pertinent dicta *Coll.2.vers.*17. *Hebr.*8.*vers.*5.*&* 6.*ibidem cap.* 9. *vers.*9.*Item* 23. *&* 24.*versibus*. Rursus *cap.*10.*versi.*1.

Octauo, vniuersam doctrinam de Deo, omniumque testium sanctorum auctoritatem, atque sic celebrem fidem patrum nostramq; infirmat: si n. ex resurrectione Christi negata Paulus recte collegit, quod sic inanis fuerit prædicatio Apostolica, inanis etiam fides auditorum, ipsiq; doctores Ecclesiæ falsi testes repe-

reperiuntur. Omnes porro adhuc sint in peccatis, & qui in Christo obdormierunt perierint 1. *Cor.* 15. Profecto is, qui non vnum solū de Christo articulum fidei, sed omnes simul diserte tollit, tot tantorumque absurdorum auctor erit multo magis. Certum est enim: quod ceremonialia Moysis, vniuersaq; opera legis hominem redimere, & iustificare non possint, teste Paulo, *Rom.* 8. quod legi impossibile erat, quia infirmabatur per carnem, id Deus misso filio præstitit.

Idem Apostolus ait Act. 13. *Notum sit vobis fratres, annuntiari vobis remissionem peccatorū per Christum, & ab omnibus, a quibus per legem Moysis iustificari non potuistis, per hunc omnis, qui credit, iustificatur.* Et epistola Heb. 10 *Non potest sanguis taurorū & hircorum auferre peccata.* Item, *Omnis sacerdos videlicet Leuiticus, astat quotidie operans, & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.* In summa ex negatione prædictorum de abrogatione politiæ, legumque forēsium & ceremonialiū Moysis, consequitur, quod Paulus 1. Cor. 15. ex negata resurrectione mortuorum statuit inquiens: *si in hoc solum vita speramus Christum, miserrimi omnium hominum sumus.*

LOCVS XVII. DE LIBERTATE Christiana.

I. THESIS.

Libertas Christiana appellatione arguit immunitatē a seruitute, cuius libertatis auctor est Christus, quæq; parata est credentib. in Christum.

EXPLICATIO.

Libertas & seruitus relatiue sunt opposita altero igitur posito perimitur alterũ, hoc est, libertate affirmata, necesse est negari seruitutẽ ipsi oppositam & contra. Dicitur autẽ libertas Christiana, quia Christus eam peperit & Christianis, id est, Christo per fidem insertis parta est.

CONFIRMATIO.

Fuistis quondam serui peccati, Rom. 6. *sed ex corde obediistis ei formæ doctrinæ, in quam traditi estis & liberati a peccato.* Item, *cum serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ* Ioh. 8. *Si Filius vos liberauit, vere liberi eritis.* Gal. 5. *In libertate, qua Christus nos liberauit perstate, & ne contrario implicamini seruitutis iugo.*

II. THESIS.

Libertas Christiana spiritualis est certiq́ue respectus, ideo non pugnat cũ seruitute carnali, nec cum omni spirituali etsi respectus mutatus fuerit.

EXPLICATIO.

Opposita eodẽ respectu intelligenda sunt, quo non seruato desinũt esse, quod dicta fuerant. Vt igitur libertas per Christum nobis comparata spiritualis est, ita seruitutis oppositæ ratio eadem erit, Vtque altero correlatiuo aliter intellecto desinit prior oppositio, ita aliena est seruitus cum libertate alterius generis

neris non pugnabit, imo libertas ſpiritualis poteſt admittere ſeruitutem ſpiritualem, ſi reſpectus variet, velut cum ſeruus peccati liberatus, manet tamen ſeruus Chriſti.

CONFIRMATIO.

1.Cor. 7. *Vnuſquiſque, in qua vocatione vocatus fuerit, in ea maneat: ſeruus vocatus es, ne ſit tibi curæ, ſed ſi potes liber etiam fieri, potius eo vtere* &c. 2.Cor. 3. *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Gal. 3. *In Chriſto non eſt ſeruus neque liber, videlicet corporalis.* Gal. 4. *Qui ex ancilla ſecundum carnem natus eſt, qui vero ex libera per promiſſionem.* Item, *Cœleſtis Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum.* Eph. 6. *Chriſtiani ſerui iubentur obtemperare heris ſuis.*

III. THESIS.

Libertas Chriſtiana opponitur ſeruituti peccati.

EXPLICATIO.

SEruitus peccati dicitur, vel cui homo naturaliter ſubiectus, vel cui ſeſe ſponte dedit. Naturalis ſeruitus eſt, quod homo in peccatis natus natura peccato ſubiectus eſt. Rom. 11. *Concluſit Deus omnes ſub peccatum, vt omnium miſereatur.* Gal. 3. *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatũ, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Quod ſi quis peccata perpetrat, dicitur membra ſua ſiſtere arma iniuſtitiæ ſeque ſeruum ſiſtere ad obediendum peccato.*

Rom.6. Sic ad Tit.3. scribitur: *Eramus quondã & nos amentes, rebelles, errantes &c.* Ab vtraque seruitute liberantur fideles, vt nec peccatum originale, nec actuale eos sibi mancipet in ipsa libertate. Confertur autem ista libertas iustificatione seu sanctificatione & renouatione. Iustificatione tollitur omne ius peccati, quo sibi tanquam Domino antea asserebat hominem: sanctificatione vis probatur resistendi prauis cupiditatibus, quæ sunt tanquam mandata peccati repetentis ius pristinum, sed frustra, ideo ad Romanos septimo appellatur lex peccati.

CONFIRMATIO.

Luc. 1. Zach. canit, *Deum iureiurando promisisse, se daturum nobis, vt sine metu a manu nostrorum inimicorum liberati, seruiamus ei cum sanctitate & iustitia coram ipso cunctis diebus vitæ nostræ.* Et ibidem testatur, *Deum hoc promissum præstitisse in saluatore Christo.* Romanorum sexto: *Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis, neque sistite membra vestra arma iniustitiæ peccato, sed sistite vos Deo, vt ex mortuis viuos & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur.* Item, *Liberati a peccato mancipati estis iustitiæ.*

IIII. Thesis

IIII. Thesis.

Libertas Christiana tollit metum condemnationis legis iræ Dei mortis & Diaboli.

Explicatio.

PRimus libertatis gradus est liberatio a peccato. Hoc enim vbi primum subegit hominem, tradidit eum seruum legi per maledictum dominanti. Itaque eum iræ Dei subiecit, quæ voce condemnantis legis indicatur. Itaq; Dei iustissimo iudicio peccatorem Diabolo, & morti tradidit. Sublato autem peccato legis maledictio iraque Dei cessat.

Confirmatio.

Ad Rom. 5. *Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ioh. 3. *Qui credit in eum, non iudicatur.* Rom. 8. *Nulla est nunc cōdemnatio his, qui sunt in Christo Iesu.* Heb. 2. *Christus dicitur factus homo, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium. Id est, Diabolum, & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitā obnoxii erant seruituti.*

V. Thesis.

Libertas Christiana a iugo seruitutis & coactionis legalis liberos reddidit.

Explicatio.

QVomodo libertas constet, vbi quædam maneat necessitas, id supra Thesi II. de

lege dictum est. Eadem autem est seruitutis, quæ necessitatis ratio, sicut enim gradus sunt liberorum hominum in politiis, quorũ tamẽ vnus subest alteri, & liberi a seruis multum discreti parentibus seruire possunt filialiter, ita nõ est eadem ratio omnis seruitutis, & quidem animum eius, quem Christus sibi poscit seruum, ipse, vt Dominus conciliat sibi, quomodo seruitus εὔνοιαν & beneuolentiam suam habere potest, quemadmodũ ad Eph. 6. Paulus seruis corporalibus præcipit, vt tanquam serui Christi faciant, quæ velit Deus, καὶ μετὰ εὐνοίας, cum seruiant Domino non hominibus.

Confirmatio.

Dicta scripturæ huc pertinentia quærantur sub Thesi 11. De lege, & quidem de seruitute Christiana. Paulus Rom. 6. Sic loquitur versi. 16. *Quod cui nos sistamus seruos ad obediendum eius serui simus, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam.* Versu autem sequenti ait: *quod Romani quidem fuerint serui peccati, sed ex corde obedierint ei formæ doctrinæ, in quam sint traditi.* Et rursus versu 18. *libertatem cum seruitute coniungit. Liberati a peccato mancipati estis iustitiæ.* Item, *Liberati a peccatis mancipati estis Deo.* Et Iacobi 1. νόμος τῆς ἐλευθερίας lex libertatis appellatur.

VI. THESIS.

Libertas Christiana tollit seruitutem legum Mosaicarum forensium & ceremonialium, & earum, quæ ab hominibus Dei cultui feruntur.

EXPLICATIO.

DOctrina de legibus Mosaicis temporalibus tractata est in loco proximo pręcedēti, quia vero ista liberatio ἀδιαφορίαν & indifferentiam inuehit arbitrio piæ mentis seruatam, & hæc prudentiæ Christianæ astringitur, ideo missis Mosaicis hic istis, agemus peculiariter, de rebus ἀδιαφόροις ab hominibus ordinatis & electis, quatenus seruitute vel peccent in libertatem Christianam, vel commēdent eā. Ἀδιάφορα sunt ceremoniæ, vel aliæ res indifferētes atq; medię. hoc est, quę per se neq; mādatę, neq; ꝓhibitę sunt, & tamē vel in Oeconomiis instituūtur, vel in Politiis, vel in Ecclesiis. Ista vbiq; ordinē seruare debent, & spectare vtilitatem Deo probatam, nec in fraudem horum citra peccatum violari possunt a contemtore videlicet & hoste ordinis cōmodi atq; ædificationis. Rursus tamen nullo loco præcipi ἀδιάφορα ab hominibus possunt, tanquam simpliciter necessaria, vel vt humana auctoritas, qua mandantur, diuinæ æquipolleat. Sed de iis, quæ in Ecclesia religionis caussa ordinantur, hic agemus præcipue. ἀδιάφορα singulis quodammodo desinunt esse indifferentia, & seruitutem obedi-

entię Christianæ salua libertate poscunt, quę vt ordine & decenter ad ędificationem omnia fiant, citra opinionem superstitiosam vel illegitimi dominatus vim, instituũtur ab Ecclesia. Exempli gratia. Dies dominica traditione hominum dicata est communibus feriis, & publicis conuentibus Ecclesiasticis, ordinis & ædificationis gratia in Ecclesia. Non vero sibi quisque hoc sumere potuit, vt simili necessitate, qua Sabbatum Iudæis factum fuit, diem Dominicum Christianis obtruderet. Etsi enim ex 20. Actor. & 1. Cor. 16. ista dies, Pauli concione & conuentu Ecclesiæ, sacer fuit habitus, tamen idem aliis quoq; diebus ab Apostolis factitatum fuit. Nam Actor. 5. scribitur de ipsis: *Quotidie in tempo & domi non cessabant docere, & Euangelizare Iesum Christum*. Imo die sabbati Paulus & Barnabas docuerunt in Synagoga Antiochena, vt Act. 13. habetur. Igitur illa dies Dominica per se indifferens, sed consensu Ecclesiæ præstituta piis congressibus publicis, non debet a priuato temere contemni. Itaq; obligat nos pio studio custodienti bonum ordinem ad obseruationem, quæ tamen singulis & priuatis non sunt ἀδιάφορα, nec tolli ab ipsis possunt, ea manente in libera potestate Ecclesiæ, quæ si censuerit aliter pietatem rectius & commodius iuuari posse, sine hæsitatione potest statutum mutare, nec diuersitas ncidés inter quas-

dam Ecclesias orthodoxas consensum fidei accusare potest. Vt vero ἀδιαφόροις, astringimur ordinis & cōmodioris studio ædificationis mandantis ita si res indifferens pietati noceat, cessat esse, quod dicitur. Pietas autē vel Deum vel hominē respicit, & Deus quidē solus Dominus est Ecclesiæ, qui æqualē ferre nescit, seq; suis, non hominū mandatis, vult coli. Si qui igitur vt Papa Romanus, vel simiæ ipsius Episcopi, sibi potestatē sumunt demandandi loco Dei, & humana sua dominatione rem indifferentē, vt necessariā vel eius obseruantiā accensendi cultui, qualis præceptorum Dei obseruatione prestatur, ii non sunt audiendi, nec eis obtemperādū est, quia virtute fidei enormiter aberrātes syncceris Christianis leges ceremoniarū prescribunt, siue vt palam ita consensum corrogent, siue vt recte dissentiētibus præiudiciū parent, & simplicibus scandalum ponant siue etiam hęc mala ab auctoribus instituantur siue alias consequātur, vitanda sunt accurate. Nam partim Deo derogant, cuius confessio debet esse ingenua & pura, partim in proximū peccant, siue is prægrauetur exemplo siue offendatur. Hæc itaque fugienda sunt vt libertati Christianæ aduersantia cum libertus Domini ille dicatur, qui mancipatur iustitiæ ad Rom. 6. Hoc est, qui neque in Deum, neq; in proximum sit iniurius.

CONFIRMATIO.

Vide testimonia sub Thesi V. & rationes

ſub Theſi VI. De legibus Dei in populo Iudaico temporalibus: & hæc adde 1. Cor. 7. *Pretio emti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* Coll. 2. *Mortui cum Chriſto liberi eſtis ab Elementis huius mundi, quid igitur tanquam viuentes mundo ritibus oneramini?* Nam eodem in cap. verſ. 8. traditiones hominum vocauit *elementa huius mundi.* Et verſ. 16. *Ne quis damnet vos ob cibũ & potum.* Sic cum de traditionibus hominum tanquam neceſſariis agitur, inſtitutio Chriſti tenenda eſt. Matth. 15. & Marci 7. Tit. 1. *Omnia munda mundis.* Rõ. 14. *Nihil eſt pollutum per ſe.* 1. Cor. 11. *Omnia mihi licent, at non omnia conducunt.* 1. Cor. 6. *Nolite trahere iugum cum infidelibus.* Item *quapropter exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias dicit Dominus omnipotens.* Hoc dictum permagni eſt momenti, cum prophetia, hoc eſt, cura & ſollicitudine Dei grauiſſimam commonefactionem reddat, & noui teſtamenti vaticinio Eccleſia Chriſti ſimiliter admoneatur. 1. Tim. 4. Spiritus ſanctus diſerte dicit, fore vt in poſterioribus temporibus deſciſcant quidã a fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes & doctrinis dæmoniorum, in Hypocriſi loquentium mendacium, & cauterio notatam habentium conſcientiã, prohibentiũ, nubere, iubentiũ abſtinere a cibis, quos Deus creauit.

The-

VII. THESIS.

A libertatis Christianæ abusu diligenter est cauendum.

EXPLICATIO.

ABusus consistit potissimum in his tribus I. Si libertas illa spiritualis contra seruitutem corporalem allegetur & vsurpetur. II. Si in licentiam carnalem conuertatur. III. Si absq; discretione spiritualis vel contemtu infirmorum, vel alias cum læsione pietatis exerceatur.

CONFIRMATIO.

Cum Paulus 1. Cor. 2. *Nolite fieri serui hominum*, addit ibidem, *seruus vocatus est, non sit tibi cura.* Distinguit igitur inter seruitutem spiritualem & mundanam, & sic rursus inter libertatem duplicem statuit libertatem, spiritualem cum seruitute corporali absq; damno salutis stare posse: Sicut ait, *qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini, non vero salutaris erit copulatio dissolutionis carnalis, & seruitutis spiritualis, nec potest illa constare cum libertate Christiana, cum non sit, nisi iniustitia, & sic Diabolo mancipatorum.* Quapropter Apostoli ipsum abusum grauiter reprehendunt Gal. 5. *Vos ad libertatem vocati estis fratres tantumne libertatem in occasionem detis carni.* 1. Pet. 2. *Liberos hortatur apostolus, ne libertatem habeant velamen malitia, sed vt serui Dei.* 1. Pet. 2. Reprehendun-

tur libertatis pollicitatores *qui sint serui corru-ptionis, quorum verba tumida vanitas appellantur*. Rom. 14. *Si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non iam secundum caritatem ambulas, ne esca tua illum perdat, pro quo Christus mortuus est*. 1. Cor. 8. *Esca nos non commendat Deo, neq; enim si vescamur, abundãtiores sumus, neq; si non vescamur, pauperiores reddimur. Sed videte, ne quando potestas vestra offendiculo sit iis qui infirmi sunt*. Itẽ. *Quapropter si esca facit, vt scandalicetur frater me⁹, nõ vescar carnib⁹ in æternũ, ne faciam, vt frater meus offendatur.*

LOCVS XVIII. DE PECCATO

I. THESIS.

ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία 1. Iohan. 3. *Peccatum est iniquitas.*

EXPLICATIO.

VT Grammatici sic & Dialectici sibi hanc siue interpretationem siue definitionem vẽdicare possunt. Grammatica est ἑρμηνεία quia quod Etymo obscurius exponitur altero, quod significationem Etymo promtam gerit, quãobrem vtriq; etiam articulus additur. Recte tamen & Dialecticus hic definitionẽ agnoscit, quę est κατ' ἀντιλέγειν· id est, quando alio verbo notiore vtimur & γένος ἰσοδυναμοῦν æquipollens ponimus. Item κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου quæ fit remotione contrarii, cuius duæ sunt species, altera cum remotio fit κατ' ἀπόφανσιν secũdum

dum negationẽ,vt *spiritus est substantia incorporea.* Altera cum κτ̃ στέρησιν secũdũ priuationẽ, vt tenebrę sunt absentia lucis. Posterioris formę data est definitio,& vsitate potest appellari essentialis. Ad explicationẽ definitionis κατ' ἀντίληψιν quę Grãmaticę interp̃tationi proxima est,pertinet explicatio Etymologica. Peccare inqt Cic. in Paradoxis est *trãsilire lineas præfixas & aberrare a scopo.* Erit igitur peccatum aberratio a rectitudine seu fine. Gręcis eadem Etymologia dicitur ἁμαρτία & ἁμάρτημα, quãq̃ hoc illius effectũ potiꝰ est,vt erratũ errationis. Est n. ἁμαρτάνειν τ' ὁδȣ̃ aberrare a via. Est & παράπτωμα Gręcis lapsus,ꝙ viã nõ tenẽti labi cõtingat, seu ꝙ aliquid cadat seu fiat παρὰ τὸν νόμον p̃ter legẽ. Hieronymus vult hoc esse tanq̃ aditũ ad peccatũ quoddã leuius. ἁμάρτημα vero dicit esse ipsum peccatũ. Sed Paulus sic nõ distinguit. παράβασις etiam significatione eo recidit, quia est transgressio. Hebræi variis appellationibus vtũtur. Bescha ꝙ & defectionem & rebellionem, ꝓprie significat. Aphon ab Apha *inique aut peruerse egit* : Gethe vel Getha & cum dages Gethoia agata, quod *est aberrare a via vel scopo.* Rabini primum exponunt de peccatis rebellione grauibus, secundo de peccatis consulto commissis : tertio de erratis seu per errorem factis peccatis. Primũ ex Etymo cõstat, postremũ simul probatur 4. Leu. ver. 2. vbi dicitur *anima cum peccauerit per errorẽ.* Ad

quod addatur, quod Gathaat dicitur oblatio pro peccato ignorantiæ seu ἀκουσίως facto, quã Græci vocarunt θυσίαν περὶ ἁμαρτίας, Lutherus Sündopffer. Ad exaggerationem facit significatio & vsus vocis Aschma delictum, quod est ab Ascham, quod non solum est delinquere, sed etiam desolari, & vsurpatur de atrocibus peccatis *Leuit.* 5 In fine vetus versio habet: *quia per errorem deliquit in Domino*, cum plane contraria sit sententia Aschem. Ascham delinquendo deliquit in Domino. Et poscitur ibi sacrificium pro delicto, quōd Græcis est υσία περὶ πλημμελείας Luth. Schuldopffer. Fiebat enim ad expianda peccata ἐκ προαιρέσεως facta. ad quæ conuenit nomen πλημμελείας a πάλω μελῶ deductum, & de cogitationibus hominis, quæ diuinis dictatis posteriores sunt, illisq; subinferuntur intelligitur. 2. *Paral.* 28. Ephraemitę loquentes de crudelitate, quam in tribum Iudam exercuerant, quanquam Deus per prophetam Obed reprçhenderat, inquiunt: *Racki Asma, magnum delictum est nobis.* Attendatur nunc ad artificium & sensum definitionis, omnes appellationes, quas recitauimus adeo generales sunt, vt declinationem & aberrationem indistinctius indicent, ἀνομίας vero nomen discessionem, non quamuis, sed a lege deflectentem, itaque propiorem significationem suggerit, quod si peccatum hominis in

sub-

ſubiecto, & lex Dei in prædicato intelligatur, ſpecialior reddita eſt oratio, definitoque addita vox genus & differentiam complectitur, vt peccatum hominis hoc loco non ſit vel naturæ vel artificis in ſuis inſtitutis aberratio, ſed hominis a lege, quam ipſi Deus tulerit, deflexio. De genere autem num illud hic ſimul cõſtituatur, quæri adhuc poteſt, & videtur differentia potius innui vocabulo ἀνομίας, quã genus. Verum attento apparet vtrumque. Vt enim alia eſt qualitatis in ſubiecto, alia actualis ſeu actione conſtans iniuſtitia, & iniuſtitia recte nuncupatur vtraque, tum genere, tum communi differentia, ita ἀνομία iniquitatem ſignificat, quæ eſt huius ſiue illius modi diſcrepantia a lege & pugnantia cum eadem. Genus igitur datur ipſa deflexio ſeu violatio, differentiam vero exhibet, quod illa legem a Deo homini latam reſpiciat. Interpretes Apoſtolicam ſententiam ita expreſſerunt: Peccatum eſt, quicquid pugnat cum lege Dei, vel eſt quiddam pugnans cum lege Dei. Priorem verſionẽ pro ſe allegant Manichæi, quaſi ſubſtantia hominis etiam ſit peccatum, cum hæc quoq; pugnet cum lege Dei. Verum reſpondendum eſt, non tam de riuo, quam de fonte eſſe bibendum. 2. Vniuerſalem particulam complecti omnes ἀνομίας proprie dictas. Subſtantia autem non eſt ἀνομία, licet ſit ἄνομος, cumque de ſubiecto aliquid prædicatur, vt accidens in concreto, quod tamen non

potest citra figuram in abstracto prædicari de essentia subiecti, tum semper realis interuenit distinctio in subiecti essentiam & prædicatum. Commodior est altera versio, *peccatum est quiddam pugnans cum lege Dei.* Non enim patitur subsumi quoduis pugnans, & quædam per se, quædam propter aliud legi Dei aduersa sunt, id quod per se pugnat cum lege Dei, recte subsumitur sub definitione, alterum non item. Porro minus est exposita Sophisticæ Erasmiana, *peccatum est iniquitas:* quanquam tanta non sit vis Latini, quam Græci sermonis.

CONFIRMATIO.

Thesis ipsa est dictum Apostolicum, cum quo consentiunt testimonia, quæ in accusandis peccatis ad præcepta Dei respiciunt, quorum plena sunt scripta Moysis & Prophetarum. Item, quod Paulus dicit: *Per legem agnitio peccati.* Rom. 3. Item, *Concupiscentiam non cognouissem, nisi lex dixisset, non concupisces.*

II. THESIS.

Peccati Deus auctor non est.

EXPLICATIO.

DE causa peccati & quæsitum & erratum in Ecclesia fuit a pluribus, ideo præsertim, quod Physica fuit inquisitio instituta, hoc est, quæ non quiesceret, nisi peccati creatorem statueret, vt rerum cæterarum, & quia vni Deo

ni Deo minus rationabiliter videbatur tribui boni & mali origo, excogitatus fuit malus Deus, imo frequentior Deorum multitudo enata est hinc. Quamobrem, vt non solum negatiua nostra certis testimoniis scripturæ muniatur, sed etiam occasiones elusionum & errorum præcidantur, altius repetenda erit doctrina. Qui Deum negat auctorem peccati, nullum peccato Deum & creatorem relinquit, si vnum solum Deum creatorem credat, contra qui vnum Deum in causa peccati eximit, & tamen mali eius creatorem agnoscit, ab eo plures, quam vnum Deum, dari necesse est, cum Deus sit, qui creet, ad Hebræos 3. Cum igitur dicitur, Deus est auctor peccati, intelligatur, præter hunc Deum nullum esse alium, itaque vniuersalitatis vis in negatione comprehensa occurret elusionibus. Deinde addantur testimonia sacræ scripturæ, quorum gemina est classis. Prior eorum, qui Deum tum per se, tum effectis probant, tantum esse bonum. Posterior eorum, qui Deum tum per se, tum effectis malum negant. Hic vero boni & mali significationes considerentur. Bonum aliud est naturale, aliud morale: & sic malum duplex opponi potest: Malum morale est peccatum seu ἀνομία, naturale ipsius naturæ Physica corruptio. Nam quatenus ἀνομία naturalis dicitur, a morali genere non auellitur. Physica corruptio ex instituto creationis, cum qua coniungenda

est ea, quæ consequitur maledictionem propter peccatum, quatenus est creationis ordinatio proprie malum non dicitur, licet destructio sit eius, quod erat bonum, & sic cum bono oppositionem habeat, quæ ex aduerso designat bono malum, & sic docendi gratia appellatio danda est. Quæ vero maledictionis consequens est, ea mala est, tum quod ex peccato orta est, tum quod homo per eam bono priuatur. Per se autem, quatenus Dei iustissime punientis opus est, id ipsum vt iustum & bonũ etiam prędicari oportet. Quamòbrem distinctio inuenta est inter malum culpæ & malum pœnæ. Malum vero non simpliciter de ipso negatur, Deus bonus est inexplicabili bonitate naturæ, attributisque & operibus omnibus, siue ea moraliter siue naturaliter censeas. Malus non est Deus naturaliter, quia omnis mutationis expers æterna eius & simplicissima essentia. Nec moraliter malus est, siue ipse in se, siue in operibus consideretur, & tamen mali naturalis auctor esse deprehenditur, si videlicet mala naturalia appellas, vel in Physicis, quæ corruptionis & generationis vicissitudine fiunt, vel in pœnis peccato debitis. Quod si eodem iure, quo hæc mala sunt, Deus malus dici deberet, explicatione accurata opus esset: nempe corruptione opus est, vt fiat generatio, vtrãq; Deus instituit, sed sapienter & iuste, vt omnia reliqua. Esset igitur Deus sapienter & iuste talis,

hoc

hoc eſt, non proprie malus, cum malum proprium vicinum contineat, ſed quod vnum aboleat, vt generetur alterũ, & abolendo, quod bonum eſt, contrarium iſti bono agat. Semper tamen citra culpam & peccatum: ſic malus eſſet Deus, cum vlciſcitur peccatum, ſed quia vitio eſt ſine vitio, nec ipſa propriũ malum appellabitur, licet priuatio ſalutis ſuam quandam oppoſitionem ad bonum habeat, & ſic mali appellationẽ quandam recipiat. Cum tamen quæritur, num Deus ſit auctor peccati, de malo culpæ ſolummodo agitur.

CONFIRMATIO.

Huc referantur teſtimonia, quæ in loco de creatione ſubiecta ſunt quartæ Theſi. Conſtituimus autem hoc loco duas teſtimoniorũ claſſes: *Prima* affirmantiũ, Deum tantum bonum & iuſtum. *Secunda*, negantium, eum malum & iuſtum. Sic enim hæc duo iunguntur, Deut. 32. *Deus fidelis, & abſq; vlla iniquitate iuſtus & rectus eſt.* Item, Soph. 3. *Deus iuſtus in medio eſt, non faciet iniquitatem.* Et 2. Tim. 2. *Si increduli ſumus, ille fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt.* His adiungantur plura, vt Pſal. 145. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Pſal. 25. *Rectus eſt Dominus.* Pſal. 92. *Rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.* Num. 23. *Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur, nec quaſi filius hominis, vt mutetur.* In hanc ſenten-

tiam Christus, Matth. 29. inquit: *Nemo bonus est, nisi vnus Deus* (scil. bonitate originali) cum tamen secundum Paulum, 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona sit*. Leuit. 11. & 1. Pet. 1. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Psal. 44. *Odisti iniquitatem*. Zachar. 8. Hæc sunt, quæ odi, ait, Dominus exercituum. Sapient. 11. Deus nihil eorum odit, quæ fecit. Rom. 3. *Num iniustus est Deus? absit.* Rom. 9. *Nunquid est iniquitas apud Deum? absit.* Contra probationem vide quorundam obiectionum solutiones in explicatione Thesis quartæ de creatione. Et addantur hæc, 2. Regum 22. in cantico Dauidis, quod in libro Psalmorum est, Psal. 18. legimus: *Cum mundo mundus eris, & cum peruerso peruerteris.* Hinc videtur concludendum, Deum mundum, seu iustum, & peruersum seu iniustum esse: sed vera versio hæc est: *Cum peruerso peruerse ages*, quando tribuitur Deo malum pœnæ, quod est iustitiæ aduersum, & sic Deum malum dici, sed sine vitio explicatum est modo. Simile dictum exstat Deuter. 26. *Quod si in hoc non audieritis me, sed ambulaueritis mecum in occidente,* (vel ex aduerso, vt quidam interpretantur) *& ego incedam contra vos cum ira occidentis,* vel ex aduerso, *& corripiam vos etiam ego septies propter peccata vestra.*

III. Thesis.

Peccati primus auctor est Diabolus, persuasione

pro-

propria voluntate, & lapsus sui causa exstitit & corruptionis, ex qua porro varia peccata scaturiunt.

EXPLICATIO.

Diabolus primus auctor peccati dicitur, quod ante eos lapsum peccatum fuit nihil negatiuum: auctor autem fuit deficiendo a bono & agendo peruerse, quo non creator rei alicuius exstitit positiue, qualis est substantia aut aliquod accidens positiuũ, sed corruptor & deprauator boni, quod a Deo solo est creatum. Hic autem curiositas humana quærit, quomodo Deus excusari queat a culpa peccati, cum permiserit, quod prohibere potuisset, nec dubium est, quin Deus excusandus sit, sed quomodo id fieri potuit, vt hominis iudicio satisfiat, hoc opus hic labor est. Abit igitur æstimatio ad captum humanũ parata, & statuatur, quod sacra scriptura tradidit, eritq; disceptationis huius finis. *Nos*, inquit August lib. 5. contra Iulianum cap. 4. *si eos, in quos nobis potestas est ante oculos nostros, perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quam vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique, si voluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus & bonus est, quia iudicia eius abyssus multa.* Psalm. 35. Item libro vigesimo secundo de ciuitate Dei capite 1. ita respondet de lapsu angelorum: *Qui cum præsciret angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent,*

tanti boni desertores futuros non eis adimit, hanc potestatem potentius & melius esse iudicans, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere Comprobat hanc Augustini sententiam Apostolus Paulus, Rom. 9. cum inquit: *Quod Deus volens notam facere potentiam suam, pertulerit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.* Similiter suadet ratio in hoc, quod Deus non omnes peccatores conuertat, sed quosdã induret, id quod citra noxam & culpã non putat fieri, præsertim cum induratio, & in peccata traditio plus Deo tribuat, quã permissionem. Tradit autem Deus peccatis, seu in reprobum sensum, seu indurat corda peccatorum. I. Deserendo hominem suamque faciem auertendo, sicut in Exod. 11. dicitur: *Quod Deus gratiam dederit populo suo in oculis Ægyptiorum.* Ita Actor. 7. Stephanus inquit: *Auertit autem se Deus, & tradidit eos in seruitutem exercitus cœli.* Huc pertinet dictũ Augustini de prædestinatione sanctorum, cap. 4. *Deus dicitur indurare quando non mollit.* II. Tradit Deus peccatis relinquendo hominem suis cupiditatibus, Psal. 18. *Et non audiuit populus vocem meam, & Israel non voluit me, & diuisi eum in prauitates cordis eorum, ambulabunt in concupiscentiis suis.* Actor. 14. *Deus gentes permisit vias suas incedere.* Actor. 17. Apostolus loquens de tempore ignorationis Ethnicæ

nicæ, appellat Deum dissimulantem. Et Rom. 9. *Multa lenitate tolerantem.* Acto. 7. Stephanus ait, circiter annos 40. ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς, mores tulit Israelitarum. III. Tradit Deus vrgendo homines ira. Rom. 9. *Volens ostendere suam potentiam, pertulit multa lenitate iræ vasa, quomodo contra stimulum calcitrando atrocius ruunt, vt qui sordet, sordescat adhuc.* Apocal. 12. IIII. Diabolo permittendo maiorem in homines furorem. Iudic. 9. *Misit Dominus spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem.* 1. Reg. 16. *Spiritus Domini malus Saulum terruit a Iehoua*, id est, Domini permissu. permittendo autẽ mittit, vt historia Iobi docet. Et 2. Thess. 2. *Pro eo, quod amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent, mittit Deus illis* ἐνέργειαν πλάνης, hoc est, efficaciam deceptionis, vt credant mendacio, & damnentur. V. Modum ponit peccatis, Matth. 23. Scribæ & Pharisæi dicuntur implere mensuram peccando. Iob. 5. *Dissipat cogitationes callidorum, & non faciunt manus eorum, quæ decreuerant.* Esa. 7. *Non stabit, & non erit sic.* Psal. 37. *Meditetur impius contra iustum, & stridebit dentibus suis super eum, &c.* Esa. 37. de Sennacharib. *Cum fureres aduersus me, superbia tua ascendit in aures meas, ponam ego circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Verum cum res tamen adhuc inexplicabilis manet, sequamur Augustini sententiã, quæ extat lib. 1. con-

tra Iulianum Pelagianum cap. 3. *Curauit*, inquit Apoſtolus, *dicere, quanta pœna ſit a Deo tradi paſſionibus ignominiæ, ſiue deſerendo, ſiue alio quocunque modo vel explicabili, vel inexplicabili, quo facit hæc ſumme bonus & ineffabiliter iuſtus. Certe vt oſtendat Deus, ſe non delectari peccatis, auertit ſe ab hominibus, culpam quoque ipſis imputat*, vt ex Pſal. 81. docuimus. Et ad Rom. 1. dicitur: *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum, nec modum ſolum ponit, ſed tandem etiam traditos peccatis grauiſſime punit.*

CONFIRMATIO.

Hiſtoria primi peccati, quod nimirum lapſus fuit angelorum, non exſtat deſcripta in Geneſi ante lapſum hominum. Quod Diabolus tamen bonus angelus fuit conditus, & in hac bonitate ſua non permanſerit, verum exciderit ipſe, & hominem ſeduxerit, id his teſtimoniis probatur. Epiſtola Iudæ: *Angeli non ſeruarunt originem ſuam, ſed reliquerunt ſuum domicilium.* 2. Pet. 2. *Deus angelis, qui peccarunt, non pepercit.* Huc citant aliqui dictum Chriſti, Luc. 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Gen. 3. Hiſtoria hominis per ſerpentem in peccatum inducti & lapſi deſcribitur. De hoc ſerpente ſic Apocal. 12. legimus. *Et proiectus eſt ille draco permagnus ſerpens ille antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas.* Huc pertinet vaticinium Eſa. 27. *De vltione, quam Deus ſumturus ſit de Leuiatha*

ſer-

serpente tortuoso, cum occisurus sit draconem, qui est in mari. 2. Corinth. 11. *Serpens seduxit Euam calliditate sua.* Ioh. 8. *Vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates vestras vultis explere.* 1. Ioh. 3. *Qui committit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat: Ad hoc apparuit filius Dei, vt destruat opera Diaboli.* Ephes. 2. *Vt est vita mundi huius secundum principem, cui potestas est aeris & spiritus, nunc agentis in hominibus contumacibus.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum introiit in mundum.* Item, *Vnius peccato multi mortui sunt.*

IIII. THESIS.

Peccato in vniuersum non fuit, aut est materia ex qua, nec peccatum ex nihilo exstitit substantia.

EXPLICATIO.

HÆc Thesis obseruanda est, tum propter veteres, tum propter recentes quorundã errores: quoq; vna expediemus, quicquid de horrendo Manichæismo amplissimo statui possit ex fundamentis. Inter Philosophos Stoici fuerunt, qui virtutes & vitia res corporeas esse dixerunt, vt refert Plutarchus de communibus notionibus contra Stoicos. Vnde Seneca disputationem instituit de quæstione, an sint virtutes animalia, Epistola 114. Quemadmodum in 107. disputauit, quod affectus sint corpus. In Ecclesia Manichæi cũ duo facerent principia coæterna, bonũ & malum, & hinc bonorũ & malorum substãtias cõmu-

nicatas fingerent, peccatorumque materiam seu substantiam in malo Deo ab æterno fuisse, commenti sunt. Ab hoc errore recentes Manichæi sibi videntur immunes, etsi peccatum originis substantiam faciant, quia vero nulla est substantia sine creatore Deo, aut Deum vnum & bonum conditorem substantiæ istius pessimæ esse, aut alterum creatorem constitui oportet: his positis necesse est, peccatum vel ex nihilo, vel ex præexsistente materia factum. Hic Flacius creationem omnium, quæ bona fuerunt, vni vero Deo tribuit, nec vult aliquã præexstitisse materiam malam, ex qua peccatum factum sit, sed ipsam substantiam humanam, quæ bona creata est, transmutatione essentiali transiisse in peccatum scribit, cuius transmutationis causam Diabolo defert. Quia vero omnis transmutatio essentialis vere diuinæ creationis species probatur, cuius potentia Diabolo non potest communicari, assumsit ille iram Dei, q̃ cũ actione Diaboli concurreret, ne effectum istud Diaboli viribus puteretur impossibile. Sic igitur substantiam hominis bonam præexsistentẽ quandam facit materiam, ex qua peccatum originis conflatum sit transelementatione noua, in cuius perfectione operæ Dei & Diaboli iunctæ fuerint, quemadmodum in demonstrationibus hanc rem multis tractat. Pagina vero 116. & sequentibus aliquot, in breuia capita suam sententiã redegit, ex quibus pauca huc annotabimus, vt ado-

adoleſcentes ſummam doctrinę Flacianæ, quę hodie adhuc a multis palliatur & commendatur, verbis auctoris propoſitam aſpiciant, & hinc erroris fundamenta, & neruos cognoſcant. Theſi quarta vocat peccatum originis, *Naturam prepotentem, intelligentem, cum Deo omnique eius voluntate & lege feruentiſſime belligerantem, cui creaturæ aut naturæ neſciat aliud nomen tribuere, quam quod ſit anima quædam & ſpiritus.* Ex hoc præſuppoſito quaſi indubitato axiomate, quod tamen ex figuratis locutionibus præcedentibus procedendo inde ad proprias fallaciter elicit, Theſi V. & VI. ſtatuit: *Diabolum eius eſſe effectorem, re vera eſſe quendam creatorem iſtius naturæ dominantis toti mundo.* Theſi VIII. hæc ſubiungit: *Nam cui tantum opus viresque id efficiendi tribuis, nomen creatoris aut conditoris negare nō potes.* Hinc ergo liquet, quod Flacius Diabolū creatorem quendam fecerit verum. Iſtam vero ſententiam Theſi VIII. putat conſiſtere poſſe, etiā hac negatiua retenta: *Quod Satan nullam naturam aut omnino rem, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens crearit.* Hac enim negatiua aſſerta primum colligit, quod peccatum originis regina illa mundi præpotens, non ſit quiddam plane diuerſum ab eſſentia animæ diuinitus creatæ, ideoque falſo ſtatui, quod nullo modo, nullave ex parte illa ſit a Deo. Hinc Theſi X. *hanc perverſam animam rationalem*, quam appellat peccatum, docet, *eſſe tum a Deo, tum a Satana.*

A Deo quidem quatenus est primum rectissime creata, & quatenus Deo inimicissima species hominis, cum omnibus suis innatis bonis malisque substantiis & accidentibus propagatur & sustentatur. A Diabolo vero quatenus est inuersa & transfigurata ex optima forma in pessimam, quo modo putat saluari hanc maximam: *solum Deum condere & creare naturas omnes, videlicet primario, sed transformare eas esse quorumuis animalium, ne dum Diabolorum.* Vnde tandẽ XII. Thesi sic concludit: *Talem transfigurationem dico a Satana in anima rationali non tamen omnino sine iustissima ira sententiaq; maledictionis, ac pœnæ mortis a Deo inflicta, effectam, & hac ratione illam ipsam corruptam & præpotentem naturam aut rem esse a Satana.* Hęc Flacius. Quis vero non videt etiam in confusissima illa doctrina, Deum quendam factorẽ peccati, & Diabolũ quendam substantiæ conditorem doceri, licet modi mutentur, & partes distribuantur singulis singulæ, non enim vnus est modus creationis diuinæ, & qui partem condidit, totum condidit.

PROBATIO, QVOD PECCAtum ex præexsistente materia, vel substantia, factum non sit.

Primum argumentum contra veteres Manichæos, qui malum principium, ex quo peccatum etiam, & omnia mala prognata sint, ὕλην constituerunt.

Duo

Duo coæterna principia, duoque Dii & vera sapientia humana ratiocinatione & sacrarum literarum testimonio falso ponunt.

Manichæi vero duo coæterna principia, duosque Deos faciunt, & peccato in mundum ingresso præexsistentem materiam præbent. Ergo, *Manichæi in duobus istis principiis coæternis a vera sapientia humana, a sacrarum literarum testimoniis discesserunt. Cumque hinc pepererint peccato προὕπαρξιν, falsum est ex falso cõsequens.*

Maiorem sic probo: *Sapientia humana ab effectis ad causas progrediendo, ne in infinitum euagaretur, necessario in vno aliquo æterno conquiescendum esse statuit: Et sacræ literæ vnum solummodo Deum æternum tradunt, vt supra in loco de Deo probatum est.*

II.

Quicquid ante peccati ingressum in mundum vere exstitit, id omne (præter Deum) fuit a Deo creatum bonum. Sed peccati natura præexsistens non potuit esse bona, nec a Deo creatum est aliquid, quod bonum non fuerit. Ergo, *Ante peccati in mundum introitum non exstitit eius materia.*

Maior verissima est Genes. 1. *Viderat Deus quæ fecerat, & erant valde bona.* Hoc dictum loquitur de exsistentibus ante peccati ingressum, & postea creator ab omni opere quieuit, vt præter illa bona nihil amplius exstiterit. Ioannis 1. *Omnia per λόγον facta sunt, & sine ipso nihil quod factum est.* 1. Ti-

moth. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Minor hac in parte, quod materia peccati, ex qua nõ potuerit esse bona, apud veteres Manichæos fuit indubitata. Sed quia recentes ex bona essentia contendunt productam malam transmutatione essentiali, ideo aliter hic occurrendum.

Aliud argumentum contra recentes Manichæos peccatum originis ex substantia praexsistente bona producentes per essentialem transformationem.

Omnis essentialis transmutatio vera Dei est creatio, siue originem, siue propagationem spectemus. Peccatum autem vera Dei creatione non exstitit. Ergo, *Essentiali transmutatione peccatum non exstitit.*

Maior est verissima: Nam Deus essentiali transmutatione luti & costæ primordio creauit Adamum & Euam, ex eo etiam, quod hominum & aliarum creaturarum, quæ essentiali transmutatione generantur, propagationẽ instituit & seruat, creator eorundẽ est & manet, etsi homines peccatores facti sint. Gen. 2. *Deus dicitur quieuisse ab omni opere, quod creauerit, vt faceret.* Ergo Dominus quiescens etiam ab opere primæ creationis, creator tamẽ est propagationum, quia ita creauit opus primum, vt porro a se fieret, quod futurum instituit. Gen. 6. *Delebo hominem, quem creaui.* Esaiç 63. *Tu Domine pater noster, a seculo nomen tuum;*

tuum, hoc est, nullo seculo cessauit hoc nomē Dei, quod creator esset omnium. Quod enim de creatione, qua pater est omnium, loquatur, ostendit subiectum redemtionis, ex qua alia & noua oritur paternitas. Et cap. 64. sic loquitur propheta, *Domine Domine pater noster esto, nos vero lutum, & fictor noster tu, & manuum tuarum opera nos omnes.* Acto. 13. *Deus fecit ex uno sanguine omne genus hominum.* Heb. 3. *Qui creauit omnia Deus est.* Iohan. 2. Christus essentiam in mutatione aquæ in vinum probat gloriam suam, quæ capit. 1. dicitur gloria vnigeniti. Quod si vero hæc vis non esset Domini propria, claudicaret prædicatio Euangelistæ, & Christi inuentio, qui se verum Deum inde demonstrare voluit. Minor non indiget multa probatione. Nam Deus, qui est absq; omni iniquitate, rectus & iustus est, *Deu.* 32. Qui quod odit omnes operantes iniquitatem *Psal.* 5. iniquitatem non faciet. *Sopho.* 3.

PROBATIO QVOD PECCAcatum non sit οὐσία & substantia.

Argumenta hic possent multa proponi, sed sufficient nunc pauca, quæ primum generali Syllogismo colligemus.

Dogma euertens articulos fidei Christianæ de Deo huius creatione, filii Dei incarnatione, hominis redemtione, iustificatione & saluatione, sanctificatione, deq; resurrectione carnis nostræ,

& saluatione eiusdem cum anima sua, id nihil minus est quam verum & Christianum. Flacii dogma de substantia peccati tale est. Ergo *falsum & omnibus Christianis fugiendum.*

Maior inter Christianos principii loco est, etsi ab hostibus Christianismi in partibus multis vocetur in dubiũ: cumq; Christianis probandum sit, quod instituimus, maior coram ipsis laborans non indiget confirmatione. In minore opus est probatione, quam sequentibus syllogismis præstabimus, vtq; refutatio sit angustior, ea afferemus, quæ vniuersaliter peccatum censeant. Etsi de peccato originis præcipua quæstio mota sit. Qui vero omnia negat, nihil concedit.

II.

Dogma quod Deum peccato, vt auctorem implicat, id Deo inuisum & infestum est. Flacius, docens peccati essentialitatem, ipse sese expedire nequit, quin Deum aliquam causam eius faciat. Ergo *Dogma Flacii de substantia peccati Deo inuisum & infestum est.* Maior & minor constant firmamentis & allegatis iis, quæ de ἀυθυπάρξει peccati prius sunt tradita.

III.

Dogma, quod creationem, opus soli Deo proprium, cum Diabolo communicat, Diabolicum est. Hoc facit opinio tradens peccatum, quodcunq; illud sit, proprie dictum esse substantiam, itaq; & Flacii dogma, quo istud de peccato originis statuitur, Ergo. *Quicunq; aliquod peccatum*

uatũ proprie dictũ substantiam fecerit, & *sic etiam Flacius peccati originis essentiam fingens in Diabolico errore versatur.* Huius quoq; argumenti præmissæ constant. Promissa de ϖροϋπάρξει & de preexsistentia tractatione, quodq; de proprie dicto indicatur, id declinat paratum schema Manicheorum, qui figurate dictis, tanquam propriis abutuntur.

I I I I.

Incarnatio filii Dei est, quod λόγος ἀΐδιος ἀϊδίου θεοῦ assumsit carnem & animam, carni & nostræ & animæ etiam ante purificationem per omnia excepto peccato similẽ, & sic in primis coessentialem. Qui vero docet carnis vel animæ nostræ substantiam esse ipsum peccatum quodcunq; etiam intelligat proprie dictum, is nostræ speciei & substantiæ carnem & animam Christo non concedit. Ergo, *Idem negat incarnationem secundum veram suam definitionem,* Maioris probatio petatur ex thesi quarta, quam de Deo supra proposuimus explicauimus & muniuimus.

Vt enim breuiter hic aliquid annotemus, obseruetur ex cap. 2. ad Hebr. quod fratrum appellatio ex speciei cognitione seu coessentialitate deducitur, & *qui sanctificat*, *Epistola* inquit, & *qui sanctificatur ex vno omnes propter quam causam non erubescit fratres eos appellare.* Ex quo testimonio sic pronuntiat formula concordiæ, veteres dixerunt Christum nobis fratribus suis consubstantialem

esse secundum assumtam naturam: quia naturam, quæ excepto peccato eiusdem generis, speciei & substantiæ cum nostra est, assumsit, & contrariam substantiam manifestæ hæreseos damnamus, & sicut in dicta thesi 4. de filio Dei citauimus sententiam symboli Athanasii: ita huc ascribamus solum Cyrilli, qui de recta fide ad reginas inquit: *Si quis non confitetur carnem Domini ex sancta virgine esse hominibus consubstantialē, anathema sit.* Et Chalcedonense concilium Christum vocat nobis consubstantialem secundū humanitatem. Hæc autē doctrina nō solum conuersi, sed etiam conuertendi hominis naturam respicit. Ergo peccatum non mutat ὁμοιουσίαν istam. Minor per se manifesta est: Non quod substantiam suam mutat, id speciem mutat, quodque speciem mutat, cuius tamen est incarnatio, hoc ipsam incarnationem inficiatur. λόγος enim non angelos, nec aliam quandam essentiam, quæ humanitas non sit, sed semen Abrahæ assumsit.

Diligenter autem notandum est, cum alia occasione hic ipse nūc in Ecclesiā reuertatur error. Sunt enim qui propter vbiquitatem numquā probatā docent aliā corporis Christi veritatem & definitionem, quam quæ sit nostrorum corporum, quod ipsum non est nisi alterius speciei corpus. Quomodo enim speciem non mutaret quod definitionem secundum suam veritatem mutat. Memorabile

vero hoc est Ambrosii dictum, Epistola 22. *Eadem in Christo corporis est veritas atq; in nobis.* Et Ignatius ad Smirnęos, *affixus est cruci in vera carne, ex qua & nos sumus.* Et Tertullianus in lib. de carne Christi Marcionem Basilidem, Valentinum & Apellem refutans, similitudinem carnis, quæ nostrę non sit substantiæ vel speciei, imaginem corporis & non veritatis appellat. Magna igitur cœcitas est, quod ii, qui Flacium refutarunt, aliam tamen veritatem carnis Christi, quam nostræ fingunt, & ista refutatione salua confidunt suum figmentum consistere posse.

V.

Christus totam hominis peccatoris substantiam redemit.

Nullum autem peccatum proprie dictum redemit. Ergo.

Nullum peccatum proprie dictum erit substantia.

Maior est verissima, ideo enim Christus perfectus homo, anima rationali & carne humana subsistens, vt Athanasianum symbolum loquitur, vt nostra corpora & animas, quibus homines sumus, redimeret. Propter nos homines & propter nostram salutem, inquit symbolum Nicenum, descendit de cœlo & homo factus est. Gal. 4. *Misit Deus filium suum natum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui legi obnoxii erant, redimeret.*

Minor de peccato proprie dicto ideo limi-

tatur, quia homo legi obnoxius, quod ſit reus peccati, vocatur peccatum, & tamen redimitur. Eſtq; redimi ab exitio aſſeri, quod non contigit peccato, ſed Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate.

V I.

Homo peccator per fidem iuſtificatur.

Peccatum autem nunquã iuſtificatur. Ergo.

Homo peccator non eſt ipſum peccatum. Itaq; peccatum non erit hominis ſubſtantia iuſtificandi. Maior exſtat ad Rom. 4. *Si quis non operatur, credit autem in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua pro iuſtitia.* Eſt autem iuſtificare hoc loco remiſſo peccato iuſtum reputare, vt probatur ibidem ex 15. Gen. & Pſal. 32. hoc eſt, miſeretur Deus hominis deleto peccato *vt Pſal. 51. loquitur.* Minor peccatum nunquam iuſtificatur, etſi enim in iuſtificatione remittitur & non imputatur peccatum, tamen ipſum non iuſtificatur, cum aliud ſit, cui remittitur, aliud quod remittitur. Præterea remiſſionem debet excipere iuſtitia, vt vera ſit iuſtificatio, atq; peccato Deus non defert laudem iuſtitiæ, cum Eſa. 5. dicat: *væ quod dicitis malum bonum & bonum malum.* Eiuſdem rationis eſt ſanctificatio. Peccatum enim nõ tam ſanctificatur, quam non iuſtificatur, quia omne ſanctum iuſtum & omne iuſtum ſanctum, & contra omne non iuſtũ, non ſanctum, omneq; non ſanctum, non iuſtum.

Tota

Tota autem substātia hominis iustificabitur, 1. Thes. 5. Obseruatu autem hoc loco dignum est, quod metamorphosis Flacii, quæ substantiam bonam in pessimam transiisse dicit, substantialiter postulet iustificationem & regenerationem hominis peccatoris per conuersam transmutationem essentialem, de qua etiam sic ipse statuit in orthodoxa cōfessione. pag. 162. *Substantia hominis*, inquit, *quæ vocatur peccatum, regenerata & transformata erit iustitia & imago Dei.* Antequam autem in hunc errorem prolaberetur in libro de voce iustificationis pag. 172. sic scripsit, & quidem rectissime, vt *iustificatio non est essentialis transmutatio, sic nec regeneratio, & qui illam asserunt Osiandrismi astipulatores, sunt autem aliorum horrendorum errorum auctores vel patroni.* Hæc Flacius seipsum conuincens.

VII.

Quæcūq; substātia ipsa resurget atq; trāsferetur in vitam æternam, ea non fuit peccatū ipsum.

Sed substantia corporis atq; animæ illius hominis, qui peccator fuerat, & in domino obdormiuit, resurget atq; transferetur in vitam æternā.

Ergo *substantia hominis non fuit peccatū ipsum.*

Neruus argumenti dependet ex eo, quod illa ipsa substantia, quæ sic corrupta fuit, induta in corruptione, visura sit Dominum, vt 1. Cor. 15. & Iob. 19. clare docetur. Sed confirmatio sequentis huic porro succurret.

VIII.

Tota substātia hominis peccatoris fide saluatur.

Nullum autem peccatum saluatur. Ergo,
Substantia hominis non est ullum peccatum.

De maiore teneatur quod Tertullianus libro de resurrectione carnis ex Paulo vrget: *age iam, inquit, quod ad Thess. ipsius solis radio putem scriptum, ita claret, qualiter accipiant lucifugæ isti scripturarum. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, non sufficit, sed sequitur, & integrum corpus vestrũ & corpus & anima, & spiritus sine querela conseruentur in præsentia Domini.* Habes omnem substantiam saluti destinatam. Minor ex argumento 6. confirmatur. Quod enim non iustificatur, non saluatur, quod etiam destruitur, id non saluatur. In hoc autẽ apparuit filius Dei, vt destruat opera Diaboli 1. *Iohã.* 3. Quę opera ab eodem appellantur peccata. Illyricus, vt pertinaciter suam teneret opinionem in Orthodoxa confessione. 229. pag. hoc affirmauit Paradoxon, *ipsam substantiam hominis abolendam esse*, cum tamen Matth 18. dicatur, *quod Christus venerit saluare quod perierat.* Notentur & hæ per horrendæ orationes Flacii in orthodoxa confessione pag. 160. *Quod Deus cum præsenti pessima substantia non redeat in gratiam, sed quod illa substantia exscindatur plane & amoueatur.* Item, *tradi eam vermibus deuorandam & abolendam, Deum seuerissime iubere carnem & sanguinem longissime ex oculis conspectuq́; ad coruos vermesq́; amoueri.* Hæc ille.

Iu-

Iuste vero ille ad κόρακας relegandus esset, qui coruis creaturam, spem nostram salutem a Deo promissam proiecit abolendam.

V. THESIS.

Peccati propria forma est ἀνομία & iniquitas, ideoque accidens.

EXPLICATIO.

HVc pertinet declaratio Thesis primæ, & quia recens est habita disputatio de peccato accidente, inde etiam probatio in promtu erit.

VI. THESIS.

Proprium peccati est offendere Deum, & mereri maledictionem & iram.

EXPLICATIO.

ANομία & discrepantia a lege differentia est specifica. Offensio autem Dei & hanc sequens maledictio, proprium est peccati, illa peccatum constituit, hæc constitutum sequitur. Hæc proprietas, vt discrete iudicetur, notetur discrimē reatus personæ & peccati. Peccatum enim per se Deum offendit & damnatur semper: Persona per & propter peccatum accusatur, nisi sit remissio. Discāt igitur adolescentes respondere ad hoc argumentum Manicheicum.

Quidquid lex Dei damnat & accusat, vere est peccatū. Sed lex accusat & damnat totū hominem. Ergo *Totus homo est peccatum.*

Maior manifeste falsa est: Lex enim in concreto loquens maledictus omnis, qui non fecerit omnia, damnat & subiectum & ἀνομίαν in ipso distinctissimam, & hanc quidem nō propter aliud, ideoque per se. Illud vero propter hanc videlicet ἀνομίαν, ideoque per accidens. Non igitur omne, quod damnatur a lege, vere est peccatum, id est, peccatum ipsum per se, vt idem a se ipso distingui nequeat. Quis vero non videt harum locutionum, *lex accusat aliquid*, &, *lex accusat propter aliquid*, *substantia quidem hominis accusatur*, sed *non propterea quod substantia est*, *sed propter peccatum, quo contaminata est*. Hic vero obiicitur, qui ausimus negare Deum hominem non accusare propter malam substantiam suam. Non vero idem est dicere accusari hominem propter substantiam suam, & propter malam substantiam: Deinde propter malam substantiam accusari hoc non vult, quia substantia sit peccatum ipsum, sed quia substantia sit peccato corrupta, vnde in accusationibus & damnationibus diuinis distincte appellantur, subiectum & causa propter quam, nec iniustus est Deus, qui homines prauos damnet, & si substantia ipsa id ipsum non sit peccatum, quod Deum offendit. Etsi enim quæ cōdiderit Deus in peccatore reperiat, quia tamē homo natus est ex Adamo, cuius substātia rea facta est propter transgressionē, idemq; homo caret insuper originali iustitia debita ipsi inesse, & præterea

terea circumfert ἀνομίαν & ἀταξίαν in reliquiis creationis & debiti & priuationis ratione, iuste agit cum arguens a coniugatis, vt Lutherus loquitur, damnat & subiectum & vitiũ simul.

CONFIRMATIO.

Psal. 89. *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Esa. 10. *Indignatio & furor meus super scelus eorum.* Esa. 13. *Visitabo impios & iniquitatem eorum,* & cap. 24. *Quia transgressi sunt leges propter hæc maledictio vorabit terram,* cap. 59. *Iniquitates vestræ* &c. Ieremiæ 13. *Qui si dixerint in corde suo quare veniet mihi hæc? propter multitudinem iniquitatis suæ,* & cap. 24. dixerat: *egrediatur, vt ignis indignatio Domini propter malitiam cogitationum hominum.* Et cap. 33. *Abscondens faciem propter malitiam eorum.* Threnorum Ier. 1. *propter multitudinem iniquitatum eius paruuli ducti sunt in iniquitatem.* Thren. 3. *Peccauimus & inobedientes fuimus, igitur merito non pepercisti.* Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Item, *In præuaricatione, quam præuaricatus est, & in peccato, quod peccauit, in ipsis morietur.* Rom. 8. *Corpus mortificatur propter peccatum* ad Coll. 3. *Qui peccauit reportauerit peccatum suum.*

VII. THESIS.

Remissione peccatum tollitur, non vt non sit, sed vt non imputetur.

EXPLICATIO.

THesis est Augustini, qui lib. 1. de nuptiis, & concupiscentiis ad Valerium scribit,

dimitti concupiscentiam carnis in baptismo non, vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur, vt de baptismo paruulorum, citante Gratiano distinctione quarta de consecratione per baptismum inquit: *id agitur, vt caro peccati euacuetur, non enim sic enacuatur, vt in carne concupiscentia non sit innata, sed ne obsit*. Hanc vero Thesin ideo ponimus, vt declaretur, quod in definitione peccati additur, *nisi sit facta remissio*. Non: quia definitioni peccati addita est hęc clausula, *cogitetur*, quod ad peccati naturam pertineat promissio: sed adiicitur ideo, quod eius naturam tollat. Quod enim remissum est, id Deum offensum non ostendit, ideo proprium quoddam peccati tollitur, quod quomodo fiat, considerandum.

Peccatum autem non potest mutari in iustitiam, sed ἀνομία est, & remanet ἀνομία. Quod si peccatum manet, qui non seruabit peccatũ proprium? hic respondeo, remissio non tollit ἀνομίαν de peccato, vt ipsum peccatum iustificetur, sed remissio fit personæ, cuius est peccatũ. Ab hac igitur tollitur, quod peccatũ fecerat personã reã, id est, iniustã, Deo exosam, & damnabilem. Sublato autẽ, hoc reatu, persona placatur Deo, peccatum vero ipsum non reconciliabitur Deo, sed in remissione, vt detestabile malum, & non nisi Christi morte, id est, damnationis exsecutione expiabile declaratur. Sic tamen tollitur, vt quod actuale fuit, & cum actu fugaci præteriit, obliuione etiam sepelia-

ſepeliatur, ne pœnitenti imputetur aut noceat. Vitiū autem in natura hærens non ſolum reatu quo perſonam infecit, amittit, ſed & ipſum tegitur, non vt non ſit, ſed vt non appareat in conſpectu Dei propitii, nec imputetur poſſeſſori reconciliato cum Chriſto. Lutherus in refutatione Laconiana, inquit, *Nihil differt peccatum a ſe ipſo ſecundum naturam ſuā ante gratiam & poſt gratiam.* Philippus in propoſitionibus de peccato reliquo in ſanctis: *hæc mala, hoc eſt, ipſa naturæ prauitas & motus inde orti etiam in renatis, ſunt ſua natura peccata, etiamſi condonentur renatis. Magnes eſt lapis trahens ferrum niſi impediatur. Si allio tinctus fuerit non trahit ferrum, & tamen natura magnetis manet.*

CONFIRMATIO.

Exod. 34. De Iehoua miſericorde dicitur, *quod innocentem faciendo ſeu abſoluendo innocentem non faciat.* Pſal. 143. *Ne intres in iudiciū cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* 1. Iohan. 1. *Si dixerimus quod peccatum non habeamus nos ipſos ſeducimus.* Pſalm. 32. *Beatus cuius remiſſæ ſunt iniquitates.* Eſaiæ 38. *Proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* Ieremiæ 31. *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati ipſorum non recordabor amplius.* Mich. ſeptimo. *Reuerſus miſerebitur noſtri, ſubiugabit iniquitates noſtras, in profundū maris proiiciet omnia peccata noſtra.*

Psalm. 32. *Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus*. Matth. 6. Cum oratis, inquit Christus, dicite, *Pater noster dimitte nobis debita nostra*. Sic Paulus quidem dixit: *Nulla nunc condemnatio his, qui sunt in Christo*, Rom. 8. Sed Paulo ante dixerat in fine cap. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*.

VIII. Thesis.

Peccatum aliud est originale, aliud actuale.

Explicatio.

Distinctio necessaria est propter Pelagianos, qui nullum peccatum, nisi actuale tantum constituerunt. Ad refutationem erroris huius hæc fundamenta notentur. I. Adamum etiam peccasse & peccato suo suam perdidisse integritatem naturæ. II. Adamum naturam propagasse corruptam. III. Posteros Adæ istius corruptionis grauiter a sacris literis accusari.

Confirmatio Primi.

Adamum non peccasse actualiter, sed propter id etiam spiritualiter mortuum esse, arguit cōminationis diuinæ veritas Gen. 2. *Die qua comederis de arbore scientiæ boni & mali morte morieris*. Etsi enim hoc dicto comprehensa fuit etiam mors æterna, quæ intercessione mediatoris cum Adamum credentem non

non opprefſit, tamen lapſus primus homo corruptionem contraxit ſpiritualem, quæ nõ ſolum eſt iuſtitiæ, ſanctitatis & vitæ Spiritus amiſſio, ſed etiam quod ſuperſtes manſit perditio, fœditas & mors, *Omnes peccauerunt & carent gloria Dei ad* Rom.3. *Omnes quoque corrupti & abominabiles ſunt facti. Non eſt qui faciat bonum ne vnus quidem*, Pſal.14. Quo iure vero hinc excludetur Adam, præſertim ſi ſequens Theſis fundamenta conſiderauerimus, quæ iſtam corruptionem Adami in alios reliquos translatam teſtantur. Grauis eſt argumẽtatio Pauli 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus ſuit, nempe omnes fuerunt* mortui, neruũ vniuerſalitatis, qua Apoſtolus nititur, illuſtrat hæc conſideratio, quod prima promiſſio Chriſti ad conterendum caput ſerpentis in calcaneo conterendi ſcilicet Chriſti morituri facta ſit Adamo, ipſum igitur mortuũ fuiſſe neceſſe eſt. Huc pertinet oppoſitio Adami & Chriſti ad Rom.6.& 1.Corin 15. Quid porro vetus eſt homo, quam Adami primi hominis corrupta natura. Vetus autem homo corrumpitur κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, *ſecundum cupiditates deceptrices*, cum nouus videlicet, qui eſt Adam integer & renouatus ſecundum Deum conditus ſit in iuſtitia & ſanctitate vera ad Epheſ.4. Sed Propoſitio ſecunda hæc explanabit & ſtabiliet.

CONFIRMATIO SECVNDI.

Gen. 4. *Adam genuit filium ad imaginem*

suam, hic vero erat Cain, quem ait Ioannes fuisse ex malo 1. Epistola 3 cap. Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors & ita in omnes homines mors transiit.* ἐφ' ᾧ, *in quo videlicet Adamo, omnes peccauerunt.* Ac ne istud de incitatione tātum incitatur, diserte additur, *regnauit mors ab Adamo vsque ad Moysen in eos quoque, qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adæ.* Hoc testimonium tam forte est, vt Pelagiani particulā negatiuam expunxerint, quam tamen Augustinus lib. 1. De peccatorum meritis & remissione peccatorum cap. 11. in sui temporis exemplaribus exstitisse testatur. Nata autem fuit hæc controuersia in senecta Augustini, atque sic falsa est distinctio Origenis, qui in omnes peccatum quidem introiisse fatetur, sed in omnes regnasse negat. Est & hoc ponderosum, quod ad Rom. 5. dicitur, *vnius debito mortui sunt multi.* Item, *reatus ex vno delicto ad condemnationem.* Item, *per vnū delictum regnabit mors per vnum.* 1. Corin. 15. *Quia enim per hominem mors, per hominem etiam resurrectio mortuorum, sicut enim in Adamo omnes morimur, ita in Christo omnes viuificamur.* Est autem hæc viuificatio non solum resurrectio secunda, sed & prima, vt Apocal. 20. distinctius traditur: *Quotquot enim baptisati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptisati sumus, sepulti igitur sumus per baptismum in mortem* Rom. 6.

Con-

CONFIRMATIO TERTII.

Gen. 6. *Omne figmentum cordis humani tantum malum omni die.* Gen. 8. *Figmentum cordis humani,* &c. Iob. 14. *Quis dabit mundum ex immundo.* & Iob. 15. *Quis est homo, vt mundus sit, & vt iustus habeatur natus de muliere.* Psalm. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ierem. 17. *Prauũ est cor hominis & imperscrutabile.* Christus quoque Matthæi 12. diserte distinguit inter malum thesaurum, ex quo istud promitur. *Malus,* inquit, *homo, ex malo thesauro profert mala.* Item, *arborem prius malam ponit, quam fructum malum, quæ est præclara peccati originis ab actuali distinctio.* Rom. 7. De se renato loquens Paulus inquit, *se facere quod oderit.* Item, *quod nolit, quod in se habitet peccatum illud perpetrans & efficiens, tandemque dicit, video, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.* Eph. 2. *Eramus omnes natura filii iræ, sicut & cæteri.* Certum igitur est esse peccatum originis, nec omnia tantum actualia. Maximam autem partem hominum, inquit, *Augustinus lib. 3. de libro arbitrio cap. 2.* ista quæstione torqueri non ob aliud, nisi quod velociores simus ad excusationem, quam ad confessionem peccati.

IX. Thesis.

Peccatum originis est reatus propter lapsum Adæ & corruptio naturæ.

Explicatio.

Reatus κρίμα duo significat, & quod persona in iudicio rea sistitur culpam sustinens, & quod iudicatur seu condemnatur. *Exempli gratia*, Adam violans legẽ Dei fit nocens, quod est, reatum contrahit, quia peccatum actione commissum ipsi imputatur, ipseque eius culpa sordet, quem reatus excipit, quæ pœna dicitur, & est condemnatio, proprieque κρίμα appellatur in priori significatione peccati in posteriori iustitiæ formam recipit, omnia siquidem opera Dei, qualia etiam sunt iudicia, iusta sunt. Cum igitur peccatum originis dicitur reatus, intelligenda est prior significatio, illã enim noxam lapsus sui non solum Adam recepit, sed etiam quicquid ex eo natum est, natum est carnis eandem merito sustinuit. Quis enim, mundum dabit de immundo, *Iob*. 14. Cum autem hæc sit relatiua oratio, & reatus formale sit, quæritur de materiali. Hoc vero, dum reatus in nobis censetur in Adamo constituere absurdum est. Nunquam enim materiale & formale subiectis distrahuntur, sed cum materiale subiecti vicem solummodo subeat, suo modo tam non potest in alia persona constitui, quam accidẽs tuum,

qua-

quatenus tuum non poteſt ab altero ſuſtentari, ideoque reatus hic non appellatur Adæ, ſed reatus propter lapſum Adæ, vt Apoſtolus Paulus loquitur Rom.5. τὸ κρίμα ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα id eſt, *reatus ex vno in condemnationem.* Adæ enim ſuus & vnicuique poſterorum ſuus proprius eſt reatus. Cauſa autem vna eſt, ſeu ex vnius delicto. Sicut autem Adam procreauit filios ad imaginem & ſimilitudinem ſuam *Geneſis quarto*. Ita quidem reatus propagatus eſt ex Adamo in omnes filios, ſed vt hi ſinguli ſunt, ita ſingulis etiam reatus eſt peculiaris, quomodo perſonæ ſingulæ materiale præſtant, quia ſunt res reæ, quarum reatus eſt peccati originalis. Sed ex parte, quatenus imputatio tranſgreſſionis Adæ propagatæ intelligitur. Eſt autem homini non ſolum reatus ille communicatus, ſed ſicut Adam præter culpam, quam παραβάσει contraxit, iuſta Dei ira & condemnatione amiſit imaginem Dei & corruptioni traditus eſt mente, voluntate, & corde: Ita vitium iſtud στερήσεως & ἀταξίας tranſtulit in ſuæ carnis propagationem, quod vitium, vt magis conſpicuum, promtius eſt, ad definiendum peccatum originis, non tamen eſt omittendus ille, quem explicando promiſimus reatus. Hic vero materiale eſt ipſe defectus ipſaque prauitas, quæ ſuo reatu ſordet, qui vt a priori diſtingui debet, ita ſine illo non dabitur. Hæc diſtinctorum &

coniunctorum consideratio valde vtilis est, quia enim non potest negari peccatum originis consistere in imputatione, distinctio partim respiciens suggerit hæc, secundum quid dici. Coniunctio vero monet in reatu isto non esse detinendam peccati considerationem, quemadmodum Pontificii faciunt, sed reatu adhuc alium agnoscendum, vt si omnis reatus tollatur, quemadmodum fit in iustificatione personæ, primus quidem ablatus ostendat hominē purum a reatu propter lapsum Adæ, sed moneat de iudicio alteri reseruando. Vt enim in priori materiale, hoc est, ipsa persona manet, ita in posteriori quoq; materiale manet, etsi reatus sit sublatus a persona reconciliata, vt videlicet peccatum, licet sit, non imputetur tamen credenti. Vt hoc rectius intelligatur duplex formale originis peccati consideretur, defectus nim. & reatus. Formale prius dat esse peccati. Estque propria forma peccati & cum defectus appellatur, non nudus ille intelligitur, sed in subiecto corrupto, vt complectatur & carentiam & fœditatem in subiecto, quæ ambo defectus cum sint, illo nomine accipiuntur. Formale posterius quidem est istius peccati proprium, reatus nimirum ex ἀνομίᾳ resultans, & personam defœdans, sed sequens rem constitutam, istud formale non potest tolli, quin aboleatur peccatum omnino, posterius vero aliquo modo tolli potest, vt peccatum tamen maneat. Quidam formale

peccati

peccati in baptiſmo a perſona, ſed non a peccato tolli dicunt. Peccatum enim, quod manet non iuſtificatur, nec ferret iuſtitia Dei, cuius vox eſt: *Væ qui dicitis bonum malum & malum bonum*, Eſa. 5. Tollitur igitur reatus perſonæ, reatus autem, qui peccati eſt, ſicut ipſa ἀταξία remanēs in perſona tegitur. Quamobrem Dauid, Pſalm. 32. *Beati ſunt quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, inquit: Et non ſolū perſonæ remittitur peccatum, vt non imputetur, ſed peccatum ipſum tegitur, etſi non ſtatim exſtirpetur. Hanc doctrinam egregie illuſtrauit Dominus Melanchthon in loco de peccato originis, ad quem auditores remittimus.

CONFIRMATIO.

Sedes doctrinæ de reatu propter lapſum Adæ, vt etiam alterius partis de corruptione, qui eſt mors ſpiritualis habetur cap. 5. ad Rom. *Reatus ex vno ſcilicet delicto ad condemnationem*. Item, *ſicut per vnum hominem delictum in omnes propagatum eſt ad condemnationem: ita per vnam iuſtificationem in omnes homines propagatum eſt bonum ad iuſtificationem vitæ*. Huc pertinet dictum, Gen. 4. *Adam genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Eramus natura omnes filii iræ*. Epheſi. 2. De defectu nobilis eſt ſententia Rom. 3. *Omnes peccauerunt, &c.* De corruptione & morte ſpirituali præcedenti Theſi ſubiecta ſunt teſtimonia.

X. Thesis.

Defectus, qui est peccatum originis, non est quiddam positiuum.

Explicatio.

IN præcedentis propositionis explicatione innuimus, quod defectus non significet nudam στέρησιν, id quod videtur ita accipiendum esse, quasi quiddam positiuum ad constitutionem seu formam peccati assumendum sit, qua in re multi etiam ex præcipuis doctoribus hallucinati sunt, præsertim cum aliorum κατάχρησιν non intelligant, & sic dicta proprie explicare velient. Sciatur autem defectum dici modum, qui sola priuatione constat, ita vt in subiecto nihil vitii præter solam amissi absentiam relinquat, veluti si virgo corollam deponat, cuius amotio nihil importat labis, quæ caput virginis vitiet. Grauior postea defectus est, si corruptæ per iudicem in notam impuritatis auferatur, vt enim peccatum puellæ polluit personam reatu, sic spoliatio ornamenti virginei eius reatus quasi stigma relinquit, nec tamen hæc στέρησις sufficit ad peccati originis grauitatem, quia non solum amissa sunt imaginis Dei præstantissima bona, nec tantum reatus admissæ culpa inuasit peccatorem, & eius propagini adhæret, verumetiam secuta est infamis subiecti fœdior deprauatio, quam mens hominis æsti-

mare aut lingua nostra effari possit. Hic igitur quæritur, num peccatum originis vergat ad rei positiuæ naturam, istaque exaggeratione priuationis seu defectus limites excedat. Sed respondendum est, defectum istum aggrauatum quidem, sed non desiisse defectum esse. Quicquid enim est peccatum, quantumcumque sit, horrenda sua forma nihil aliud est, quam ἀνομία siue defectum eorum, quæ adesse debebant, siue etiam reatum & corruptionem in iis, quæ restāt, aspexeris. Ἀνομία autem ipsa appellatione στερητικὴν ostendit rationem

Accedit, quod rei positiuæ, quæ non est priuatiuum sed aliquid, auctor sit creator. Hic autem solus Deus, qui peccatum nec velit nec faciat, non enim substantiam solā creauit Deus, sed omnia etiam accidentia, excepto peccato. *Gen.* 1. Et Ioh. 1. inquit: *Omnia per* λόγον *facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Sic Apostolus Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Quomodo rerum positiuarum siue sint substantiæ siue accidentia, creatio soli Deo asseritur, omninoque creatura Dei bona est. 1. Tim. 4. Ergo peccatum originis nō erit quiddam positiuum, quod creatorem Deum requirit.

CONFIRMATIO.

Probatio explicationi inest & sufficit hoc vnum argumentum quod peccatum originis

tota sua forma sit ἀνομία, id est, defectus, quæ est priuationis appellatio gradui etiam summo conueniens.

XI. THESIS.

Peccatum actuale est, quæuis hominis actio, siue interna, siue externa pugnans cum lege Dei.

EXPLICATIO.

PEccati perpetua forma est ἀνομία & pugnantia cum lege Dei, siue genus, siue speciem consideres, nec species peccatorum recensentur ideo, vt aliud quiddam cogitetur, quod peccatum confirmet per se, sed quia illa ἀνομία hæret, vel in natura ipsa, vel in actionibus, sumitur discrimen ab hac inhærentia: sicut autem accidentia alia sunt corporis, alia animæ, nec tamen subiectorum natura substantialis transformatur & transit in accidentalem, sic nec hominis natura, nec eiusdem actiones sunt cum forma peccati confundendæ. Et si natura reatu & corruptione sui peccatum originis, actio vero, sua prauitate actuale peccatum cognoscendum præbeat, sic cum actio sit quiddam positiuum, & aliter per se consideratur, nimirum vt opus & donum Dei iuxta dictum, in ipso viuimus, mouemur & sumus, *Actor*. 17. Aliter vt actio praua, manifesta est distinctio inter actionem & prauitatem eius, id quod verbis Melanchthonis explicauimus, qui in loco causa peccati sic docet:

docet: *De peccato actuali multorum sunt intricata quaestiones sed hic facile est intelligere defectus, si intuearis non solum facta, sed mentem regentem facta. Eua comedens pomum non regitur luce Dei: istud non regi luce Dei, & voluntatem a Deo auersam esse, defectumq; esse, non obscurum est etsi interim accedant motus externi & interni, qui sunt res positiua, etsi motus sint errantes & quadam ordinis confusio.*

CONFIRMATIO.

Huc referenda sunt multa testimonia ex thesi 8. quae diuisionem peccati originis & actualis probauit. Matth.5. Christus nō tantū adulterii opus externum accusat, sed etiam concupiscentiā alienę mulieris, arguit moechationis, quae in corde committatur. Sic non tantum occidere, quod externo opere perpetratur, sed etiam conuitiari, ꝙ per ipsum, modo exterius perceptibili, lingua peragitur aut gestibus, sed etiam irasci ꝙ interius in corde fit, accusatur, nec tamen rem ipsam sed etiā appellationes suppeditat Christus. Nam Luc. 11. loquens de Pharisęis, habentibus tantū externa scelera pro peccatis: internā vero πονηρίαν non agnoscentibus, peccatorum aliud τὸ ἔξωθεν nuncuparunt, aliud τὸ ἔσωθεν. Haec vero coniungere est peccatū plenius cognoscere, sicut Paulus testatur ad Rom.7. cum ait: *Peccatum non nouissem, nisi lex dixisset, non concupisces.*

Vnde rurſus confirmatio hæc, quod lex interna & externa expreſſe notet.

XII. Thesis.

Etiam omiſſione eius, quod debemus, peccatum perpetratur.

Explicatio.

Peccatum actuale diſtinguitur in commiſſionis & omiſſionis peccatum, & tamen omiſſio conſtat abſentia actionis, ſed, omiſſa ſubtilitate, peccatum committitur ſiue agendo malum, ſiue omittendo bonum fiat. Sicut enim peccatum originis eſt carentia glorię Dei & inhęrens corruptio: ita in actuali & omiſſio eius, quod fieri oportebat, & commiſſio eius, quod omitti oportebat, coniunguntur & apparet actionis quædam ratio in negligentiæ & ignauiæ conſideratione, præſertim cum ſciens, quid faciendum ſit, volens negligit facienda, cumq; ignauia vel etiam nihil agendo, vt Seneca loquitur, vita tranſigatur, negligentia, haud plane ab actuali peccato eximetur. Eſt tamen de re potior quæſtio, & commiſſionem & omiſſionem, ſi contra legem Dei ſint, accuſari.

Confirmatio.

Deu. 27. & Gal. 3. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*. In Hebræo eſt Aſcher, qui non ſtatuerit verba legis, vt faciat ea: In Paulo ὃ οὐκ ἐμμένει, qui

qui non permanet. Vtrobique enim omiſſio arguitur: Ierem. 48. *Maledictus qui opus Domini negligenter facit.* Matth. 7. *Quacunq; arbor non fert fructum bonum, exſcinditur & in ignem conijcitur.* Matth. 25. Exprobrantur damnatis peccata omiſſionis, & quando ignoratio prętenditur, tandem additur: *Amen dico vobis, quatenus id non feciſtis vni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis.*

XIII. THESIS.

Alienum peccatum communicatione poteſt fieri noſtrum.

EXPLICATIO.

PEccati ſeu lapſus Adæ communicari poſteris ſupra dictum eſt. Hic de tali communicatione propagationis naturalis non agimus, ſicut nec de ea, cum quis ſeſe ad exemplar facinorum alienorum componit, quomodo alieno quidem communicat imitatione, quod tamen idipſum per ſe quoq; perpetrat. Sed communicationem dicimus eam, qua quis alterius malum opus, quacunq; etiã ratione, aliud tamen agendo vel ſimulando adiuuat. De modis, quibus communicamus peccatis alienis, libellus noſter recitat Triſtichon, cuius hæc eſt ſententia: *Communicat peccatis non a ſe, ſed ab alijs factis primo, qui conſiliũ dedit, vt ea fierent. Secũdo qui aſſentiendo &*

probando causa quadam eorum fuit. Tertio, qui iubendo auctor exstitit. Quarto, qui contrectando, seu aliquid opere conferendo, auxilium suppeditat, etsi pro modo ab aliis factorum tenue. Quinto, qui receptator est eorũ eosq́ fouet, quos nouit propter molimina praua aliorum domicilia fugere, suamq́ domum, vt tutiorem petere. Sexto, qui de bonis per scelera inpetratis sciens participat. Septimo, qui scientia & cõniuentia peccatorem confirmat. Octauo, qui non obiicit obstacula, quæ in sua manu habet, vt peccatũ impediat. Nono, qui occultãdo cõmittit, ne legitime cohibeantur ab aliis conatus mali, quos ipse vel nolit, vel nequeat cohibere. Hæc tamen salua lege caritatis, quæ peccata proximi non pauca tegit, accipienda sunt. Et rursus tamen hæc ipsa lex accurate obseruanda est, ne communicet alienis peccatis, exempli gratia. Cómisit aliquis peccatum, quod sibi soli, vel aliis paucis constat, non statim reuelandum illud est in dedecus vel damnum auctoris, inprimis si lapsus sit frater infirmitate quadam, hanc si ipse agnoscit, eumque facti sponte pœnitet, ne quidem monendus erit, vt magis confundatur, si sibi in eadem blanditur docendus est amice, vt, quod nescit, nosse discat, & vitare posthac. Quod si studet fugere vitium, quod tamen sæpius preuentus naturæ impetu repetit, vt cum natura iracundus odit quidem hoc suum vitium, sibiq; cauet, quantũ potest ab occasionibus, aliunde auté ob-

obiecta anſa commouetur, antequam quod agat vel patiatur, diiudicet, talis inquam repetitio, ſi incidat nondum ſatis cauſæ, vt peccans deferatur ad alios, vel reprehendatur ob id corã aliis, nec conniuendo ad huiuſmodi vitia, quæ mutari non poſſunt, communicamus iiſdem, ſed caritatis opus illa tegere, & coram inſectatore vel acerbiore reprehenſore excuſare. Quod ſi vero non fuerint infirmitates, vel tolerabilia vitia, verum peccata malitioſe perpetrata, nec tamen publica, redimatur publ. ſcandalum, tanquam malum maius, ſilentio. Malitia autem peccatoris iuſta ſeueritate priuatæ admonitionis & adhortationis corrigatur. Quod ſi audierit te frater tuus, lucratus es eum, inquit Chriſtus, *Matth.* 18. Si vero nihil proficiatur, vel damnum proximo illatum non reſarciatur, & malum ex malo metuendum ſit, plures adhibeantur huius operis caritatis teſtes, nec quicquam omittatur, quod ad auertenda peccata & ſerpentia mala commodo fieri poſſit inter pauciores.

Atque hinc demum, ſi non ſucceſſerit, ad publicationem coram iudicibus legitimis recte deuenietur, vt Chriſtus in dicto loco docuit. Hic poteſt quoque quæri, quid faciendum, ſi miniſtro Euangelii, ſi quis in confeſſione ipſi reuelauerit peccata ſua, vel ſcelera etiam atrociora, num tacens vel diſſimulans ea communicet iiſdem? Reſp.

Si peccatum a confitente commiſſum eſt, nec ſerpit nocendo, quodcunque, & cuiuſcunq; etiam damni fuerit, infectum reddi non poteſt, quod factum eſt. Non igitur opus eſt patefactione, qua malum impediri nequit. Quod ſi etiam eius pœniteat peccatorem, & conſilium Dei quærat, auditumque ſequatur, non eſt, quod in lucrifaciendo homine amplius laboremus, nec reuelatione tentandum eſt, quod iam factum eſt. Quamobrem licet etiam, qui confitetur, in conſortio ſcelerum alios habuerit, qui continuandis iis operam dent, veluti, ſi quiſpiam furum & latronum commercium habuiſſet, & ipſe reſipiſcẽs ſeſe commiteret paſtoris alicuius cõſilio, non certe ꝓdendus eſt ille a paſtore, ſed parcendum eſt ſaluti eius, ne proditione miniſtri Eccleſiæ, cuius officii fidem implorauit, tradatur carnifici potiusque permittendum, vt ipſe ſuæ vitæ conſulat. Monendus tamen, vt niſi ipſe vere norit redimere periculum, quod a ſodalibus ipſius aliorum vitæ & bonis immineat, id efficiat vt conſortium iſtuc improbum magiſtratui patefiat. Semper enim proſpiciendum eſt, ne noſtrum ſilentium bonis damno, malis commodo ſit, quanquam re vel ipſe paſtor pro modo circumſtantiarum monere poteſt magiſtratum, vt ſceleratos obſeruet, ne noceant, quanquam & hic circumſpecte agendũ, ne præiudicio innocentes grauentur, id quod generali

rali

tali notatione non poteſt comprehendi & caueri, ſed ex circumſtantiis pluribus prudentis diſcretioni relinquendum eſt. Sed vt hanc deliberationem breuibus quaſi regulis complectamur, ita ſeſe res habet, cum occultatio peccatorum maieſtatem Dei vel proximi caritatem lædit, & rurſus, cum reuelatio ſimiliter in maieſtatem Dei, vel caritatem proximi iniuria eſt, redimenda & declaranda ſunt hæc crimina tempeſtiue, & legitima vel patefactione vel occultatione, quam circumſtantiæ ſuadebunt, ne vel malis reuelatione, vel peccatis ſilentio augendis ſilentes communicemus.

Quando vero pœnitentia Deo occurritur, & noxæ auerti poſſunt futuræ, damna etiam præterita, quantum poſſibile eſt, resarciri queunt, de factorum auctore latente taceri poteſt ſine communicatione ſceleris, ſemperq; videndum eſt, quæ patefactione emendari poſſint, atq; eadem ratione exacuantur, & peiora reddantur, abſtinentia potius & quiete corrigantur. Notentur etiā præclaræ Auguſtini ſententiæ in 2. lib. ad Epiſtolam Parmeniani: *Pii & placidi miſericorditer corripiant quod poſſint, quod non poſſint patienter ferant, & cum dilectione gemant atq; lugeant, donec aut emendet Deus, aut corrigat, aut in meſſe eradicet Zizania, & paleas ventilet.* Itē. *Quiſquis vel quod poteſt, arguendo*

corrigit, vel quod corrigere non potest saluo pacis vinculo excludit, sed quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hunc a maledictione liberum esse & solutum.

Confirmatio.

Iacob de Simeone & Leui Gen. 49. inquit: *In concilium eorum non veniat anima mea.* Psal. 1. qui est præfatio totius libri, & regulas generales colligit, inquit: *Beatus vir, qui non venit in concilium impiorum.* Psal. 50. Impius appellatur cui dicitur, *si videbas furorem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Psal. 141. *Ne inclines cor meum ad rem malam ad operandum opera cum iniquitate, προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, ad simulandum pertextum, seu ad quærendum occasiones prætextas in peccatis cum viris operantibus iniquitatem, & ne vescar cibo voluptatis eorum.* Luther: das ich nicht esse von dem / das jhnen geliebt. Vetus versio: *& non communicabo cũ electis ipsorum.* Septuaginta μὴ συνδυάσω μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν. Prouer. *Qui participat cum fure, odio habet animam suam, maledicentem audit, & non indicat: timor hominis, ponit laqueum,* für Menschen sich schewen bringt zu fall. *Et qui fidit Iehoua exaltabitur.* Quod autem de non maledicente non indicato dicitur, eo spectatur lex Leu. 5. *Cum anima peccauerit & audiuerit vocem maledicentis testisq; fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius*

est, nisi indicauerit, portabit iniquitatẽ. Eccl. 13. *Qui tetigerit picẽ &c.* 2. Cor. 6. *Ne ducatis iugũ cũ incredulis,* Itẽ: *Quapropter exite e medio eorũ, & separamini dicit Dominus.* Eph. 5. *Propter hac venit ira Dei super filios inobedientes, ne sitis igitur consortes ipsorum.* Item, *ne communicate operibus infrugiferis tenebrarum.* I. Thess. V. *Ab omni specie mali abstinete,* 1. Cor. 5. *Manum ne cito imponito, neq; cõmunicato peccatis alienis, &c.* 2. Epi Ioan. 5. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum, nec aue ei dicite, qui enim dicit ei aue, communicat ei operibus malis.*

XIIII. THESIS.

Peccatum aliud mortale, aliud veniale.

EXPLICATIO.

DIuisio hæc videtur claudicare, cum omnia peccata sunt mortalia per se, nec venialia facta suam naturã amittunt, conuersione iniustitię in iustitiam. Sed hunc scrupulũ eximit considerationis in vtroq; ratio. Mortale peccatum dicitur, non ex morte peccati, quo moriente cessat esse peccatum, sed morte hominis, cui Deus irascitur propter peccatũ, & ex indignatione mortem infert. Hoc respectu etiam veniale dicitur hominis nimirum cui credenti per Christum venia contigit, liberans a morte, licet ipsum peccatum nunquam in gratiam accipiatur. Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia, & quæ communio lucis cum tenebris. 2. *Corinth.* 6.

Est igitur mortale peccatum cuiusuis hominis, cui non est parata venia & condonatio eiusdem per Christum. Itaque mortale est & non renatorũ & renatorũ. De nõ renatis res manifesta est, *quicquid enim non est ex fide, peccatum est*. Rom. 14. *Et sine fide Deo placere impossibile est*. Heb. 11. *At qui non credit, condemnatus est*. Ioh. 3. De renatis ita res accipiatur: Quando homo fide iustificatur (omnis autem renatus iustificatur, cum regeneratio fidei donationem praestet) tum nec originalia, nec quae actualia ante iustificationem commiserat, mortalia sunt. *Nulla est enim condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu*. Itẽ, *quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat, quis est qui condẽnet? Christus est, qui mortuus est*. Quandoquidem originale peccatum manens nõ est otiosum, sed ἀεὶ ἐνεργὸν & negotiosum, subinde tentatur homo a concupiscentia sua Rõ. 7. & Iacobi. 1. Hic si libidini carnis frenum laxauerit, *vt contra spiritum dominetur, peccatum mortale est peccatum*. Quod si concupiscentia carnis in peruersis moribus, vi spiritus, reprimitur, ne regnet in corpore mortali vestro, tum venialia sunt & originalia, & actualia, sic erumpentia, vt tamen spiritui subiiciantur. Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas 1. *Cor*. 3. Et qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei *Rom*. 8. Venialia tamen non sunt, quia per se tenuia videntur, nec ideo, quod leui satisfactione tolli queant.

Etsi

Etsi enim gradus sunt peccatorum, tamen nullius satisfactio penes auctorem peccati est, nec venialia censentur vlla peccata, quia reprimuntur: nam & non renati cohibent affectus & æstus carnis aliquādo restinguūt, vt Historiæ Ethnicorum testantur. Sed hinc peccatū est veniale, quod Christianus prauos motus carnis agnoscens cum lege Dei repugnare timensque offendere Deum, cum coercet stimulum carnis, fide aspirat ad eum, non solum pro opitulatione spiritus, ad mortificationem veteris Adami, sed inprimis pro remissione peccatorum.

CONFIRMATIO.

Paul. Rom. 6. inquit: *Ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis peccato in cupiditatibus vestris.* Item, *peccatum vobis non dominabitur.* Hoc peccatum regnans est mortale peccatum, quia ibidem dicitur, *an nescitis, cui sistitis vos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis &c.* Rō. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Huic regnanti peccato, quod mortale dicitur, opponitur veniale. Si enim peccatum non regnat, & dominatio ex fide in peccatum fit, non potest non per fidē quæ remissionis ꝓmissionē semp apprehēdit, impetratam esse veniam personæ. Vnde peccatū veniale dicitur iuxta dictū ad Rō. 8. *Nulla nunc condemnatio his qui sunt in Christo Iesu.*

Et Psa. 32. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Appellationem autem regnantis & nõ regnãtis Apostolus desumsit ex 4. Deu. Vbi Dominus ad Cainum inquit: *Ad te erit appetitus eius scilicet peccati, & tu dominaberis ei.*

XV. THESIS.

Mortalia peccata sunt omnia, quæ per fidem in Christum non sunt remissa tectaue.

EXPLICATIO.

MOrtale peccatum dicitur, quod damnat auctorem, & mortem addicit secundum legis sententiam, satisfactione Christi fide applicanda non sublatam. Nequaquam igitur certo numero, & quidem septenario pontificiorum, comprehendi possunt mortalia peccata, nec Caluiniani recte docent, quod mortalia peccata negant renatis, etsi in scelera ruant, regnantibus cupiditatibus. Non enim remittuntur in regeneratione, qua fides gignitur, qua etiam fide homo tum iustificatur, ibi igitur non condonantur futura peccata, alias licentia daretur peccandi, sed nisi fides commissis impetret veniam, nulla est iustificatio, cum talis fides sine verbo Dei vana sit. Hoc vero vt quis impune peccet, nullibi concedat, etsi, ne peccatum credentem damnet, indulgeat, hoc est, ne factum per fidem subsequentem remissum imputetur.

CONFIRMATIO.

Repetenda sunt testimonia præcedentia,

quæ

quæ mortem peccatis minantur regnantibus, & quidem illa proposita sunt, non solum non renatis, sed etiã renatis, quos minæ istæ non tangerent, nisi peccata regnãtia in ipsis essent mortalia. *Ne errate*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. *Neq; adulteri, neq; idololatri &c. cũq; illi moriantur, qui secundum carnem viuunt*. Rom. 8. Idem Paulus ad Gal. 15. explicat, quæ illa sint peccata: *Manifesta sunt opera carnis*, inquit, *quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, proteruia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quia talia faciunt, regni Dei non fore hæredes*. His adduntur in libro duo præclara dicta Ephes. 5. & Ezech. 33. *Cum recesserit iustus a iustitia sua*, & de dispensatore iniquo, cum supplex ita recõciliatus esset Domino, vt Christus Matth. 18. testatur, dimissum eum fuisse, eique debitum remissum, de hoc, inquam, diserte ibidem dicitur, *quod cum postea in fratrem immisericordia peccasset, ab irato Domino traditus fuit tortoribus*, nec manifestior habebitur contradictio, quam cum Beza negat, Dauidem adulterium & homicidium comittentẽ mortaliter peccasse, cum Paulus de omnibus adulteris & homicidis pronuntiet, quod regnum Dei non sint possessuri, nisi scilicet denuo per gratiam recipiantur, & veniam impetrent. De scortatione etiam Apostolus absq; exceptione loquitur, & tamen Caluinus commendans in 6. cap. 1. Cor. opinatur, Apostolus in Synodo Acto. 15. scortationẽ retulisse

inter res indifferentes, quia scilicet cum ἀδιαφόροις iungatur in lege prohibitoria, quæ ratio diuersa est ab hac, qua peccata omnia contra decalogum perpetrata possint ἀδιάφορα dici, quia Sabbati obseruatio in tertio præcepto, cui cetera anne&tuntur, hodie sit indifferens. Sic Caluinus in 15. cap. Act. vt aliquam speciem suæ opinioni indueret, non de quauis scortatione indifferenter ibi agi dixit, vt sunt adulteria, & vagæ indomitæq; libidines, quibus publice violatur & corrumpitur omnis castitas, sed de concubinatu, cuius tantam sibi consuetudinem fecerant gentes, vt propemodū instar gregis forent. Quasi vero hoc ipso non solū publico, sed etiā cōmuni, vt fatetur, malo, castitas violata non fuerit, isque ex peccatis a Deo condemnatis ἀδιάφορα facere possit, qui in occulto vel multorum consuetudine electus peccet, quomodo ebriosi hodie egregiam excusationem nanciscerētur, & Monachorum & canonicorum scortationes, auctoritate Apostolica extenuaretur, eorum præsertim, qui suum castitatis votum hac Hypothetica fundari dicunt, si non caste, tamen caute. Hunc vero prætextum putat Caluinus ita refutari, quod Iacobus tantū respiciat prauum & corruptum hominum morem, atq; Apostolicum nō est, vt peccatum, dum prohibetur, more gentium censeatur, & inter ἀδιάφορα referri permittatur, etiam dum lege aboletur: Nam eandem consuetudinem respiciebat Apo-

lus Paulus. 1. Cor. 6. Inquit enim: *Hæc eratis quondam*, & tamen peccata illa, & in his scortationem, tanta facit, propter quæ homines excludantur a regno Dei.

XVI. THESIS.

Mortale peccatum aliud remissibile est, aliud irremissibile, quod dicitur peccatũ in Sp. sanctũ.

EXPLICATIO.

PEccati proprium est, vt mortem mereatur, & cum non sit sine auctore, eundem mortis reum facit, Deo, vt Lutherus loquitur, argumentante a coniugatis, itaque peccatum & peccatorem damnante. Tollitur autem sententia absoluta ab ea persona credente, vnde remissio peccatorum, & peccatum remissibile dicitur, quod remitti potest. Dum autem remittitur, veniale appellatur.

CONFIRMATIO.

Matth. 12. *Quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus, blasphemia vero in Spiritum sanctum non remittetur hominibus.*

XVII. THESIS.

Nullum nostrum peccatum nostro iudicio in hac vita censendum est irremissibile.

EXPLICATIO.

HÆc thesis ad saluandas sacræ scripturæ sententias necessaria est. Si enim vobis inquirenda sunt irremissibilia, raro ad resipiscentiam valebit cohortatio, vix vnquam certi satis erimus de remissione, & applicatio vniuersalium semper vacillaret.

CONFIRMATIO.

Gen. 4. Cain inquit: *Maior est iniquitas mea, quam vt remittatur mihi.* Pugnat a. iudicium Cainicum cum ſententia Domini ibidem diſtinguentis inter peccatum regnans & non regnans, & recte opponitur Caino hoc dictū Pauli: *Gratia exſuperat ſupra peccatum.* Rom. 5. & Ezech. 33. *Viuo ego nolo mortem peccatoris.* Ad quod dictum Tertullianus in libr. de pœnitentia ſic annotauit, *Viuo dicens, cupit ſibi credi, o beatos nos, quorum cauſa Deus iurat, o miſerrimos nos, ſi non iuranti Domino credimus.* Matth. 11. *Venite omnes ad me,* & Marci. 9. *Credenti omnia poſſibilia.* Hanc doctrinam amplexemur, omnibuſq; peccatoribus quocūq; in angore conſcientiæ conſtitutis applicemus, nec dubitemus, quin reſcipiſcenti & in Chriſtum credenti ſit parata venia iuxta dictum Chriſti: Sic dilexit Deus mundū. Quod ſi tamen videtur tibi impoſſibile, vt peccata tua tibi remittantur, memor eſto dicti Chriſti, quod impoſſibile eſt apud homines, illud poſſibile eſt apud Deum. Eſt etiam hæc ex dicto Chriſti demonſtratio, quod iudicium noſtrum fallat, cum formam huius peccati Dominus non expreſſerit. Nominatur autem hoc peccatum blaſphemia in ſpiritum ſanctū. Blaſphemia a. prę mittitur remiſſibilis, non eſt blaſphemia niſi in Deū nihilq; in Deū cōmittitur, niſi eodē in ſp. ſanctū peccetur. Ergo nec blaſphemię nec ſp. ſancti notatio formā huius irremiſſibilis peccati nobis prębet agnoſcēdā.

Quamobrē ſpeciatim a nobis iudicari non poteſt, hæc tamen negatio, tum iudicii tū ſingulos de ſuis cēſendis, tum πληροφόρημα ſpecialem ſpectat alias in genere definitur impugnatio agnitæ veritatis & finalis impœnitudo.

XVIII. Thesis.

Eſt tamen coram Deo irremiſſibile peccatum finali impœnitudine definiēdum, quod nobis proponitur, vt declinemus pertinaciam obſtinatam, itaq; veritatē agnitā non oppugnandū eſſe monet.

Explicatio.

QVæri poſſet, cum nulla ſentētia a Christo prolata vſu noſtro careat, hæc a. vllius vtilitatis vix æſtimari queat, quæ peccatum irremiſſibile hominibus etiā poſt indicationē ignoratā proponat, quiſnam poſſit eius vſus? Ad hoc reſpondetur hac Theſi Deo quidē ſoli patere iſtud peccatum a nobis a finali impœnitudine deſcribi poſſe. Verū cū nobis mandata ſit recipiſcentia, non licebit nobis pœnitentię tempus præcidere, neq; mandatū Dei euertere. Si quis a. ad finē impœnitudinem traxerit, certum eſt peccata non remitti, ſed iram Dei manere ſuper illū. Quādoquidē a. Deus iuſto iudicio quibuſdā pœnitentiæ viā præcludere poteſt, id quod etiam fieri ſacra ſcriptura teſtatur, iſtius indicatione & cogitatione in tempore reſipiſcamus potius, quam vt conuerti ad Deū differamus aut renuamus. Quod de agnita veritate nō oppugnanda additur, videtur ſpeciē

notare, ſed cum peccata contra cõſcientiam, vt adulterium Dauidis, lapſus Petri & ſimilia ſunt agnitę veritatis impugnatio, cui tñ remiſſio non fuit denegata, atrocitatem quidẽ huius peccati agnoſcamus. Sed hac determinatione pœnitentiam non ſuſpendamus, cũ hoc ipſum quoq;, nolle videlicet ob agnitum peccatũ reſipiſcere, ſit agnitæ veritatis impugnatio, verum maturemus timentes iudiciũ Dei, quod pertinaciã obruit finali impœnitudine. Itaq; ſemper poſtquã de peccato edocti ſimus, ſpem veniæ nobis reliquã eſſe dicamus, & ſic irremiſſibilis peccati conſideratio ſit ad pœnitentiam inuitatio.

CONFIRMATIO.

Non fruſtra dicitur Eſa. 55. *Quærite Deum, dum inueniri poteſt, inuocate eũ dum prope eſt.* Pſ. 32. *Pro remiſſione peccatorũ orabit ad te omnis ſanctus in tempore inueniendi.* Iuſta n. Dei indignatione tẽpus nonnunquam ingruit, de quo 2. Paral. 36. *Aſcendit furor Iehouæ in populum eius, ita vt nulla ſit curatio.* Et Ier. 11. *Ecce adducã ſuper eos malum, de quo non poterunt exire.* Sic Eſaiæ 6. triſtiſſima eſt oratio qua Deus Prophetæ mandat inquiens: *Vade & dic populo iſti audiẽdo audite, & ne intelligatis, vidẽdo videte, & ne cognoſcatis, excœca cor populi huius, & aures aggraua.* Hanc luctuoſam ſententiam Chriſtus ait impleri, dum multis fruſtra proponitur verbum Dei *Matt.* 13. *Mar.* 4. *Luc.* 8. Item, cum vltimo veniſſet Hieroſolymã Io. 12.

ſcribitur.

ſcribitur: *Etſi Chriſtus multa ſigna coram illis fecerat, non tamen credebant in eum, vt ſermo Eſaiæ impleretur, &c.* Paulus quoq; Romæ cõuocatis primoribus Iudæorum, cum quidam Euangelio ipſius ex lege & Moyſe probato repugnarent inquit: *Recte Spiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiam Prophetam patribus veſtris, &c.* & recitato teſtimonio Prophetico, *notum ergo vobis ſit miſſam eſſe gentibus hanc Dei ſalutem & ipſas audituras eſſe,* Act. 28. Quamobrẽ etiã ad Rom. 11. de reprobatione Iſraelitarum idẽ dictũ repetit, & addit, quod Eſa. 29. legitur. *Dedit vobis Iehoua ſpiritũ ſaporis & clauſit oculos veſtros, neq; hoc Iudæis ſed etiã gentibus dictũ allegata Chriſti oſtendunt.* Quapropter Paulus ad Ro. 11. inde ad gẽtes cõmonefactionẽ inſtituit addens, vel ſui ipſius reuelatione obdurationem iſtam ex parte Iſraelitis eueniſſe, dum plenitudo gentiũ introierit, vel explicãs Prophetiã Eſa. 65. *Faciam propter ſeruos meos & non diſperdam totum.* Item. 61. *Stabunt alieni & paſcent pecora veſtra, & filii alienigenæ erunt agricolæ veſtri ac vinitores veſtri.* Huc facit, quod Chriſtus de miniſterio noui teſtamenti ait ad Petrum, *claues cœlorum regni tradendo* Mat. 16. *Quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis.* Et Matthæus decimo octauo: *Amen dico vobis quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlis.* De Metaphora vero clauium egregius locus eſt Eſaiæ. 22. *Ponam claues domus Dauid ſuper humerum Eliachim, aperiet, &*

non erit qui claudat, claudet & non erit qui aperiat. Id quod Apoc. 3. ad Christum transfertur. *Hæc*, inquit Iohannes, *dicit sanctus & verax ille, qui habet clauem Dauidis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit nemoq; aperit*. Hæc igitur satis probant, iudicio Dei iustissimo pœnitentiæ fores multis præcludi: interim tamen non vtamur his commonefactionibus in præiudicium contra mandatum Dei, *agite pœnitentiã & credite Euangelio*. Mar. 1.

Sed duce & doctore Christo Matth. 13. ad vsum hunc doctrinam hãc accommodemus, *qui habet aures ad audiendum audiat*. Et sciamus Esaiam obstinatis locutũ iussu Dei Christumq; *Matt*. 18. contra aliquoties admonitos, nec tamẽ aures præbentes clauem dedisse ligantem, cuius tamẽ vsus in ministerio pœnitentiam nõ prohibet, vt docet exemplum incestuosi auctoritate Apostolica excõmunicati 1. *Cor*. 5. & post resipiscentiam eadem auctoritate recepti 2. *Cor*. 2. Etsi Deo finaliter claudẽte apertio nulla sit, quemadmodũ Ecclesia. 7. dicitur. *Vide opus Dei, quis enim poterit corrigere, quem ille despexerit*. Vel vt Pogninus vertit, quis potest dirigere, quem ille curuauit. Sic dicta in Epistola ad Hebr. 6. & 10. contra vniuersalem gratiæ oblationem, non sunt accipiẽda, cum enim Christus iubet fratri remittere 77. *Matth*. 11. suam benignitatem commendat. Et Prouerb. 24. dicitur, *Septies in die cadet iustus & resurgit, resurgit*, inquit, *nequis huius-*

huiusmodi diuina clementiæ testimoniis soletur & foueat obstinationem, sed contra tentationem abiectionis ex sua persona ab indignitate obortam vnusquisque meditetur has consolationes. Esa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquam, vos quibus non est argentum, venite, emite, comedite absque argento.* Item Esaiæ 45. *Non dixi semini Iacobi frustra quærit me. Ego Iehoua loquens iustitiam, & qui annuntio recta.* Item, quod Christus Matthæi nono, inquit, *Qui valent, non egent medico, sed male affecti, ite vero & discite, quid sit misericordiam volo & non sacrificium.* Ad quod dictum Augustinus Homilia 34. *Si vel sic ægrotares, vt in posses venire ad medicum poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas, sed quia tu ire non potuisti ad eum, ille venit ad te.* Hæc de peccato irremissibili generalius accepto, deque abusu huius doctrinæ auertendo, veroque vsu constituendo hoc loco colligere libuit. Istud tamen quod peccatum in Spiritum sanctum dicitur, ita peculiare est, vt blasphemia quædam in Spiritum sanctum, itaque actualiter cõmittatur, de quo peccato sedes propria est, *Matthæi* 12. *Marc.* 3. *Luc.* 12. Huc pertinet etiam dictum 1. *Ioh.* 5. Est peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget, omnis iniquitas peccatum est, sed est peccatum, quod non est ad mortem. Hoc dictum peperit clausulam, vt pro hostibus Ecclesiæ Dei precemur, si scilicet sint conuertendi.

APPENDIX DE NEFANDA quadam calumnia Canisii, tradentis, eam in institutione Catechetica sub loco de peccato in Spiritum sanctum.

VT de huius atroci calumnia dicã, mouet me hõis effrenis blasphemia, qui ex doctrina nostra de sola fide iustificante definitionẽ peccati in Sp. sanctũ exstruit. Paucis tñ perstringam etiã fœdissima, q̃ p̃misit nugamenta. Nihil dicã de eo, quod peccatũ sibi sumit hoc formaliter censendum, & per species deducẽdum, id quod supra ostẽdimus in propria sede huius doctrinæ negatũ esse nostræ cognitioni, nec superior est auctoritas Thomæ, quem in iudicio hoc sequitur cœcus nim. cœcum. Notandum tñ, quod ipse sese refellat, cum datis hisce tribus propositionibus. 1. Cum abest peccati detestatio II. Cum abest boni electio. 3. Cũ abiicitur id, quo Spiritus sanctus pro sua gratia hominem a peccando solet reuocare. Subiicit eiusmodi peccatis implicatos Dei gratiam aut raro aut nunquã ægre admodũ consequi, quod certe est contra verba Christi, dũ ait: *Peccatum istud neq; in hoc neq; in futuro seculo remitti.* Caret & hoc iudicio sacræ scripturæ, multisque instantiis labefactari potest, quod peccatum ex infirmitate aut fragilitate ait committi in patrem, patrisque potentiam: Peccatum ex ignorantia in filium filiique sapientiam, Peccatum ex malignitate & peruicacia mentis in Spiritum sanctum. Enumeratio

tio peccatorum in Spiritum sanctum hæc ab ipso instituitur. I. Diuina misericordia confidenter abuti. II. De gratia Dei seu salute sua prorsus desperare. III. Veritatem religionis aduersus ipsius suam cõscientiam hostiliter impugnare. IV. Pertinaci inuidia concitari grauiter ob alienæ salutis & virtutum fraternarum successum. V. Obfirmato animo in crimine scienter persistere. VI. Absq; pœnitentiæ proposito peruersæ vitæ finem nullum facere. Hæ species licet post scholasticos expositæ sint, nequaquam tamen generi conueniunt, quod postulat, vt tale peccatum definiatur ex certo actu, qui constat blasphemia in Spiritum sanctum, & ex hoc sit irremissibile. Iam potest fieri, vt aliquis de gratia Dei vel salute sua aliquo actu & aliquandiu prorsus desperet, nec tamen in hac finaliter perseueret. Si igitur hæc clausula infirmior est, cæteræ species, quæ gradu infirmiori constituũtur, minus competent. Sexta autem species finalem impœnitudinem videtur innuere, quod tamen de proposito pœnitentiæ addit, istud Pontificia operis humani corruptela vetat. Sed his & reliquis missis, quod de prima specie commentatur, refellemus. Ea inquit præsumtio facit peccatum in Spiritum sanctum, quæ hominẽ sola Dei misericordia confidentem, & ad peccandum audacẽ facit, seposita videlicet & abiecta oĩ iustitiæ timorisq; diuini ratione, & sic sane peccãt hodie cõplures, qui sibi sola fide in

Christum blandientes vel in mediis peccatorum sordibus computrescunt, modo meritis Christi & Dei gratiæ per fidē apprehensæ fidant, quantumuis interim pœnitentiæ fructus negligantur. Hæc ille calumniator. Etsi autem grauissimum errorem & peccatum esse agnoscimus, si quis putat sola misericordia Dei credita audacter posse peccatis indulgere, nullo timore Dei reliquo facto, tamē quod id ipsum non sit peccatum in Spiritum sanctum, de quo Matth. 12. agitur, ipse Canisius probat citans dictum Rom. 2. *An diuitias bonitatis Dei contemnis ignorans, quoniā benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit.* Deinde cum Canisius in refutatione neget solam fidem posse iactari, in nostrā de sola fide iustificante & saluante confessionem digitum intendit, & tritum mēdacium, quod fructus pœnitentiæ negligendos esse doceamus contra conscientiam arripit. Nam de fide in Christum vera docemus, quod sola iustificet, & si sola non sit. sicut etiam fides sine operibus esse nequit, cum ipsa sit opus, quoniam est notitia, assensus, & fiducia, etsi non vt opus iustificet, sed relatiue. An vero hoc non sit peccare in Spiritum sanctum, cum ille sciens doctrinam nobis tam fœdam affingat.

Eam vero, quā ex sacræ scripturæ testimoniis demonstrare blasphemiæ in Sp. sanctum.

De eo iudiciū relinquimus Deo, seruantes illam, quam Christus nos docuit, modestiam.

XIX. Thesis.

XIX. THESIS.

De peccato veniali, quod peccatum sit in sese, dictum est Thesi septima, quo etiam pertinet hæc Thesis, quod concupiscentia remanens in peccatis, vere sit peccatum.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus vero aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt quæcunque vult is, illa faciat, *Galat.* 5. Sic Colloss. 3. dicitur: *Iram Dei venire super filios incredulitatis propter concupiscentiam, ideoq; sanctos monet Apostolus, vt eam mortificent.*

DE EVANGELIO Locus XIX.

I. THESIS.

Euangelium hic significat latam promissionem de gratia, credenti in Christũ, apud Deum parata.

EXPLICATIO.

QVod de Euangelio dicitur, post agnitum ex lege peccatum, id diuino fit ordine, cum Christus consilio Dei missus sit ad annuntiandum mansuetis, vt alligaret contritos corde, vt prædicaret captiuis libertatem, victis apertionem carceris, annumq; beneplaciti Iehouæ, *Esa.* 61. Primo igitur homines lege arguendi sunt, vt sub peccatis conclusi sese exinanitos sentiant & pauperes. Pauperi-

bus autem annunciatur Euangelium, *Matth.* 11. *Luc.* 4. & conclusit Deus omnes sub peccatum, vt omniũ misereatur, *Rom.* 11. Euangelii autẽ appellatio Græca est, & significat εὐαγγέλιον profanis auctoribus, vel lætum nuntium vel præmium, quod læta annuntianti datur. Hebræis Bisar est nuntiare in vtramq; partem. Nam 1. Sam. 4. *De nuntio tristi internecionis filiorum Heli vsurpatur*, quandoquidem autem nuntium de Messia, in quo filiam Zionis Dominus lætari iussit, a Græcis redditum est Euangelium, & vsus huius factus peculiaris Ecclesiæ Christianæ. Septuaginta enim verbo εὐαγγελίζειν vsi sunt in his dictis: Quam pulcri sunt pedes Mebasser, annuntiantis pacem, *Esa.* 52. Item Læbiser, ad annuntiandũ mansuetis misit me, *Esaia* 61. Nec tamen hæc est vna & perpetua significatio huius vocis in sacris literis, sed præter generalem ante indicatam primario significat promissionem Dei de gratuita remissione peccatorum in Christo redemtore & mediatore. Hebræis Beschora ad Roman. 1. *Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Deinde pro historia de Christo Euangelii videlicet anima accipitur, vt cum Euangelio Matth. Marc. Luc. Ioan. appellamus. Tertio pro prædicatione Euangelii, vt cum Paulus 1. Cor. 9. inquit: *Ex Euangelio viuere.* Sic Hieronymus Esaiæ 41. Mebaser vertit Euangelistam, *Hierosolyma*, inquit, *nuntiantem dabo*. Quarto accipitur pro Chri-

Christianæ doctrinæ corpore, in quo eminet Euangelium, vt Marc. 16. *Docete Euangelium vniuersam creaturam.* Ea vero, quam post generalem primariam fecimus, significatio, huc pertinet, cum locus de Euangelio appellatur.

CONFIRMATIO.

Thesis significationem vocabuli certam ex multis elegit, vsum autẽ eius talem esse docebit rei confirmatio. Hic tamen tum pro etymo, tum pro adiecto etymon speciale faciente hæc teneantur testimonia. Luc. 2. inquit angelus ad pastores: *Ne timete, ecce Euangelizo vobis gaudium singulare, quod erit toti populo, &c.* Hic nuntium lætum appellatur Euangelium. Refertur autẽ gaudium singulare, quod ex misso Messia saluatore percipitur. Marc. 1. Christus inquit: *Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.* Rom. 1. Paulus ait: *Se vocatum Apostolum, & separatum ad Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in sacrosanctis scripturis de filio suo, factus ex semine Dauidis secundum carnem.*

II. THESIS.

Euangelium est doctrina Dei, non natura nota, sed ex arcano consilio Diuinitatis per filium prolata.

EXPLICATIO.

DOctrina Dei appellatur, ne humana intelligatur, eaq; dicit' nõ natura nota, qa legẽ doctrinã itidem suã Deus mentibus humanis

insculpsit, quia tamen humana inquisitio & solertia doctrinas inuenit, quæ licet ex natura notis exstruantur, tales tamen non innascuntur mentibus hominum. Ideo vt a tali rationi discernatur, Euangelium appellatur doctrina non natura nota, sed ex arcano consilio diuinitatis per filium prolata, quod nos ad cognitionẽ Euangelii præparat, cum tales discipulos postulet, quia sua industria nihil ad doctrinam istam afferant illi, sed solummodo omnis docti de ea consulant.

CONFIRMATIO.

Esaiæ 2. Euangelium dicitur verbum Iehouæ, & de impletione promissionis loquens Iehoua Ierem. 33. inquit: *Confirmabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel.* Paulus Euangeliũ suum & præconium Iesu Christi vocat *reuelationem mysterii*, quod a temporibus æternis fuit tacitum, *Rom.* 16. Item appellat sapientiam Dei latentem in mysterio, & huc accommodat dictum Esa. 64. *A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt.* 1. Cor. 2. Item: *Mysterium absconditum a seculis.* Coll. 2. Et haud dubie filius dicitur inde angelus, *Gen.* 48. quod nuntium lætum hominibus attulerit. Ioh. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filii Dei, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis.*

III. THESIS.

Deus in Euangelio immensa misericordia propter

pter filium suum gratis promittit remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, & vitam æternam, omnibus fide hæc promissa bona amplectentibus.

EXPLICATIO.

MVlta comprehendit hæc Thesis, quæ in loco iustificationis particulatim declarabuntur & vberius. Proponitur autem his verbis differentia specifica & forma propriissima Euangelii, ne cum legis proprio permisceatur aut confundatur, id, quod propter cognationem facilime promittitur, diligenter est attendendũ. Immensa Dei misericordia & particula gratis propter Christum excludunt omnia bona opera nostra, & ea, quæ sunt & adsunt, ne his promissio Euangelii deberi putetur. E.G. Promissio proponitur credenti, credens autem a verbo Dei auspicatur in genere, quod cum vna sit copulatiua, & ex parte credi, & ex parte reiici nequeat, vniuersum credendum est: itaque fides omnia, quæ legis sunt etiam arguentis peccata credit, quomodo ex fide tali est contritio, hoc est, id, quod agnoscitur & creditur, peccatum iram Dei & condemnationem promerens, incutitur terror humanæ conscientiæ, quodque fides promissionem de Christo, & omnia, quæ de ipso scripta sunt, agnoscit, isque assentitur, & si doctrina Euangelii proprie sic discatur & credatur, quatenus tamen fides notitia & assensu con-

ſtat, eatenus legis eſt opus, lex enim præcipit, vt omni verbo Dei credatur, non ſolum ei, quod legis eſt propriũ, ſed omnis cuiuſcunq; generis fuerit. Eſtq; aliud, q doctrina iſta ſolummodo ex Euangelio promitur, id quod diſcrimen ſpectat, aliud quod doctrina Euangelii, vt verbum Dei accipitur, quomodo legi ſubeſt, cuius mandato fides noſtra afflagitatur, ita etiam fiducia in Chriſtum, quatenus motus cordis eſt, opus eſt primi præcepti. Hæc igitur legi relinquenda, nec Euangelio ita commiſcenda ſunt, vt eodem reſpectu huius fiant propria. Quod autem infra de iuſtificante fide dicetur, id huc pertinet. Sicut enim fides non vt opus, ſed correlatiue per & propter Chriſtum iuſtificat, ita Euangelium, vt promiſſio ſit gratuita, eatenus credẽti eam offert, atq; fides ſic Euangelii propria eſt legi, ſeruato hoc officio illibato, vt omnia opera fidéq; ipſam, quatenus opus eſt, ſuo iuri vindicet, quæ tamen explicatione iuſtificationis magis pateſcent. Quod etiam in theſi iunguntur remiſſio peccatorum, iuſtitia, ſanctificatio, ſaluatio, ea gratuitam Euangelii rationem non initio iuſtificationis, aut huius continuationi ſaltem, ſed & ſanctificationi & æternæ ſaluationi aſtringunt, vt tota ſaluatio hominis Euangelii ſit proprius effectus.

CONFIRMATIO.

Summam Euangelii libellus noſter recte propo-

proponit dicto Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, cuius explicatio his dictis continetur. Paulus Apoſtolus, qui ſe ad prædicandum Euangelium Dei de Ieſu Chriſto vocatum dixerat, ad Romanos 1. ibidem inquit: *Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Et cap. 2. *Nunc vobis abſque lege iuſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio legis & Prophetarum, iuſtitia*, inquam, *Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt: non enim eſt diſtinctio, omnes peccauerunt, &c.* Roman. 3. & 4. *Non enim per legem promiſſio ceſſit Abrahæ aut ſemini eius, &c.* Item: *Propterea ex fide gratis, vt firma ſit promiſſio toti ſemini.* Roman. 3. & 11. *Quod ſi per gratiam iam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia, ſin ex operibus iam non ex gratia, alioquin opus non eſt opus.* Galat. 3. *Prouidens ſcriptura Deum, ex fide iuſtificaturum gentes, ante euangelizauit Abrahæ: benedicentur in te omnes gentes.* Item: *Nullum per legem iuſtificari manifeſtum, ſiquidem iuſtus ex fide viuat, Lex autem non eſt ex fide, qui fecerit hæc homo, viuet in eis.* Epheſ. 2. *Deus qui diues eſt miſericordia propter multam caritatem, qua dilexit nos, etiam cum per peccata mortui eſſemus, vna viuificauit nos per Chriſtum.* Et rurſus: *Gratia ſaluati eſtis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.*

IIII. THESIS.

Promissio Euangelii de Christo saluatore omnium omnes ad se inuitans, est vniuersalis, & si credentium ratione seu effectu particularis fiat, id est, quidam credant & saluentur, non omnes.

EXPLICATIO.

VNiuersalem dicimus promissionem, quæ pro omnibus hominibus nullo excepto, redemtorem Christum nostrum saluatorem proponit omnibus. Beza vniuersalem intelligit respectu omnium electorum, ita vt Christum pro his solum, non vero pro omnibus hominibus mortuum, nec omnium saluatorem esse dicat, vbi notandum est, vniuersalitatem non esse huiusmodi, sed aliam latiorem, aliam strictiorem. Sicut enim genus & species distinguuntur, vt superius & inferius, huicq; sua, illi quoque sua vniuersalitas, huic rursus angustior, illi amplior conueniat, ita doctrina Euangelii superioris gradus est, cum omnes inuitat ad Christum pro mundo traditum, inferioris, cum venientem ad Christum seu credentem quemuis saluum pronuntiat. Vt igitur non omnes homines credunt, ita salus non contingit indiscriminatim vniuersis, & tamen nemo credens, excluditur, ne quisquam se ex vniuersali superiori excludat, credensq; dubitet, sed illam latissimam in omnes simpliciter homines extendi sciat, vt omnis sese subsumere possit, credensque saluetur. Quomodo intel-

intelligitur, quod Beza latiorem exæquet strictiori, & sic in argumentatione particulares puras conficiat, vt qui sese sub maiore subsumserit syllogismo demonstratiuo, sua salute destituatur. Sic dum maiorem cum electione particulari æquat, itidem corrumpit firmitatem consequentiæ, qua salutem nostram statuamus, & quæ mediata sunt, immediata reddit, vnde & obiecta refutatio in promtu est. Prætexit Beza hoc dictum Christi precantis, Ioh. 17. Non rogo pro mundo, sed pro eis, quos dedisti mihi. Manifestũ autem est, quod pro defensione & conseruatione credentium reget, quemadmodum inquit: Non pro eis tantum rogo, sed etiam pro iis, qui credituri sunt in me. Hæc autem, quæ ad credentes tantum pertinent, non sunt mundi, hoc est, incredulorum, alias fidelium & infidelium, in bonis fidem solummodo sequentibus fieret exæquatio, fide non mediante. Sic a mediato tanquam immediato falso ratiocinatur Beza, cum inquit: *Si Christus omnes dilexisset, & pro omnibus mortuus esset, omnes saluarentur, sed non omnes saluantur.* Ergo, *Christus non omnes dilexit, nec pro omnibus mortuus est.* Respondet autem hic Christus, Ioh. 3. *Sic Deus dilexit mundum.* Hic dicitur, Deum dilexisse mundum, vt filium dederit, hunc vero datum, vt omnis, qui credat, saluetur. Etsi igitur mundũ dilexit, vt filium pro eo tradiderit, & sic dilectio Dei immediata causa sit dati filii, vt sit sal-

uator omniũ, tamen nõ ſimiliter ſaluantur omnes homines, hoc eſt, eſſe ſaluatorẽ omniũ, & omnes ſaluare, propoſitiones ſunt diſtinctæ. Placuit Domino, credẽtes ſolummodo ſaluare, interuentu igitur fidei mediatum fit, quod immediatũ prius dabatur, ſeu ꝙ ratione officii Chriſti vniuerſalius erat, effectu particularius deprehenditur, ſicut in iſto diſtinctio nulla, ſed mundus appellatur, ſed impii & amici Dei, *Rom.* 5. pro quibus datus ſit filius Dei, vt ſit ſaluator omniũ, ita in altero credentes duntaxat, id eſt, a mundo ſeparati appellantur, qui ſaluentur, quos Chriſtus Ioh. 17. ait, non eſſe ex mundo, etſi ſint in mundo, qui tamen, cum credunt, ſub vniuerſali ſeſe ſubſumunt, non ſub particulari. Hypothetica ergo hæc non eſt vera, ſi omnis dilexit, & pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, omnes ſaluari oportet, quia ordinatio Dei, non vt ſaluentur ſtatim homines, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, quibusque Chriſtus ſaluator datus eſt, ſed vt credentes in mortem Chriſti, hoc eſt, iſtud vniuerſale ſibi medio ordinario applicantes. Hi igitur, vt non pereant, ſed habeant vitam æternam, oraculũ Dei pronuntiat, quomodo quod mediatum Deus fecit, in hypothetica iſta medio ſublato affirmatur. Item, vniuerſalitas ſuperior & latior non tollitur per inferiorem reſtrictam, nec quod inferiori ſingulariter decernitur, neceſſe eſt ſuperiori eadem quantitate largiri, ſed retinenda eſt diſtinctio quanti-

titatis maioris & minoris, vt vera ſit ſubſumtio, & neceſſitate conſequentiæ conſtet concluſio. Demonſtratio hæc immota eſt: *Chriſtus pro omnibus peccatoribus mortuus eſt, vt nemo in ipſum credere dubitet. Ego peccator ſum. Ergo, in Chriſtum credere non dubitabo.* Hanc ita infirmat Beza: *Chriſtus non pro omnibus, ſed tantum pro quibuſdam peccatoribus mortuus eſt, vt non omnes, ſed illi duntaxat ſeſe ſub illa redemtione ſubſumant, pro quibus mortuus eſt, aut enim ſuam doctrinam euertat, neceſſe eſt, aut hanc ſententiam ſtatuat, oportet.* Re-uera autem incerta eſt ſubſumtio, dum deliberans, num credere debeat, certus eſſe nequeat, num particulari ſit in numero, temere quoque ſit, quod de te ſine certo verbo præſumſeris, nec raro falli contingit, cum certum ponis, quod incertum eſt, itaque quod certæ fidei a ſcriptura defertur, dubiæ coniecturæ tradetur.

Notandum tamen ex prędeſtinationis doctrina Theſes conſtare, quæ promiſſionem Euangelii in effectu particularem faciant, quæſtio tamen adhuc hæret, num inde ratiocinantes, id quod Beza docet, vere concludant. Exempli gratia.: Dominus Brentius in nonum caput Epiſtolæ ad Romanos recte affirmat, quod Deus ab æterno elegerit Eccleſiam ex genere humano. Scriptum enim eſt ad Epheſeos 1. *Elegit nos in Chriſto, antequam iacerentur fundamenta mundi.* Recte

& ibi docuit Brentius, *quemadmodum numerauit omnes pilos capitis nostri*, Matth. 10. Numerauit etiam omnes dies vitæ nostræ, imo omnes gemitus & lacrymas nostras, Psal. 55. & 138. Ita etiam definiuit certum numerum eorum, qui cœlestis suæ bonitatis & felicitatis participes fiant. Solidũ enim Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc, nouit Deus, qui sint sui, 2. *Tim.* 2. Ex his sane recte elicitur, quod non omnes sint credituri, sed quod itidem sequatur Deum dilectione ea, qua filium suum pro mundo tradidit, non omnes complexum esse homines, nec pro omnibus tradidisse filium, id necesse non est. Illud enim diserte dicitur, cum electio ex genere humano non fieret, nisi quidam relinquerentur: & comprobatur euentu, quem sacra scriptura in extremo die separatione saluatorum & damnatorum patefactum iri testatur: alterum vero, quo iure prohibebitur, cum Christus pro omnibus mortuus, nullo tamen necessario obstaculo prohiberi possit, quin credenti solum saluti sit, sicut Deus ex vno sanguine condidit omne genus humanum, & tam prope est vnicuique nostrum, vt manibus palpari possit, *Act.* 17. nec tamen omnes saluat, sed credentes dnntaxat. Monstrat igitur Beza tale impedimentum, cui Deus cedere cogatur, nec possit filium pro omnibus tradere, quin eosdem omnes effectu saluet, itaq; pro libere agente naturale agens substituendum sit.

Hic

Hic hæret diſputatio, & hic ligatus Beza cogendus eſt, vt ſeipſum expediat, antequam alijs compedes ex prædeſtinatione iniiciat, nec probe conſulitur veritati, cum quidam aliter ſeſe a Bezæ tricis explicare neſcientes, alias certiſſimas Theſes reprobrant, & dum vident nobis de ſalutis naturæ certitudine ex promiſſione vniuerſali argumentandum eſſe, eo reuocant electionem, hoc eſt, arcanũ Dei conſiliũ coniungunt cum patefactione, vt videlicet myſterium cum ratione confundatur, quomodo reuera ratiocinationem ſine mente inſtituunt. Electio ſane æterna extra verbũ patefactũ nobis inquirenda non eſt, ſed quod propterea non ſit ſecretæ voluntatis maieſtatis diuinæ, hoc male ſtatuitur. Eſt enim prædeſtinatio Dei abſoluti & abſconditi, quæ inquiri non debet, ſed nobis acquieſcendum eſt in ea, quæ reuelatur per vocationem & miniſterium verbi, quemadmodum Lutherus in 26. cap. Gen. commentans loquitur: vbi contra abuſum eorum, quæ de ſeruo arbitrio aſcripſerat (*omnia eſſe abſoluta & neceſſaria*) auditores munit non retrectando, ſed repetendo & explicando, qui locus etiã in formulam Concordiæ inſertus eſt commendatus.

CONFIRMATIO.

Formula Concordiæ in loco de prædeſtinatione, vt prædicationem pœnitentiæ, ita promiſſionem Euangelii vniuerſalem eſſe, id eſt, ad omnes homines pertinere, his probant

testimoniis, Luc. 24. Christus iussit in nomine suo prędicari pœnitentiam & remissionem peccatorum. Deus enim mundum dilexit, eique filium suum vnigenitum dedit, Christus peccata sustulit mundi. Ioannis 1. *Carnem tradidit suam pro mundi vita.* Ioannis 6. *Ipsius sanguis propitiatio est pro totius mundi peccatis.* 1. Ioannis. 2. Christus dicit: *Venite ad me omnes.* Matthæi 11. *Deus omnes in incredulitate conclusit, vt omnium misereatur.* Roman. 11. *Non vult Deus aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* 2. Pet. 3. *Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant eum.* Roman. 10. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt. Non enim est distinctio, omnes peccauerunt, & carent gloria Dei*, ad Romanos 3. Et: *Hæc est voluntas patris, vt omnes, qui in Christum credunt, habeant vitam æternam.* Ioh. 6. His dictis addantur hæc illustriora ad Romanos 5. *Commendat caritatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Hic attendatur, quod caritas Dei sit mortis Christi causa, & quemadmodum Christus pro peccatoribus mortuus est, ita hos dilexit Deus. Iam si ita pro omnibus Christum mortuum fuisse probauerimus, quemadmodum omnes peccauerunt, euictum erit, Deum similiter mundum, id est, sine exceptione omnes peccatores dilexisse. Sic igitur *ad Rom.* 5. *Si enim vnius peccato multi mortui sunt,*

multo

multo magis gratia Dei & donũ per gratiam, quæ est vnius hominis Iesu Christi in multos redundauit. Hic ne particula multi putetur æquipollere particulæ *aliqui*, vetat eiusdem in altero membro de mortuis significatio, & illius ad hoc comparatio, imo Paulus adhuc disertius loquitur vers. 18. *Sicuti per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines, &c.* Quid vero clarius hoc dicto, 2. Corinth. 5. *Si vnus pro omnibus fuit mortuus, omnes fuerunt mortui.* Hic ex eo, quod Christus pro omnibus mortuus dicitur, omnes arguuntur peccatores. Vt enim omnes peccatores, ita Christus pro omnibus mortuus, quod si Christus pro aliquibus saltem mortuus intelligeretur, non omnes, sed aliqui saltẽ mortui, id est, peccatores constituerentur. Conclusit autem Deus omnes in cõtumacia, vt omniũ misereatur, *Rom.* 11. i. e. misericordiã suã tam late promissione Euangelii protendit, quã late grassatur peccatũ, imo vbi exsuperauit peccatũ, ibi superabundauit gratia, *Rom.* 5. Vbi vt dictũ est, Paulus hanc sententiã aperte tuetur: Christũ moriẽdo tantũ ꝓfuisse, quantũ Adam nocuit peccando. Quamobrẽ etiã inter primũ & secundũ Adamũ comparationẽ instituit. Hinc Paulus scortatores, quos negat regnũ Dei possidere, pretio emtos dicit, 1. *Corinth.* 6. Nec est illa sententia tantum particularis, quæ quibusdã solummodo, non omnib. scortatoribus conueniat. Sed 1. Tim. 2 Christus dicitur, se-

ipsum dedisse pretium redemtionis pro nullis. Valde etiam perspicua sunt hæc testimonia, Rom. 14. *Si per escam frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas, &c.* 2. Cor. 8. *Tua ista scientia frater, qui infirmus est, propter quem Christus mortuus est, peribit,* hic palam dicitur, *Christus mortuus pro pereuntibus.* Et 1. Tim. 4. dicitur, *Christus saluator omnium, maxime autem fidelium. Non enim omnes saluantur, & si Christus omnium saluator sit, quia credentes tantum saluantur.* Vt autem certo credere possimus, necesse est, promissionem vniuersalem dari complectentem omnes, qui peccatores sunt, cum subsumtio sub particulari πληροφορίαν tollit. Quapropter Paulus Gal. 3. inquit: *Conclusit scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Recte igitur & cum sacra scriptura loquitur Leo Papa sermo. 7. *Effusio,* inquit, *pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemtorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.*

V. Thesis.

Euangelium proprie dictum proprie loquendo, non arguit peccata.

Explicatio.

HÆc Thesis ponenda fuit, vt explicaretur controuersia, quæ nostra memoria agitata est de definitione Melanchthoniana: Euangelium

geliũ eſt prędicatio pœnitentiæ arguens peccata. Cũ v. Dominus Philippus Anno 49. in diſputatione Iſinderi definitionẽ ipſe impropriã appellarit, hac declaratione certamẽ merito ſopiri debuit, q tamẽ quidã reſuſcitarunt, aſſerentes eſſe definitionẽ maxime ꝓpriã, nec ſatisfaciunt diſceptationi illi, qui Euangeliũ ꝓ toto corpore doctrinæ hic acceptũ aiunt. Nã Dominus Philippꝰ Euangeliũ a lege diſtinctũ ita definiuit, vt teſtãtur libri Ethici. Sic Luth. quoq; Euangeliũ in ſpecie & proprie dictum, id eſt, quatenus a lege diſtinguitur docuit arguere peccata, ſed improprie id tribuitur Euangelio proprie appellato, vt vna interptatio vtrumq; doctorẽ ſaluet. Conſiderabimus tamen quaſdam huius generis ſententias ſigillatim: Effectũ propriũ arguit officiũ propriũ agentis: Vocare peccatores ad pœnitentiã eſt officiũ ꝓpriũ miſſionis Chriſti, & hæc Euang. proprium nuntiũ: Ergo quemadmodũ Chriſtus miſſus eſt, vt vocaret peccatores ad pęnitentiã, ita hoc nuntiũ Euangelii ꝓpriũ eſt. Minor probatur ex cap. 9. Matth. Vbi Chriſtꝰ inquit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã.* Reſp. ad minorẽ, plus eſt in officio Chriſti, quã in nuntio de Chriſto vere Euang. Chriſtꝰ n. nõ eſt miſſꝰ vt legẽ deſtrueret, & ſolũ Euangeliũ confirmaret, ſed qa legi impoſſibile erat ſeruare hominem, quia infirmabatur per carnẽ, ideo miſſus eſt Chriſtus. *Rõ.* 8. Qui venit non ſoluere legem ſed implere *Matth.* 5.

Ideoq; cum officiũ redemtionis pręstaret iustitiæ diuinæ exemplum in se statutum miranda cum obedientia ostendit atq; legem confirmauit implendo: satisfactionem enim & obedientiam atque iustitiam suam ad remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ credenti offerens Euangelii seu læti nuntii partes impleuit. Etsi igitur Christi proprium effectum est vtrumq;, non tamen Euangelii itidem proprium est vtrumq;. Quamobrem subsumtio deprehenditur habere confusionem, & quidem maiori Euangelii saltem effectum proprium proponenti, vt par est non respondenti. Quod igitur in minori impertinens ponitur, itaq; consequentię rationem non habet maiori termino male connectitur, vt sic falsa emergat conclusio, accedamus tamen ad dictum *Matth.* 9. propius. Non enim misit Deus filium suum in mũdũ, vt condemnet mundum, sed vt mundus per eum saluus fiat. *Ioh.* 3. Vnde colligitur officium Christi excludere munus legis. Quamobrẽ colligitur, ꝙ omnia illa sint Euangelii, quæ Christo peragenda tribuuntur. Sane verum est quod Christus sit finis legis ad salutem omni credenti *Rom.* 10. Quod eius proprium officium sit a legis condemnatione eripere, & sine lege saluare. Quidoquidem autem nõ solum missus est, vt vim suam ad redimendum genus humanum exerceret, sed etiam ne legi vim faceret, quin potius ei satisfaceret proprium Christi atq; præcipuus

prius finis incarnationis & passionis eius salua lege, & quidẽ hac per Christũ impleta intelligendus est. Item in Christo condimur ad noua opera, quæ pręparauit Deus, vt in iis ambulemus. *Ebr.* 2. Id φ etiã in præsenti testimonio apparet. Cũ n. oppositio sit in hoc dicto & status manifestus, obseruanda est distinctio, & quęstio ad statũ astringenda. Opponuntur iusti & peccatores, & quæstio est, quare Christus publicanis & peccatoribus conuersetur neglectis Pharisęis iustis, sicuti videbantur sibi tales. Hic Christus respondet: *non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitẽtiã.* Falsum igitur iudicium reiicit, & verũ substituit. Pharisæi n. secundũ legẽ se iustos vẽditabant, Christus ex lege peccatores agnosci docebat, nec ait officium missionis suæ proprium, & Euangelicũ esse arguere peccata, vt fiant peccatores, sed se missum, vt peccatores ex lege confusos vocaret ad pœnitentiam. Etsi vero nihilominus relinquitur pœnitentiæ ratio officio Christi proprio, id est, a lege distincto, & vere Euanlico, tamen quid pœnitentia hic sit, quęrendũ est. Peccatores Christus intelligit eos, qui se ꝓ iustis nõ habebãt, vt oppositio clare ostendit: Agnitio a. peccati ex lege Rõ. 3. Qui igitur peccatores sunt, habẽt vel censent, φ nulli nisi ex lege innotescit, his missus est Christus, vt φ deest pręstet, & sic non opus est arguendo, sed opus consolando, quod fit annuntiatione remissionis peccatorum, sicut Luth. explicat

Tom. 4. pag. 307. ita exponés verba Christi: *Ego voco ad pœnitentiam secundum remissionem peccatorum.* Quod vero hic vlterius indicatur præcisa licentia peccandi & nouæ obedientiæ in Christiano, in finem præstat illius proprii, q secundum Euangelium Dominus hoc loco agit, & sic res redit ad legem, quomodo officium Christi & legis & Euangelii ratioñe habet reditus explicatio ad superiora, q proprium Euangelii proprie dicti, non ęque late pateat atq; officium Christi.

Aliud Argumentum.

Ad Gal. 3. *Lex non est fide.* Ergo etiam fides non est ex lege: si non ex lege fides. Ergo ex Euangelio, cum tertium non sit & iure oppositionis per consequens, etiam incredulitas arguetur ex Euangelio, atque sic Euangelium arguit peccata Resp. Inspiciantur ea, quæ supra thesi III. explicanda sunt tradita, summa est, fides est ex lege & Euangelio: ex Euangelio est, quatenus Christo apprehenso, dicitur iustificare, quo respectu cum opus sequestretur a fide, ita vt Paulus dicat: *si ex gratia iam opus non est opus.* Rom. 11. Recte dicitur fides illa nõ esse ex lege, sed Euangelio, quemadmodum autem ex lege est quatenus opus, ita incredulitas quæ peccatũ est ex lege & arguetur. Apparet igitur hinc, q̃ procliue sit labi, si discrimen legis & Euangelii, nõ exquisite obseruatũ fuerit.

Aliud Argumentum.

Apologia Augustanæ confessionis in loco

de pœnitentia sic habet: *Hæc est summa prædicationis Euangelii arguere peccata & afferre remissionē peccatorum.* Atq; hanc summā ait cōprehendi in hoc dicto Christi Lucæ vltimo: *Oportet prædicari in nomine meo rem. peccatorū, & pœnitentiā inter omnes gentes.* Resp. Status controuersiæ in Apologia hic est: num contritio sola docenda sit sine fide, sicut hæc verba Apologię in eadē pag. ostendit. *Lex*, inquit, *tantum accusat & terret conscientias in his terroribus, aduersarii nihil de fide dicunt, ita tamē proponunt verbū, quod arguat peccata.* Ergo dictū hoc intelligendū est coniunctione fidei cū contritione. Deinde cū hæc coniunctim tractata Euangelii prædicationi ascribantur. Porro quæstio est, num Euangeliū hic propriè dictū, & a lege distinctum accipiatur. Patet a. summam Euangelii hic dici pro summa totius ministerii, quo legis & Euangelii doctrina simul exercetur. Sicut etiā status de cōiūctione agens hoc postulat: Quod si igitur explicanda est illa summa, singulis ꝓpriū suū est asserendū, atq; sic legi tribuēdū est officiū peccata arguendi. Euangelio v. minus annuntiandi remissionē peccatorū, & hoc ipsa Apologia eodem loco nobis pręscribit his verbis: *In hæc duo opera distributa est uniuersa scriptura, altera pars lex est, quæ ostendit, arguit & condemnat peccata: Altera pars Euangeliū, id est, promissio gratiæ in Christo donata.* Hęc Apologia. Hinc etiā de vsu dicti Lucę vltimo ꝓmta est sententia: ꝙ

nimirum summam vniuersę scripturæ complectitur, id quod prius dicitur summa Euangelii.

Aliud Argumentum.

Lutherus in cap. 4. Michæ Tomo 4. pag. 262. de dicto Prophetę: *& iudicabit inter populos multos &c.* sic scribit: *Propheta hoc in loco verbo iudicandi & arguendi vtitur, sicut Christus Ioh. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, id est, in Euangelio arguentur homines, vt agnoscant incredulitatem esse summum peccatum, & docebuntur vt remissionem peccatorum credant per Christum donari.* Ad hoc testimonium idem respondeo, quod modo de Apologia: pagina enim sequenti Lutherus singula commemorans, tum quod de iudicandis populis atque arguendis gentibus dictum erat, tum quod de remedio opposito subiungitur, alterum legi, alterum Euangelio tribuat his verbis: *Hæc Euangeli promissio terrores illos peccati & legis tollit ac corda reddit quieta.*

Aliud.

Lutherus in 3. cap. Oseæ eodẽ Tomo pagina 624. *Sed quid est conuerti? aliud nihil, quam obedire Euangelio, quod arguit mundum de peccato.* Item, *Euangelium ostendit totam naturam peccato corruptam & tanquam venenum per omnes corporis partes diffusum: hæc cognitio deiicit animum & eximit securitatem & concitat verum timorem Dei & iudicii diuini. Atque hi terrores acciderent, nisi Euangelium cum*

doctrina de peccato coniungeret aliam de iustitia & iudicio. Resp. Hoc loco diserte dicitur de coniunctione duarum doctrinarum, & Euangelium extra doctrinam de peccato specialiter constitutam appellatur alia doctrina ab illa, quo aperte alius indicatur vsus vocis Euangelii generalis, alius specialis Sic Lutherus in 6. ca. Oseæ pag. 640. dicit, *Doctrinā in Ecclesia esse duplicem legem, terrentem & Euangeliū erigens corda contrita.* Et notabile est, quod hoc vocet Euangelii proprium beneficium, & pagina 663. explodens doctrinam Pontificiam de contritione & attritione negat distinctionem inter pœnitentiam seu cōtritionem duplicem ipso motu, cum dicit: *Contritionem esse motum sp. sancti, quoniam per verbum legis eam in credentibus excitat.* Audis etiam contritionem in credentibus non esse alium motum, quam excitatum doctrina legis.

Aliud.

Luth. in explicatione Psal. 51. Tom. 4. pag. 389. *Iam cum hæc quoq; peccati pars sit, quod peccatum in natura absconditum manet, nec potest totum plene cognosci, necesse fuit id diuinitus reuelari. Est autē hæc peccati reuelatio per legē & per Euangeliū, seu promissionem. Nā vtraq; doctrina arguit peccata, quæ nos neq; intelligimus neq; credimus neq; scimus esse peccata nisi cum admonemur verbo Dei.* Respondeo.

Nō reiicim⁹, q̧ dicitur Euāgeliū etiā in ſpecie acceptum arguere peccata, niſi addatur hoc proprie fieri ab Euangelio ſecūdum eius propriiſſimum munus. Agnoſcimus igitur verum eſſe, quod Lutherus Euangelio propter legis operam aſcribit, modo non proprie hoc dictum vrgeatur. Ipſe autem ſua verba in eadem pagina ita explicat, quod Euangelium ſeu promiſſio clara & certa conſequentia arguat nos eſſe peccatores, & ſola gratia conſeruari. Si enim Deus promittit vitam, ſequitur nos ſub morte eſſe, ſi promittit remiſſionem peccatorū, ſequitur nos ſub peccatis eſſe & teneri. *Hæc Lutherus*. Ex illis patet quod noluerit proprie ſua verba de Euangelio accipi, nec dicit Lutherus Euangelium confieri ex maledictione & benedictione, ſed ipſi promiſſionē vitæ tribuit, quod conſequenter arguat peccata ſeu pręſupponat peccatum, quod ſolum refutationi ſatis eſt. Nobilis tamen adhuc locus eſt Lutheri in commentario ipſius ſuper Epiſtolam ad Gal. 3. Tomo 4. pagina 81. Qui cum hanc diſputationem erudite explanet aſcribendus eſt. Sic autem Lutherns ibi ex vocabulo Benedicentur colligit: *Nunc Paulus aliud argumentum a contrario, eſt enim ſcriptura plena antitheſibus, & ingenioſi hominis eſt cernere antitheſes in ſcripturis, ac per eas interpretari ſententias eius, vt hic benedictionis vocabulū mox affert contrarium videlicet maledictionem.*

Cum

Cum enim scriptura ait, omnes gentes benedici in fide vel fideli Abrahamo, necessario sequitur omnes tam Iudæos quam gentes extra fidem vel credentem Abraham maledictos esse. Hæc Lutherus. Quibus nihil aliud dicitur quam sententiam legis propriam ab Euangelio per argumentum a contrario probari, quomodo certe quod legis est, non sit Euangelii proprium.

LOCVS XX. DE IVSTIFICATIone hominis coram Deo.

I. THESIS.

Iustificare legaliter est iustũ pronuntiare, qui sua iustitia est præditus. Euãgelice vero est iniustũ aliena iustitia absoluere & iustum reputare.

EXPLICATIO.

QVod Pontificii, quidam obiiciunt significationem vulgarẽ & etymo congruentẽ, verbi iustificare, quasi significet alium iustũ facere, id est, inhærẽte qualitate iustitiæ donare & imbuere, id nullius Latini vsu docebunt, nedum vsitatum probabunt. Hoc autem constat quod ait, sicut aliquid magni vel parui facimus, cui tamen nihil rei, ex qua alterutrum æstimetur vel conferimus vel auferimus, itaq; facere pro æstimare & censere sumitur, itaq; iustificare vsitate sit iustum pronũtiare & prædicare, nec tamen causa vel modus exprimitur, vnde aliquis iustus dicatur. Non igitur necesse est, vt originale significatum vocabuli

hic repudiemus , sed hoc faciendum est, vt distinguatur inter causas & modos, quorum in verbo per se non inest expressa significatio,& ex quibus iusti censeri possimus. Duo autem eius generis modi sunt, vt vel iustus aliquis statuatur, vel ex merito, vel ex gratia , quomodo causa iustificandi vel ex iustitia iustificati propria, vel iustificātis gratia, quæ rursus vel iusta vel iniusta est. Iniusta cum cōtra iustitiæ normam & cum huius violatione iustus censetur, qui iniustus est, quales iustificationes inter homines valde frequentes, cum *pro vitio virtus nomina sæpe ferat*, vt cum nocētes sese innocentes fingunt, & improba gratia prætoris sontem absoluit, sic vsurpatur Iobi 9. *Si iustificauero me, os meũ condemnat me.* Et Prouerb. 19. *Qui iustificat impium, & condemnat iustũ, ambo sunt abominatio corã Deo.* Iusta autem gratia est, quæ gratuita misericordia salua constat iustitia. Gratuita misericordia non est, quæ meritum respicit. Ergo hæc gratia iniustum iustificat. Hæc est illa, de qua Euãgelium docet, nec similis alia exstat in rerum natura inter homines. Hebræis Thara in Hiphel est forense verbum, & significat iustum aliquẽ declamare. Sic δικαιοῦν, etsi varie vsurpetur, nunquam tamen significat aliquem iustum facere , hoc est, infundere iustitiam, vt scholastici vocant qualitatiue, vt Pontificii volunt, id est, iustitia qualitatiue infusa iustum aliquem reddere. Hoc ergo in loco iustificatio

tio dicitur actio iustissima Dei gratuito iustũ pronuntiãtis eum, qui impius est, sed in Christum credit.

CONFIRMATIO.

Legalis iustificatio ad Rom. 2. sic asseritur, *Factores legis iustificabuntur*. Sic de Deo vsurpatur Rom. 3. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quando iudicaris*. Gal. 3. *Nullũ per legẽ iustificari manifestum est*, cuius ratio redditur, Rom. 8. *Quia lex infirmabatur per carnem*, id est, per obiectum peccato corruptum, cum lex iniustitiam non possit non declarare iniustitiam. De legali & Euãgelica iustificatione Actor. 13. coniunctim dicitur, intercedente tamen iusta aduersatiua *per Christum nobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Moysis* δικαιωθῆναι, id est, *absolui, iustificari, per hũc omnis qui credit, iustificatur, & absoluitur*. Rom. 3. *omnes peccauerunt & carent gloria Dei*. Rom. 4. ex 15. Geneseos dicitur, *Imputatio iustitiæ, & quidẽ ea, quæ contingit impio*, & inquit Apostolus, *qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides pro iustitia*. Rom. 8. *Quis intentabit crimina aduersus electos Dei*. Sic ad Ro. 5. δικαίωσις opponitur κατακρίματι, *vt iustificentur qui iustificationis rei arguuntur*.

Obiectio.

Iacobi 2. Ipsum verbum iustificandi, de quo

Gen.15.& Rom 4.ita declaratur. Videtis igitur ex operibus hominem iustificari & non ex fide solum. Respondetur, quidam abiicientes hanc epistolam abrumpunt quidem disputationē cum impetu, sed quia Pontificiis ita relinquitur gloriatio, quod suam doctrinam nostratū confessione reperiant in volumine sacrorum Bibliorum, ideo vt hoc offendiculum remoueatur corā infirmis, sic puto respondendum. 1. Epistolam non esse canonicæ auctoritatis. Ergo non ex hac explicanda esse scripta canonica, sed ex his illā. Deinde apparet, Iacobum hic tractare quæstionem, num fides mortua, hoc est, quæ iactatur fides & reuera nulla est, iustificet. Mortuam fidem describit a priuatione proprii effectus, cum aliter agnosci nequeat, & sic fidem sine operibus appellat. Rursus hanc solam dicit, quam potius nullam vocaret, sicut prius mortuam nuncuparat. *Cū igitur*, inquit, *videtis, quod ex operibus iustificetur homo, & non ex fide solum*, præmissam intentionem & sententiam hic sequatur interpres, qui vero hominem ex operib. volūt iustificari, vt opera sint vel iustitia qua iustificemur, vel meritū, aut simile quid vitians merā gratiā, ei opponatur grauis cōtradictio Pauli ad Rom.3.& 4. Gal. 3. Cuius summa Rom.11. his verbis continetur: *quod si per gratiam non iam ex operibus, alioquin gratia non est gratia.*

II. THESIS.

Causa efficiens principalis, qua αἴτιον dicitur, & qui-

& quidem κύριον αἴτιον, quæque est causa voluntaria, hæc, inquam, efficiens iustificationis Euangelicæ est Deus Pater filius & Spiritus sanctus.

EXPLICATIO.

CVm efficientes causæ multæ sint, opus est distinctione. Principalis dicitur, in qua oritur actio hæc, vel mediate, vel immediate agit. Si immediate & absolute, sufficit eam appellasse: Si mediate discretione opus est. Ideo principalis dicitur, a qua oritur actio seu gubernat actionē, & mouet instrumēta. Postquā igitur Deus doctrinam de iustificatione non absolute proponit, vt eam sibi vendicet, sed mediatam actionem appellet efficientis iustificationis, distinguendæ sunt, quas hic in synopsi proponemus.

Et 1. alia est principalis, alia minus principalis. Principalis est Deus, & quidem opus commune est toti Trinitati, etsi Pater & Filius mittant Spiritum sanctum, vt hæc persona ratione sui officii sit mediorū gubernatrix sua quadam proprietate, communione autem vnitatis Dei, itaq; & actionis Trinitati competētis seruante. Dicitur hæc causa αἴτιον κύριον, ne vel a superiore, vel ab inferiore, regi putetur, sed huic primario & in solidum acceptū feratur, quod agitur, dum iustificatur homo. Dicitur & voluntaria, quia libere agit, nō vt naturales causæ quæ ita vi suæ naturæ agunt, vt nec deliberationem adhibeant, nec possint suspendere

actionem admota materia, qualem causam in Christo constituunt, qui eo præcepto non nisi iustificationem & saluationem consequi posse existimant. Voluntas autē Dei alia est absoluta, quā scrutari nefas est: alia patefacta, quæ illigata est mediis causis, nec ab illis semouenda αἴτιον illud, id est, efficiens principalis causa nobis patefecit συναίτιον & σύνεργα quædam. Συναίτια sunt causæ impulsiuæ & meritoriæ. Σύνεργα sunt causæ instrumentales. Impulsiuæ causæ sunt dilectio & misericordia Dei, itaque gratuita dilectio erga genus hominum, cui iuncta est intercessio filii, in quo diliguntur homines. Meritoria est obedientia, passio, mors & resurrectio Christi. Σύνεργα αἴτια sunt instrumentales causæ, quæ vel foris accedunt, vel intrinsecæ sunt. Extrinseca instrumēta sunt verbum Dei & scriptura. Intrinseca instrumentalis causa est fides donum Dei, quæ apprehendēs promissionem gratuitam, hoc est, excudētem omne meritum, omnemq; dignitatē apprehendentis. Itaq; correlatiue fit cā iustificationis. His igitur causis distincte enumeratis patet, quatenus hæc 2. Thesis efficientē appellet Deū. CONFIRMATIO.

Exod. 34. *Tu Iehoua Elohim aufer iniquitatem, scelera atq; peccata* Esa. 42. *Ego Iehoua, hoc est, nomen meum gloriam meam alteri non dabo.* cap. 43. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit, ego sum, ego sum Iehoua, & non est præter me saluator* Es. 45. *Ego Iehoua & non est ultra*

vltra Deus præter me, Deus iustus & saluans, nō est præter me. Item *tātum per Iehouā mihi dicet* (videlicet Ecclesia) *iustitia & fortitudo.* Itē, *In Iehoua iustificabunt sese & laudabunt sese omne semen Israel.* Ier. 17. *Sana me Iehoua, & sanabor, & saluum me fac, & saluus ero.* Ro. 3. *Deus promisit Iesum Christum propitiatorium per fidē in sanguine suo ad declarādā iustitiam suam per remissionem peccatorum.* Item, *vt ipse sit iustus & iustificās eum, qui est ex fide Iesu Christi.* Et rursus: *Vnus est Deus qui iustificabit circumcisionē ex fide & præputium per fidem.* Ro. 8. *Quis crimina intentabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat.* 1. Cor. 1. *Christus a Deo nobis factus est iustitia.* 2. Cor. 5. *Si quis est in Christo noua creatura, vetera præterierunt, ecce noua facta sunt, omnia hæc a. omnia sunt ex Deo qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christū.* Et rursus, *Deus erat in Christo mundū recōciliās sibi, nō imputando eis peccata eorū.* Ad Eph. 2. *Deus viuificauit nos per Christum, gratia saluati sumus* Ad Coll. 1. *Placuit Patri per Filium sibi recōciliare omnia* 1. Cor. 6. *abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & per spiritum Dei nostri.*

III. THESIS.

Dilectio & misericordia Dei seu gratuita miserantis Dei dilectio miseriā generis humani ad gloriam suam causa est impulsiua iustificationis.

EXPLICATIO.

IVngēda est in huius causæ mētione dilectio cū misericordia, ne dilectionis cā in nobis

quæratur & ſtatuatur, nec tamen dilectio cœca, nec miſericordia temeraria æſtimetur. Sin Dei miſerentis eſt dilectio, non eſt hominis currentis aut volentis. *Rom.9.* id eſt, nõ eſt hominis promerentis, aut ſua dignitate prouocantis amorem Dei, ſed eſt gratuita dilectio Dei, præſertim cum miſericordiæ irritamẽtũ in nobis, quod vnicum dari poteſt miſeria videlicet noſtra, quæ eſt, quod omnes peccauerunt, & carent gloria Dei, ſit argumentum locuples nihil reperiri in nobis, quo digni, ſolũmodo autem oſtendi, quod indigni ſimus miſeratione, imo quia a Deo defeceramus, & hoſtes eius facti eramus etiam indigni arguimur. Non tamen eſt temeraria dilectio, ſed cũm indignos diligat miſerens miſerorũ diuitias ſuæ gloriæ oſtendit, quemadmodum hanc ipſam rationem dicta ſubiecta complectẽtur. Quod ſi igitur dilectionis & miſericordiæ cauſam priorẽ quæris gloriæ Domini, inuenies, quam cum procul in patefactione cernas, propius autem nõdum intueri queas, minusque penitius perſcrutari & cognoſcere, ſufficit eã notaſſe, vt in his indicatis quieſcens videas hanc tuam modeſtiam eſſe ſummæ pietatis, qua & te diſcedens in gloria Dei totus conquieſcas. Quod diximus in explicatione Theſis 2. acceſsiſſe filii interceſſionem, hoc eodem redit cũ priore, quia cauſa in Chriſto liquet, in nobis nulla datur, niſi miſeria, ad quam tollendam interceditur. Quanquam iſta interceſſio & effectus

fectus erit dilectionis atque misericordiæ filii, & causa quædam προκαταρκτικὴ, mouens patrẽ, ciensq; eosdem affectus in ipso: sed cum hæc non nisi pro captu nostro dici, nisi humano modo intelligi possint, paucis, vt dici solet, & sobrie hic philosophemur, præsertim cum hoc modo procliue sit duplicitatem ex vnitate simplicissima fingere, non tamen plane huiusmodi locutiones euitare possumus, cum Christus etiam similiter loquatur, vt nuper in Ioanne audiuimus, quod dixerit, suum esse cibum perficere voluntatem patris, cum tamen vna vtrique voluntas.

CONFIRMATIO.

Iobi 41. Iehoua inquit: *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei*, & repetitur hoc Rom. 11. Esa. 36. *Angelus faciei eius saluos fecit eos, propter amorem suum & indulgentiam suam redemit eos.* Sopho. 3. *Iehoua Deus tuus in medio tui potens saluabit te, gaudebit super te, lætitia silebit, eo quod diligat te.* Est autem silere Dei conniuentis ad peccata hominum, dum condonat ea. Psal. 6. *Conuertere me Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.* Psal. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundũ multitudinem miserationũ tuarum, &c.* Threnor. 3. *Misericordia Domini quod non consumti sumus, quia non defecerunt miserationes eius.* Esa. 28. *Propter nomen meum longe faciam furo-*

rem meum. Item: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Ioh. 3. *Sic Deus dilexit, &c.* Et ad Romanos 5. *Commendat caritatem suam erga nos Deus, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* 1. Ioan. 4. *Propter hoc patefacta est caritas Dei in nobis, quod Deus misit filium suum vnigenitum in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos.* Ephes. 2. *Deus, qui diues est misericordia propter multam caritatem, qua dilexit nos, & cum per peccata mortui essemus, vna viuificauit nos cum Christo. Gratia saluati estis,* Rom. 9. *vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.* Ad Eph. 1. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis efficit sibi gratos in dilecto, in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex diuitie eius gratia.*

IIII. THESIS.

Obedientia Iesu Christi ad mortem vsque crucis, eiusque sepultura & resurrectio sunt sufficientissima causa iustificationis nostræ meritoria.

EXPLICATIO.

VT sincera sit obedientia pro aliis satisfaciens, iis denique coram Deo peccatoribus promerens gratiam, necesse est, personam absque omni peccato & labe esse. Quicnim

nim peccat in vno, reus est omnium, auditq; sententiam legis: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus.* Indiget igitur ipse satisfactione, nec dum patitur nocens, & quidē quà æternæ damnationi subiectus vltimum quadrantem, id est, sufficiens λύτρον persoluet nunquam. Quamobrem hic primum obedientia Christi intelligatur summa innocentia personæ iustissimæ, siue Deitatem τοῦ θεοῦ λόγου spectes, quæ essentialiter iusta est, & sic iustitia ipsa, siue assumtam ab ipso humanitatem examines, quæ infirmitatibus quidem nostris obnoxia fuit, sed absque peccato. Obedientia vero actualis ab humiliatione & exinanitione vsque ad mortem crucis, hoc est, in lege maledicta describitur, quæ durat per tempus sepulturæ. Resurrectio autem quæ est separatio perfectæ satisfactionis, pignus additur. Notandum etiam est, quod λύτρον hoc Iesu Christi appellatur, id est, personæ decreto Trinitatis designatæ, vt θεάνθρωπος esset saluator, quæque à parte vncta est spiritu sancto, hoc est, ad munus istud confirmata. Etsi vero in meriti ratione passio & mors Christi singulariter commendantur, quæ personæ secundum vtramq; naturā non conueniunt, sed Christus passus & mortuus est secundum vtramq; naturam, non conueniunt, sed Christus passus & mortuus est secundum carnem, tamen non mera passio & mors nudi hominis intelligitur, sed quemadmodum in persona illa coierunt

duæ naturæ, nempe diuina & humana: Ita personæ fuit passio, & mors ista carne quidem patiente & moriente, cuius solius est hæc proprietas; Deitate autẽ licet eatenus quiescente, ne prohiberetur passio & mors carnis, appropriante sibi passiones suæ propriæ carnis, & efficaciter sua virtute reddente ἀ ἀξίαν [illegible]. Atque hinc est illa sufficientia, quæ prædicatur.

CONFIRMATIO.

Esa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit.* Item, *vulneratus est.* Item, *non est inuentus in ipso dolus, &c.* 1. Pet. 2. *Qui peccata nostra pertulit in corpore super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viueremus, cuius liuore sanati sumus.* Act. 20. *Dominus Ecclesiam suo sanguine redemit.* Ioh. 1. *Ecce agnus Dei, tollens peccata mundi, &c.* Ioh. 3. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Ioh. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quã dabo pro mundi vita.* Ioh. 10. *Ego sum pastor ille bonus.* Ioh. 15. *Maiorem caritatem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis.* Roman. 5. *Cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus, &c.* Item, *Per vnius obedientiam iusti facti sunt multi.* Rom. 3. *Quem proposuit Dominus propitiatorium per fidem.* Rom. 4. *Traditus est propter peccata nostra.* Rom. 8. *Deus proprio filio suo non pepercit.* 2. Colloss. 5. *Eum, qui non nouit peccatum, peccatum pro nobis fecit.* Gal. 3. *Christus nos redemit a maledictione legis.* Eph. 2. *Vos, qui e[illegible]atis olim procul, propinqui facti estis.* Phil.

Phil. 2. *Obediens factus est vsque ad mortem.* 1. Tim. 2. *Homo Iesus Christus dedit seipsum pretium pro omnibus.* Hebr. 9. *Christus per propriũ sanguinem ingressus est semel in sacrariũ.* Item, *Ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est.* Heb. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi.* 1. Pet. 1. *Vt, qui sciatis, vos non caducis rebus auro & argento redemtos esse.* De sufficientia huius meriti, quoad vniuersos peccatores, videatur Thesis quarta in loco de Euangelio. Minus igitur dubii est, quin possit eos εἰς τὸ παντελὲς σώζειν, *quod ad eum accedunt,* Hebr. 7.

V. THESIS.

Instrumentales causæ iustificationis a parte Dei conferentis, sunt verbum & sacramenta.

EXPLICATIO.

INstrumentales causæ externæ, quibus Deus vtitur in ministerio reconciliationis, sunt verbum & sacramenta, quæ tamẽ ordine causarum & effectuum explicanda atque cognoscenda sunt. Nam illa primum sunt media, per quæ Deus in hominibus fidem operatur & auget. Deinde fidei obiectum proprium offerunt promissionem, scil. gratiæ in Christo seu Christum ipsum, & applicationem habent, promissione omnes & singulos appellante, atque aduocante, & sacramentis promissionẽ tum applicantibus, tum obsignantibus. Itaq; ista sunt iustificationis causæ, nisi tamen fides

sit, verbum & sacramenta non sunt iustificationis efficaces causæ. Quamobrem vbi ista media destituuntur hoc effectu, seu cum verbum audire, & sacramenta vsurpantur ab impœnitentibus, qui nunquam credunt, tum instrumenta illa ordinariam quidem dignitatem suam in sese non admittunt: Iustificationis tamen causæ ideo non sunt actu, quia fides desit, ideo ex opere operato sacramenta nequaquam saluant, licet Deus per illa regeneret, & fidem donet, vel stabiliat pro suo beneplacito.

Confirmatio.

Psal. 51. *Cor mundum crea in me Deus.* Psal. 119. *Ostium verborum tuorum illuminat intelligere, facit simplices.* Esaiæ 50. *Iehoua aperuit mihi aurem.* Esaiæ 56. *Patefeci me iis, qui non interrogabant, inuentus sum ab iis, qui non quærebant me.* Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui oneratis, &c.* Quod dictum habet explicationem egregiam, Esaiæ 55. Ioh. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Item & scriptum est in Prophetis (Esaiæ 54. & Ierem. 31.) *Erunt omnes docti a Deo, quisquis audiuit a patre & didicit, venit ad, &c.* Item, respondet ei Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Rom. 1. *Euangelium est potentia omni credenti.* Rom. 10. *Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt.* Rom. 16. *Ei vero, qui potest vos stabi-*

stabilire secundum Euangelium meum & praeconium Iesu Christi ex reuelatione ministerii, quod a temporibus aeternis tacitum fuit. 1. Corinth. 1. *Placuit Deo, per stultam praedicationem saluos facere credentes.* 1. Corinth. 2. *Quae sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei.* 1. Corinth. 3. *Paulus & Apollo ministri sunt, per quos credidistis.* Item: *Etenim Dei sumus ministri, vos Dei aedificatio estis.* 2. Corinth. 3. *Praedicatio Euangelii appellatur ministerium iustitiae.* 2. Cor. 5. *Si quis est in Christo, noua creatura est, vetera praeterierunt, ecce noua facta sunt omnia, haec autem omnia sunt ex Deo.* Roman. 6. *An ignoratis, nos, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos.* Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & dedit semetipsum pro ea.* Colloss. 2. *Consepulti cum eo per baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis.* Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes, hoc est sanguis noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionē peccatorum.* 1. Cor. 11. *Hoc facite, quotiescunque feceritis in mortis eius recordationem.*

VI. THESIS.

Fides est donum Dei, spiritu sancto operante per verbum & sacramenta.

EXPLICATIO.

NOn potuit ostendi, quomodo verbum & sacramenta essent causae instrumentales

iustificationis, nisi interuentu fidei. Quamobrem hæc propositio magna ex parte cum priori incidit, hoc tamẽ peculiariter hic confirmandum est, fidem non esse opus humanæ virtutis, quæ contingente vsu verbi & sacramentorum ex se possit generare fidem, sed instrumẽta illa esse nullius effectus, nisi Deus per ea operetur, qui tamen fidem per illa operari constituit. Quod autem fidem ordinem causarum priorem esse oportet suo effectu, qui est iustificatio, vnde quidam opus hominis, quale certe est fides articulo iustificationis infarciunt; de eo vulgo responderi solet, quod fides Dei sit opus non nostrum. Sed non satisfacit hæc responsio, cum quod nostra opera non exstitit, cum tamen exsistit, nostrum factum est, & ideo donatur a Deo, vt fides nostra sit, quemadmodum Christi vox est, *fides tua te saluam fecit*, Matth. 9. Et Paulus Roman. 1. Ex Propheta Habacuc cap. 2 *Iustus sua fide viuet*. Quapropter hic tantummodo spectatur hæc quæstio, *num nostra, an solius filii Dei virtute fidem consequamur?* Et quod de opere fidei in articulum & actum iustificationis non immiscendo disputatur, id non pendet ex ista quæstione, sed ex causa formali iustificationis declarandum est.

Confirmatio.

Psalm. 18. *Deus præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam*. Esaiæ 54. Dominus

minus de fidelium Ecclesia inquit: *Vniuersi tui filii omnes docti a Iehoua.* Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Ioannis 6. *Hoc est illud opus Dei, vt credatis in eum, qui misit me.* Actorum 16. *Dominus aperuit cor Lydiæ, vt attenderet ad ea, quæ dicebantur a Paulo.* Roman. 10. *Non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit sermonibus nostris? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Ephes. 2. *Gratia Dei saluati estis per fidem.* Philip. 1. *Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum etiam vt pro illo patiamini.* 2. Thessal. 3. *Non omnium est fides, sed fidelis est Deus, qui stabiliet vos.*

VII. THESIS.

Fides est notitia, assensus, & fiducia.

EXPLICATIO.

Fides proprie fiducia constat, quam gignit assensus, quo apprehendimus promissionem fiduciam suadentem, quem assensum præcedit notitia. Itaq; hi actus distincte considerari possunt. Cum aliquid nosse queas, cui tamen non assentiaris, credasque idem verum, nec tamen fiducia tuum facias. Postquam autem fiducia exstitit, non est sine notitia & assensu, præsertim cum fides illa sit alligata ad verbum, circa quod hic vana concipitur opinio, quicquid est, spondere tibi vi-

dearis, quamobrem putandus est etiam error pontificiorum, qui fidem appellant implicitam, quando aliquis, quod credendum sit, ignorat, & tamen imaginatur se credere, vt si quis nesciat, quæ sit fides Romanæ Ecclesiæ, dicat autem se credere, quod ipsa credat, tum eum fide implicita sua liberalitate quadam donant, qui autem fieri potest, vt credas, quod ignores, cum fides sit assentire cognitis, eorum autem, quæ nescias, nulla sit cupido, nullusque assensus.

Confirmatio.

Huc pertinet, quod fides per doctrinam a Deo donetur, vt modo probauimus. Esai. 53. *Notitia sui seruus iustus iustificabit multos, desponsabo te mihi in fide.* Matthæi 16. cum Petrus ederet confessionem fidei de Christo, Dominus inquit: *Caro & sanguis tibi hæc non reuelauit.* Matthæi 13. *Vobis datum est, nosse mysteria regni cælorum.* Assensus per obedientiam sæpe exprimitur, vt modo audiuimus ex 10. cap. ad Romanos, obedientiam & & fidem coniungi vt Synonyma. Roman. 15. *Non ausim quicquam loqui, quod non effecit Christus per me ad obedientiam gentium.* Roman. 16. *Euangelium factum est manifestum, & per scripturas Propheticas declaratum.* Sic etiam capite 1. ὑπακοὴν πίστεως. *obedientiam Dei* appellat. Et 2. Thessal. 1. Hæc periphrasis increpe-

credulorum exstat, qui Deum non nouerunt, neq; obediunt Euangelio Domini Iesu Christi. 2. Corinth. 9. *Consensus in Euangelio.* Matthæi 15. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Phil. 2. *Deus est, qui efficit in vobis, vt velitis.* Dicitur assensus & πληροφορία, Rom. 4. *Abram factus est robustus fide, & plane persuasum habens Deum, quod promiserat, posse etiam facere.* Fiducia est plus, quam nosse & assentiri, quia credens apprehendit & applicat sibi promissionem. 2. Cor. 3. *Fiduciam huiusmodi habemus ad Deum per Christum.* Ierem. 17. *Beatus vir, qui confidit in Domino, & Iehoua est fiducia eius.* Ephes. 3. πεποίθησις tanquam pars fidei appellatur: *Per Christum Iesum Dominum nostrum habemus libertatem & aditum cum fiducia, quæ est per fidem ipsius.* Aliquando etiã παῤῥησία vocatur, quam quidã libertatã, quidam audaciam nonnunq̃ fiduciam interpretantur, & sane vel vis vel effectus πεποίθησις appellatur, quamobrem non male in locis redditur fiducia. Hebr. 4. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam & gratiam.* 1. Ioan. 3. *Si cor vestrum condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum.* cap. 5. *Hæc est fiducia, quam habemus erga Deum, quod si quid petierimus secundum voluntatem ipsius, audit nos.*

VIII. Thesis.

Fides in promissionem gratiæ incumbens

Christum cum beneficiis per ipsum partis comprehendit, itaque vt causa instrumentalis iustificat.

EXPLICATIO.

Fides est notitia & assensus respectu vniuersæ doctrinæ Dei, qua omnes fideles obligantur, & de hac latitudine fidei diximus Thesi tertia de Euangelio. Fides autem iustificans, de qua Roman. 3. dictum est, *lex non est ex fide*, tantum alligatur ad promissionem Euangelii, nec alio fertur eius fiducia, quam in Christum. Quamobrem hic speciatim illam proprietatem fidei consideramus: atque hac Thesi opus est ad declarandum, quod fides sit causa instrumentalis iustificationis, instrumentum videlicet apprehendens in promissione Christum, & omnia, quæ in Christo nobis promissa sunt, inprimis vero iustificationem.

CONFIRMATIO.

Descriptio est *μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ λαμβάνειν, testimonia Christi accipere.* Ioannis 3. *Recipere verbum Dei.* Actorum 2. 8. & 11. *Qui vero accipiunt sermonem de Christo, ipsum accipiunt Christum.* Ioannis 5. *Quem misit ille, vos non creditis.* Et iterum: *Ego veni in nomine patris, & non recipitis me.* Ioannis 1. *Quotquot receperant eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Idcirco, cum homines vocantur ad Euangelium, ad Christum vocantur, vt veniant.

Mat-

Matthæi 11. *Venite ad me omnes.* Ioannis 6. *Venire ad Christum & credere in Christum,* συνωνύμως ponuntur. Qui vero venit ad Christú, eum non eiicit foras, ſed ſeſe ipſi communicat, vt etiam hic receptio Chriſti conſtet, itaque fides accipiendo promiſſionem, Chriſtum, cum quo Deus nobis omnia gratificatur, apprehendit, Roman. 8. Et Ioh. 1. dicitur: *Ex plenitudine eius gratiam pro gratia.* Quomodo fides apprehendendo de Chriſto recipit Chriſtum, tenens Chriſtum, habet, quæ Chriſtus nobis factus eſt, itaque Chriſtum nobis factum iuſtitiam. 1. Corinth. 1. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos eſſemus iuſtitia in eo.* 2. Cor. 5. Hunc inquam fides apprehendens iuſtificat, remiſſis per Chriſtum peccatis noſtris, & imputata nobis iuſtitia Chriſti, *Rom.* 3. & 4. De hac apprehenſione inquit Paulus, Roman. 9. *Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam. Iuſtitiam autem eam, quæ eſt ex fide.*

IX. THESIS.

Fides vera non generalis ſaltem promiſſionis veritate, ſed imprimis applicatione ſingulari ad credentem nititur.

EXPLICATIO.

HÆc Theſis opponitur Ieſuitico delirio, quo tanquam præſuppoſito Pontificii quædam commenta ſtabiliri opinantur. Vi-

dent enim doctrinam nostram de fide certa si-
ne operibus nostris iustificante apertis testi-
moniis sacræ scripturæ niti, quæ cum palam
oppugnare amplius non ausint, explicant ge-
neralius, vt suis quibusdam hypothesibus lo-
cus relinquatur. Fatentur igitur in genere,
veram esse propositionem, omnes, qui cre-
dunt, saluari, sed in applicatione opera nostra
fidei commiscent, & de singulis dubium
mouent, itaque promissionem de omnibus
confidentius pronuntiatã annihilant. Quam-
obrem hæc thesis verbo Dei peculiariter mu-
nienda est.

CONFIRMATIO.

Paulus Roman. 3. *Postquam genus huma-
num vniuersum peccatis subiecerat, & de omni-
bus per redemtionem, quæ est in Christo Iesu pro-
posito propitiatorio per fidem in sanguine suo gra-
tis iustificandis pronuntiauerat*, inquit: λογιζό-
μεθα, id est, *non opinione quadam fallibili duci-
mur, sed firmis rationibus concludimus, fide iu-
stificari hominem absque operibus legis*. Hanc
sententiam nemo saluabit de omnibus, nisi
probet, accommodandã esse singulis creden-
tibus. Etsi enim λογίζεσθαι Paulus generaliter
accipit, necesse tamen est, vt posita hac The-
si subsumtio fiat, & certo concludatur de sin-
gulis subsumtis, ipsisque vniuersales, *omnes si-
tientes*

tientes venite, Esaiæ 55. *Venite ad me omnes*, Matth.11. non inde proponantur, vt solæ veræ sint, nec ad syllogismum aptari queant, concludendo pro singulis, sed ne quis sese exclusum putaret, singulique sese certius includerent, ideo vniuersalitas edita est, id quod non solum postulat euitandi sermonis vanitatem, (qui enim vanum non esset, quod omnibus oblatum singulis tamen denegaretur?) Sed etiam vsus a sacra scriptura commendatus cõfirmat, indiuiduale est, quod huius doctrinæ fundamentale exstitit, *Credidit Abraham Deo, & hoc reputatum est ei ad iustitiam*, Genes 15. Ex quibus Paulus Roman. 4. de persona Abrahæ inquit: *Quod aduersus promissionem Dei non disceptauerit infidelitate, sed robustus factus sit fide, tributa gloria Deo, & plane persuasum habens, eum, quod promiserat, posse etiam facere, quapropter etiam est hoc ei imputatum pro iustitia.* Non autem scriptum est: *Propter eum solum, quod imputatum fuerit ei, sed etiam propter nos, quibus futurum est, vt imputetur, iis nimirum qui credunt.* Hic manifestum est, personæ Abrahæ certo aptari, quod est promissionis, & hoc exemplum singulis proponi. Sic Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob. Item: *Ego sum Deus tuus, ego tecum sum.* Hæc, inquit, applicant singulatim vniuersalem promissionem. 2. Regum 12. Dauidi pœnitenti sic loquitur Nathan:

Dominus abstulit peccatum tuum. Matthæi 9. duo sunt insignia testimonia, Christus paralytico dicit: *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Et mulieri sanguinis profluuio laboranti: *Confide filia, fides tua saluam te fecit.* Rursus Cananææ, Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, vt vis.*

Obiectio.

Vera hæc sunt de illis, quos Deus allocutus & credere iussit, nobis vero id similiter non sumemus absque temeritate. Respondetur: Videntur Iesuitæ hoc sibi parasse in præmissis testimonium effugium, quia hanc cautelam addunt: *Fides*, inquiunt, *est generalium pronunciatorum, si humana natura metiamur tempora.* Sed eadem est fidei & iustificationis ratio omnium temporũ, sicuti diserte testatur Paulus, Roman. 4. Vbi propterea Abrahamum patrem credentium appellat, id quod Deus in Deut. sic annuntiauit fore Abrahamum multarum gentium patrem. Ergo omnium gentium omniumq; temporum. Eadem est ratio fidei, si filii Abrahæ genuini esse debent, & exacte referre parentem. Sic Actor. 5. inquit Petrus de Apostolis & gentibus: *Deus nihil discreuit inter eos & illos, fide purificatis cordibus eorum.* Item: *De his omnibus & patribus per gratiam Iesu Christi credimus, nos saluatum iri, quemadmodum & cæteros.*

X. Thc-

X. THESIS.

Fidei a spe in certitudine singulorum de se credentium & sperantium nullum est discrimen.

EXPLICATIO.

HAnc etiam thesin propter Iesuiticas nugas proponi oportuit. Fidem enim illi solummodo promissioni generali obligāt, & persuasionem de promissione ad singulos indubitanter applicanda inde auferunt. Quia vero nimis aperte absurdū hoc est, iustificationem hominis non esse priuatam, vt appellant, id est, qua vnus quisq; credens promissioni iustificetur, ideo ponunt quidam hanc, verum a fide eximunt & spei implicant. *fides*, inquiunt, *est generalium, promissionum certa. spes autem specialium*, hocque ideo commenti sunt, vt cum fidei dubitatio sit contraria, eam istinc tollant: ne tamen suam dubitationem plane mittant, obseruarunt, quod in rebus humanis spes a fide discernatur, vt cum certū q; est credimus, id quod contingenter futurum est speramus, & tamen fallitur augurio spes bona sæpe suo. Hæc igitur spei conditio videtur ad dubitationem Tridentinam palliendam & fouendam esse commoda, idcirco docent fidem non recipere dubitationem, sed certo credere, quod propositum est, non autem nisi generalem promissionem ipsi offerunt, vt sic certitudinem iustificationis & salutis cuiusque propriæ credenti interuertant.

Hanc autem sperare iubent, hoc est, non sibi certo polliceri, sed bene sperãdo exspectare, ita tamen, vt semper verearis ne frustreris. Verum licet fides sit præsentium, spes autem futurorum, tamen vt fidei Etymo certitudo obtinetur, ita de spe salutis obseruanda sunt testimonia, quibus ipsa infallibilis constituatur.

Confirmatio.

Attendendum hic est, num spei obiectum sit mutabile & fallax, aut dubitanter spei propositum, si neutrum est, spes certissima illa erit, cui ineffabile obiectum ineffabiliter proponitur. Rom. 15. *Deus spei*, appellatur, quod in ipsum sperandum sit, idemq; dicitur implere nos vt abũdemus spe per virtutẽ sp. sancti. Hic neq; obiecto neq; virtuti, per quam speramus cõuenit fallibilitas. Promissio quoque, qu[illegible] spes nititur, etiam & amen est in Christo Iesu. 2. *Cor.* 1. Recte ergo hic concluditur: *In te Domine speraui &c.* Psal. 30. Item, *beatus vir qui posuit in Iehouam spem suã.* Ro. 4. πληροφορία fidei appellatur, & communicatur spei, dum inquit Paulus, Abraham *contra spem sub spe credidit.* Rom. 8. *Spe salui sumus, spes autem si cernatur non est spes, quod enim quis cernit cur speret? si vero quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Hic quidem spes de iis, quæ futurum est vt videamus, non autem dum videntur explicatur, diserte

discerte autem dicitur, quod spe salui simus, ne fluctua spes, sed certissima intelligatur, licet etiam per patientiam exspectemus, tamen hinc nō resultat dubitandi occasio. Patiētia n. parit experientiā, experientia spē, spes non cōfundit. *Rom.* 5. Quapropter ad *Rom.* 8. Apostolus sic describit spem suam, *persuasum mihi est, neq; mortem, neq; vitam, neq; angelos &c. posse nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Philip. 1. Paulus πεποιθὼς persuasus & certificatus pronunciat, fore, vt qui cœperit bonum opus perficiat. Spes igitur describitur, quæ immota constat concepta de futuris secundum promissionem. 1. Thess. 5. Vbi Paulus ait, Deum constituisse seu posuisse nos ad salutem obtinendam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Iubet autem sumere spem tanquam galeam salutis. 2. Tess. 2. *Ipse Deus noster Iesus Christus & Deus & pater noster, qui dilexit nos, stabiliat vos in omni sermone & opere bono.* Hebr. 6. Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilii, interposuit iusiurandum, vt per duas res, in quibus fieri non potest, vt mentitus sit Deus (impossibile n. est, vt ipse mentiatur) validam consolationem habeamus. Hæc satis probant spem Christianam minime fluxam potius stabilem definiri. Spes autem Hypocritæ perit. *Iob.* 8.

Hypocriticam igitur & nō vere Christianam spem definiunt Iesuitæ. De fidei πληροφορίᾳ dubitationem pontificiam elidente sub hesi VII. dictum est, quibus addatur hæc præclara sentẽtia. 1. Ioh. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso, qui non credit Deo, mendacē eum facit, quia non credit testimonio quod testificatus est Deus de filio suo.* Est autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est.

Fucus Pontificius.

Qui declinat vetitam securitatem, & studet mandatæ humilitati, is non peccat, sed pie agit.

Id autem facit Pontificiæ dubitationi obsequens. Ergo. *Hic non peccat, sed pie agit.* Resp.

Et securitas prohibita, & humilitas præcepta primum definienda sunt, & num hæc comparanda cum πληροφορίᾳ fidei iustificantis, & cum gloriatione illa pontificia, vt vera ne illa sit, an falsa, iusto iudicio æstimetur. Duplex enim est securitas, vna, quæ fidei fida & perpetua comes est, altera, quæ fidei non potest cohabitare. Laudata securitas est veræ fidei indiuiduum consequens, vacuitas nimirum timoris seruilis, qui terrens parit fugam Dei, & fremitum aduersus eum.

Fiduciæ autem in Deum stabilitas & pax conscientiæ erga Deum, qua fidelis in mediis ærumnis, ipsaque morte carnem etiam trepidante, spiritu tamen securus viuit. 1. Ioan. 4

Dilectio foras pellit timorem, ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis.* Rom. 4. *Iustificati pacem habemus*, erga Dominum Deum nostrū Iesum Christum, neq; id solum, sed etiam gloriamur in oppressionibus. Sic Iosaphat. 2. Paralip. 20. *Credite*, inquit, *ad populum in Iehouah Dominum vestrum, & securi eritis.* Paganinus *Reb[illegible]*. Lutherus, so werdet ihr sicher sein. VETHEAMENV Paganinus in thesauro *permanebitis seu stabiles eritis*, quod alias Montanus ad verbum reddit, *credite & eritis fideles.* Est enim vetimenu ab Aman, id est, *credidit*, quod vt a ταυτολογίᾳ inani excuses, necessario posterius de eo accipies, quod priorem fidem consequatur, & fidei incrementum vicissim præstet. Paul. Rom. 4. inquit de Abrahamo, q robustus factus sit fide, idq; opponit disceptationi, quę fit incredulitate. Securitas enim hęc excutit homini dubitationem, hanc egregie sic describit. Esa. cap. 25. *Dominus Deus meus es tu, exaltabo te, quia fuisti fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione eius, tegmen a turbine, vmbraculum ab æstu.* Esa. 32. De populo, super quem effundatur spiritus ex alto, dicitur, *erit opus iustitiæ, pax & opus iustitiæ, requies & securitas vsq; in seculum.* Item Ieremiæ 33. *In diebus illis saluabitur Iuda & Ierusalem habitabit confidenter*, wird sicher wohnen, Lutherus. Hæc igitur est securitas, quæ a vera fide non potest

ſeparari, eiuſque effectum proprium eſt, & perpetuum, iam cum dubitatio πληροφορίαν fi-dei abſoluens, hanc ipſam ſecuritatem tol-lat, non eſt illa piis commendanda & præci-pienda dubitatio, cum impiorum ſit irre-quietum eſſe, quemadmodum Eſaias inquit: *non eſt pax impiis dicit Dominus.* Eſai. 48. Et rurſus, *impii quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt, & proiicient aqua eius cœnum & lu-tum &c.* Eſaię. 57. Dum igitur Pontificii ſe-curitatem iſtam fidei inuident, falſo glori-antur, quod ſecuritatem prohibitam velint animis credentium excutere. Altera ſecuri-tas vitium fidei repugnans. Eſt enim pec-catum primi præcepti & vacuitas timoris Dei, qui iuxta voluntatem Dei accurate am-bulandi curam ſuadet & accendit, ne tamen vacuitas illa gignat incuriam ſtupidi & frigi-di peccatoris negligentem facienda, ſed ſecuri-tas iſta conſtat etiam motu contrario impel-lente ad captandam licentiam malitiæ ſpe impunitatis, Diabolus ſeſe ſecuris mentibus implicante, & poſteriora prioribus peiora reddente.

Etſi autem dubitatio Pontificia, timorem ſeruitutis accendens, Epicuream ſecuritatem in deſperationis ſolicitudinem conuertit, ta-men propterea laudanda non eſt, cum non omnis vitii ſublatio virtus ſit, quoniam ex-trema etiam ſeſe mutuo perimunt: Sed

illa

Illa demum vitii ablatio probatur, quæ ad laudatum medium reuocatur sine deflexione siue ad dextram, siue ad sinistram. Et vere ista securitatis vitiosæ per dubitationem interturbatio, animam hominis irriquietam reddens, impiorum sortem procurat, de quo modo ex Esa. 57. audiuimus, rursusque hæc effectus negatio, qui fidei proprius & perpetuus est, fidem destruit, vt sic dubitatio Tridentina vtriusque securitatis argumento, fortiter confutetur & confundatur. Sic de humilitate statuendum est: Est enim alia vera, Deoque grata, & fidei maxime amica: alia Hypocritica, nil nisi nomen & fucum humilitatis obtinens. Vera humilitas, quæ ad Eph. 4. Phi. 2. Coll. 3. ταπεινοφροσύνη dicitur, est virtus primi præcepti, qua homo lege Dei contritus, soloq; in Christo salutem repositam agnoscens, de suis viribus suaque dignitate & merito plane desperat, itaque humi prostratus nequaquam animo de se præsumente assurgere tentat, sed quo magis fiducia Christi solius erigitur, eo magis sua merita & quicquid horum est, deprimit & despicit: itaque demisso animo sibi ne minimum quidem de suo arrogante, gloriam sui saluatoris solam profitetur & celebrat, iuxta dictum Oseæ. 13. *Ex te perditio Israel, in me tantum salus.* De ista humilitate coram Deo prosternentis, & in sui abiectione Deum solum adorantis, fidelis sic loquitur Dominus Esa. 45.

Per meme:ipsum iuraui, egressum est de ore meo iustitiæ verbum & non reuertetur. &c. Item, *In Iehoua iustificabunt se & laudabunt sese omne semen Israel.* Ergo sic laus nobis nulla, omnisque spes ex nobis de nobis pertrita, locum dat gloriæ Dei.

Altera autem humilitas eodem quidem nomine insignitur ab Apostolo Collos. 2 Vbi subiectio, quæ cum cultu præstatur angelis, vers. 18. & submissio animi, quæ nullius est pretii appellatur ταπεινοφροσύνη. Hāc si iuxta descriptionem Pontificiorum, quam circa dubitationem de saluatione præbent, consideraueris, reperies non humilitatem, sed arrogantiam cum contemtu Dei extremo coniunctam, dum dubitare iubent de gratia & voluntate Dei, de promissionibus verissimis Dei, & quia illis suam prædicat gloriam, quicquid subtrahitur isti gloriæ, Deo decedit, & sic dubitatio illa supra Deum sese extollit, huiusque dicta suis opinionibus postponit. Dubitationem porro inquisitione propriorum meritorum persuadere conatur, de quorum sufficientia, cum nemo sit certus, dubitandum esse putant, consequi id, quod detestabilem superbiam spirat, sibi vendicantem, quod non est, imo Deo eripientē ꝓpria, eaq; sua mētientē, quorū peccatorū atrocitas verbis non satis potest exprimi. Etsi igitur dubitatio ista, exterius fingit humilitatis speciem, tamē intus superbia fœdissima scatet,

scatet, cũq; vltro fateantur Pontificii fidẽ docere humilitatem, dogma suum aperte condemnant, quæ hominem docet veram humilitatem abiicere, & superbe in Deum insurgere.

XI. THESIS.

Formalis causa iustificationis miseri peccatoris coram Deo est plenaria remissio peccatorum nostrorum & imputatio Christi.

EXPLICATIO.

COnferenda est hæc forma cũ iustitia hominis initio cõditi, & cum peccato, quod in locum deperditæ iustitiæ successit, in qua comparatione omnino opus est quadam cõuenientia, sed attendendum quoque, ne impertinentia assumantur. Iustitia prima erat ipsius naturæ perfecta integritas & conformitas cum lege Dei, iustitiæ norma simulque actualis obedientia iustitiam opere perficiens. Hæc iustitia, quæ & naturæ & actionum hominis cum voluntate Dei congruentia cõstabat, per lapsum primorum parentum amissa est cui successit peccatum originale, naturam hominis ream reddens & prauam, vnde peccata scaturiunt actualia.

His in iustitiæ sordibus fœdatus homo factus est Deo abominabilis & per legem damnatur, cui damnationi opponitur iustificatio, nec tamen vt damnatio sit propter inhærens peccatum & propriam iniquitatem hominis,

ita etiã peccatoris iustificatio præsupponit iustitiam ipsi qualitatiue inhærentem, & iustitiã facientem, id quod tamen humanæ rationi ex oppositorum consideratione videtur necessarium. Peccatoris enim damnationi non opponitur iustificatio simpliciter, vt sicut homo corruptus & prauus damnatur, ita restitutus bonitati iustus pronũtiatur. Sed licet Deus restitutionem deprauati hominis decreuerit, non tamen illam, nisi reconciliatis promisit, itaque reconciliatio, quæ fit iustificatione, distincta est a restitutione, quæ renouatione & sanctificatione constat, quæque non ante reconciliationem, sed post eam perficitur. Itaq; si iustificationem ex iustitia inhærente homini definiueris reconciliationem & restitutionem ita permutabis, vt prius fiat restitutio, & postea reconciliatio. Hoc si fieri debuit, plane frustra Filius Dei incarnatus, passus & mortuus est, quoniam, quod vniuscuiusque propriæ iustitiæ proprioq; merito defertur, id per Christum alioq; merito comparari nõ oportuit. Hoc vero dicere impium & decẽtẽ Christianum negat, cum qui Christum abolere velit, Christianus minime: vere autẽ Antichristus sit. Interueniẽte autem Christo inter peccatoris damnationem & eiusdem integritatẽ reformati iustificationem (sic enim hoc verbum ad Ro. 2. vsurpatur, factores legis iustificabuntur quanquã iustificatione, de qua hic agimus intercedente, illa cum hac non sit

com-

commiſcenda) & quidem Chriſto ſubiecto legi, vt nos a damnatione legis redimeret, & nos adoptionem acciperemus *Gal.*4. Quam ſequitur renouatio, qua homo abrupta demum hac vita integritati reſtituitur, 1.*Cor.*15. Ideo iuſtificatio, qua homines Deo reconciliantur & adoptantur, non fit per reſtitutionem iuſtitiæ qualitatiue infuſæ & inhærentis, ſed in Chriſti iuſtitia iuſtificamur, quia tamen opus eſt peccatorum ablatione & iuſtitiæ collatione, nec tamen hic agitur de reali reparatione hominis, qua natura eius realiter ab omnibus peccatis expurgetur, vt nullum peccatum amplius inſit & infundatur noua qualitas iuſtitiæ, ſubiectum iſtud informans, vt nõ ſolum non habendo peccatum, ſed etiam habendo perfectam iuſtitiam homo iuſtus dici poſſit. Quæritur, *quæ ſit alia hoc loco iuſtificationis natura & forma*? Hic ſcriptura ſuppeditat remiſſionem peccatorum & imputationem iuſtitiæ Chriſti, itaque peccatorem non ſolum ablutione peccati, ſed etiam receptione iuſtitiæ iuſtificari docet: verum ablatio iſta peccati fit remiſſione & iuſtitia confertur imputatione per fidem in Chriſtum. Et probe hoc notandum eſt, quod ſicut nondum plene iuſtus eſſet homo coram Deo, ſi peccatis careret, niſi etiam iuſtitiam haberet, nec habere iuſtitiam ſufficeret, niſi peccatis plane careret. Ita iuſtificatio nec remiſſione peccatorum ſola, nec imputatione iuſtitiæ

ſola conficitur, ſed ſemper hæc duo coniungenda ſunt in deſcriptione cauſæ formalis iuſtificationis, quod tamen aliquando vel remiſſio peccatorum vel imputatio iuſtitiæ ſolum appellatur, id non improbamus, ſed ne vnũ excluſiue iuſtificationẽ definiat, ſynecdochice intelligenda eſt. Eodem pertinet quod Chriſtus nõ ſolum damnatione legis, cui obnoxii facti eramus, in ſe recepta, eaq; per paſſionem & mortem crucis, id eſt, per ſatisfactionem ſublata, ſed etiam perfecta iuſtitia & obediẽtia pro nobis præſtita, factus eſt nobis iuſtitia, 1. *Cor.* 1. & 2. *Corin.* 5. Quiſquis igitur alterutro horum definit iuſtificationem excluſo altero vel remiſſione peccatorum vel imputatione iuſtitiæ ſola, is beneficio Chriſti plane non gaudet, nec in Chriſto perfectam agnoſcit iuſtitiam.

Confirmatio.

Act. 10. Petrus, inquit: *Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen eius, quemuis credentem in eum.* Paulus vt vtrumq; demonſtret hæc duo teſtimonia veteris teſtamenti coniungit, Rom. 4. *Credidit Abraham Deo.* Gen. 15. *Et beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates* Pſal. 32. Ad prius dictum ſic concludit Paulus, ei, *qui non operatur, credit autem in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua pro iuſtitia.* Hic diſerte appellatur imputata iuſtitia, & quidem præciſa

præcisa ratione propriæ iustitiæ eius, qui iustificatur. De dicto Dauidis idem sic Apostolus: *Dauid beatum pronuntiat eum, cui Deus imputat iustitiam sine operibus.* Hic denuo renouationis iustificatio negatur. Et cum Dauid satis clare remissionis peccatorum meminerit ex ista beatitudinis prædicatione iuncta, iustitiæ imputatio elicitur. Iniustus enim, nó est beatus, sed maledictus *Deut.* 27. Quia vero beatum prædicat, iustum prædicat, iustum inquam, cui remissa sunt peccata: ergo non propria iustitia talem, ac si propria iustitia, non iustificetur peccator, tamen alienam iustitiam ipsi imputari necesse est. Rom. 1. *Iustitia Dei per Euangelium patefit &c.* Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes.* Item, *Iustificamur omnes gratis eius gratia per redemtionē factam in Christo Iesu.* Rom. 5. *Iustificamur sanguine Christi,* Matth. 26. *Sanguis Christi pro nobis effunditur in remissionem peccatorum.* Eph. 1. *Gloriosa sua gratia gratis nos sibi gratos effecit in dilecto, in quo nos habemus remissionē per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum ex diuitie eius gratia.*

XII. THESIS.

Christus est nostra iustitia tum qua satisfecit pro peccatoribus legi, tum qua iustitia ipse est, & a credente fide tenetur.

EXPLICATIO.

CHristus in iustificatione peccatoris ē causa efficiens promerēs et materialis ipse n.

nos reconciliauit Deo, ipse promeretur nobis iustitiam, ipseque iustitia nostra est. Nulla autem harum causarum est forma iustificationis, & postrema locutio docendi gratia causæ materiali ab eruditis tribuitur, quia materiam iustificationis præbet iustitia Christi. Errauit igitur Osiander causarum confusione, vel efficientem, vel materialem causam pro formali venditans, quando negauit nos remissione peccatorum & imputatione iustitiæ Christi iustos esse. Affirmauit autem essentialem Dei iustitiam esse causam, quæ cum interius sit, hominem iustum efficiat, & quidem inhabitationem iustitiæ seu ipsius Dei, quæ est iustificationis consequens, imputationi opposuit, itaque sanctificationem cum iustitia permutauit, quanquam sanctificatio sit inhabitantis Spiritus sancti effectus. Quæritur autem quomodo Christus sit iustitia nostra, itaq; cā materialis nostræ iustificationis? Respondetur, Quod implendo pro nobis legem factus sit iustitia nostra, persoluendo autem pœnam sufficientem, quam nos nostra inobedientia meriti eramus. Si n. illi aliquid iustitiæ defuisset, redemtione a maledictione legis ipse indiguisset.

Nec satis erat pro nostris peccatis satisfacere, verū etiam iustitiā reduci oportebat, quemadmodum non solum non peccare, sed etiam perfecte Deo obedire debeamus. De eo v.q Christus dicitur habendo iustitiam legem impleuisse,

plenisse quæritur rursum, cum non solum humanitatis suæ integritate & sanctitate, sed etiam diuinitatis perfectissima iustitia iustus fuerit, num vtriusque iustitia ad causam materialem, id est, ad iustitiam, qua homo iustificatur pertineat. Osiander hic solummodo iustitiam Deitatis, Stancarus solummodo iustitiā humanitatis postulabat. Verum cum mediatorem oportuerit esse Deum & hominem, & hic semet ipsum dederit pretium redemtionis pro omnibus, secundum vtramq; naturā, Christus nostra est iustitia, atque sic phrasis illa: *Christus est iustitia nostra*, recte intelligitur, etiam de iustitia essentiali eius deitatis. Verū ea non inhabitādo, sed imputatione informat hominem, vt iustus censeatur iuxta doctrinā iustificationis distinctæ a sanctificatione. Nec sola essentialis Dei iustitia, sed totius Christi, qui & habendo & præstādo iustitiam, & satisfaciendo legi probauit perfectam obedientiā, itaque ipsius iustitia secundum vtramq; naturam in vno ἀποτελέσματι obediētiæ, quo etiam pertinet iustitia, quæ nō actualis, sed essentialis est, credēti in Christū imputatur, & imputatione ipsius ꝓpria facta ipsum iustū reputari facit.

CONFIRMATIO.

Es. 45. *Tantum in Iehoua mihi iustitia & fortitudo.* Item, *In Iehoua iustificabunt se omne semen Israel.* Esa. 54. *Hæc est hæreditas seruorum Domini.* Ieremiæ 23. *Ecce dies venient dicit Iehoua, & suscitabo Dauidi germen iustum.*

Ier. 33. Ad verbum sic sonat: *Et ipse qui vocabit eam* (*Ierusalem videlicet Ecclesiã*) *Iehoua iustitia nostra*. Nec mutetur sentẽtia lectionis huius varietate, verum cum vtrobique dicatur: *Iehoua iustitia nostra*, qui Iehoua germen iustitiæ Dauidi suscitatum appellatur, iustitia Christi non Ecclesiæ definitur. Quod autem non solum homines credentes ita loquantur, sed etiam Pater colligens sibi per Filium Ecclesiam Iehouam incarnatum, vocat nostram iustitiam, id plus roboris fidei parit, Deo videlicet id ipsum ratum habẽte, quod persuasum est credenti. Rom. 5. *Per obedientiam vnius iusti constituuntur multi*. Rom. 10. *Perfectio legis Christus &c*. 1. Cor. 1. *Christus factus est nobis Deo iustitia* 2. Cor. 5. *Eum qui non nouit peccatum, peccatum fecit*. Phil. 3. *Omnia lucra duco pro stercoribus, vt Christum lucrifaciam*.

XIII. THESIS.

Iustificationis peccatoris coram Deo fines duo sunt præcipui, gloria Dei & beatitudo hominis.

EXPLICATIO.

NOn solum nobis dictum est, *omnia facite ad gloriam Dei* 1. Cor. 10. Sed etiam, *omnia opera Dei eundem finem spectant, teste Salomone* Pr. 16. *Omnia propter se fecit Iehoua*. Ante omnia igitur finem iustificationis respectu Dei quæramus, & postea respectu nostri. Gloria Deo constat tum iustificationis, vt operis diuini sanctitate iustitia & maiestate, tum hominis

minis accedente celebratione, quæ non solũ perficitur laudibus sonoris, sed inprimis gratitudine cordis donati timore, fide & dilectione Dei, omnibusq; operibus aliis, quæ in Dei gratiam iuxta secundã tabulam syncero corde a iustificatis præstantur. Beatitudo hominũ vel priuatiue, vel definitur positiue. Omnis n. qui credit in Filium non perit, sed habet vitam æternam. Est igitur salus hominum debita gratuitæ misericordiæ Dei liberatio a peccatis, a damnatione, morte & inferno. Contra vero gloriæ Dei fruitio, iustitiæ, beatitudinis & vitæ æternæ acquisitio.

CONFIRMATIO.

Psal. 21. *Cæli annunciabunt iustitiã Domini* Esa. 45. *Tantum in Iehoua laudabunt, & hoc est nomen, quod vocabunt eum Iehoua.* Dan. 9. *Non in iustificationib, nostris prosternimur.* Rom. 3. *Quoniam proposuit Deus eum propitiatorium.* Item, *Vt ipse sit iustus & iustificans eum* 1. Cor. 1. *Quæ ignobilia sunt in mundo & pro nihilo habita, & ea, quæ no sunt, vt ea quæ sunt,* vt sicut scriptum est, Ier. 9. *Qui gloriatur, in Deo glorietur.* Ep. 2. *Gratia saluati estis per fidem.* Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum.* Ro. 4. & Psal. 32. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Rom. 15. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus, quanto magis, &c.* Ro. 6. *Liberati a peccato, mancipati autem Deo habetis fructum vestrum.* 1. Pet. 1. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.*

XIIII. THESIS.

Consequens iustificationis est sanctificatio & noua obedientia.

EXPLICATIO.

DVplex est sanctificatio, altera iustificationi respondens & conformis, altera iustificationem cōsequens. Cum enim vere iustus nō sit, nisi idem sanctus cēseatur, homo peccator iustus reputatus per fidem in Christum eadem imputatione sanctus est, vtq; iustitia illa, qua iustificatur homo, non inhæret in subiecto iustificato qualitatiue, sed aliena cum sit per fidē imputata a Deo fit hominis: sic sanctitas ei iustitiæ conformis sola imputatione contingit, atq; hæc sanctificatio omnibus numeris absoluta est: altera autē quæ est ex renouatione hominis, eius interna nouitate iustitiæ & sanctitatis per spiritum Dei inhabitantem qualitatiue incoata constat, & consequens iustificationis atque fructus est. Imperfecta tamen in hac vita & tempore vltimę glorificationis primum absoluta futura. Hæc sanctitas hominis de quo nunc agimus de nouo spiritualiter ingenerata edit fructus sibi congruos, quæ opera etsi imperfecta soboles imperfectæ matris dicūtur noua opera, quia vt sanctitas illa incoata est fidelium iustificatorum, imperfecta etiam opera in fide facta obedientiæ nomen accipiunt, & per fidem placent Deo, de quibus re in loco de bonis operibus.

Con-

CONFIRMATIO.

1.Cor.1. *Christus factus est nobis sanctificatio.* Rom. 6. *Doctrina de sanctificatione ex professo traditur. Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia exuberet: absit.* Tandé concluditur hic locus, *liberati a peccato, mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum sanctificationem.* Eph.2. *Ipsius opus sumus cōditi in Christo Iesu ad bona opera.* Ioh. 15. Christus, inquit, *Ego sum vitis vos palmites.* 1. Cor.5. *Gratia Dei sumus quicquid sumus.* Gal.2. *Non amplius ego vivo, sed viuit in me Christus.* Eph.5. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea.* Psal.18. *Deus pracinxit me virtute.* Psal.51. *Dauid misericordia Dei implorata orat: cor mundū crea in me Deus.* Tim.3. *Christus dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret.*

DE BONIS OPERIBVS
Locus. XXI.
I. THESIS.

Sacris literis hac vere synonyma sunt, propositum cordis Deo adharēs, obedientia, bonum opus, virtus, iustitia, quam fecimus, fructus digni pœnitentia, bona conscientia.

EXPLICATIO.

PRopositum cordis primo loco pono, quia motus & actio interna externorum operū causa est. Obediētia sæpe dicitur assensus fidei & fiducia secundū verbum, & hoc tamen respectu, ēt huc pertinet, cū fides per se opus sit.

Prætereà etiam fidei effecta complectitur, κα-λὸν ἔργον frequens est, rarius virtus dicitur, for-te per ambitionem nominis Philosophici ex-cellentiam, & nonnunquam Aristoteli sum-mam perfectionẽ significat. Vsurpatur tamen & quidem in adhortationibus, quę ad summi recte nituntur, etsi factum nõ pertingat eo. Est tamen & hoc magnificum nomen καλὸν ἔρ-γον, cum maxime καλὸν ἐν τάξει καὶ μεγέθει, id est in ordine & magnitudine consistat, vt Aristo-teles dicit. imo iustitiæ appellatio Hespero & Lucifero splẽdidior est longeque maior in his appellationibus Theologicis, quã quales Phi-losophorum mentes de virtutibus & vitiis ir-radiauit. Dicuntur a. fructus digni pœnitentiæ vt conuersorum opera, horumq; dignitas in humilima prostratione hominis ex fidei in Deo nitentis gloriatione, hoc est, ex Dei gratia non ex merito hominum constans intellige-rentur. Bona conscientia Metaphorice Syno-nymiam præstat. Non enim tam est bonum opus, quam vniuscuiusq domesticum seu in-ternum de bonis operibus testimonium, qui-quam conscientiam purificari oporteat per fi-dem in sanguine Christi, antequam bona ope-ra a nobis fiant, de quibus conscientia testa-tur.

Confirmatio.

Act. 11. *Barnabas veniens Antiochiam, vi-dit gratiam Dei & gauisus est, & hortabatur*

omnes

omnes, ut τῇ προθέσει τῆς καρδίας *proposito cordis adhererent domino.* Ro.6. *An nescitis cui sistitis vos seruos ad obediendum, cuius serui estis.* Ro 16. *Vestra obedientia ad omnes peruenit.* 2. Cor. 7. *Titus recordatur obedientiæ Corinthiorū, ut cū timore & tremore ipsum exceperint.* 1. Pet.2. *Qui bonis operib. student dicuntur filii obedientiæ.* Phi.4. *Si qua virtus, si qua laus est, hæc cogitate.* 2. Pe.1. *Omni studio adiicite fidei vestræ virtutem.* Psa.37. *Educet quasi lumen iustitiam tuam.* Ro. 6. *Liberati a peccato mancipati estis iustitiæ.* Tit. 3. *Non ex operibus quæ nos fecimus.* Mat.3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* 1. Tim.1. *Finis mandati est caritas ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta.* Item, *milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam.*

II. THESIS.

Causa impulsiua bonorum operum est voluntas & mandatum Dei benignissimi, redemtione & sanctificatione nos alias obligatos arctius deuincientis.

EXPLICATIO.

A Voluntate & mandato Dei merito exordimur, cum scriptum sit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Psal.119. Vbi notabile est, quod initium a verbo Dei faciendum esse monemur, quia non solum semitæ, hoc est, ambulationi, sed etiam pedi, hoc est, anteq̃ pes loco moueatur, itaq; opus incipiatur, lu-

cerna requiratur. Ac sicut verbum Dei instar lucernæ est, splendētis in obscuro loco. 2. Pet. 1. Ita quibus non prælucet hæc fax mens obscurata est *Eph.* 4. Et qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. *Ioh.* 12. Vt vero mandatum Dei dulcescat, redemtio & sanctificatio creationi iure subiungitur.

CONFIRMATIO.

Deu. 12. *Non facietis singuli, quod vobis rectum videtur.* Prou. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ* Esa. 29. Et Matt. 15. *Frustra me colunt tradentes mandata hominum.* Deu. 12. *Quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam nec minuas.* Humanissima vero Dei inuitatio: quod Christus Iohan. inquit, 14. *vos amici mei si feceritis, quod ego præcipio vobis.* Subiicit et: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos & constitui vos, ut abeuntes fructum feratis.* 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

III. THESIS.

Ex mandato Dei & nostra ad illud obligatione, bona opera sunt necessaria.

EXPLICATIO.

Videtur hæc Thesis libertati Christianæ & spontaneo cultui populi Dei repugnare: quia necessitas a nonnullis aliter non potest intelligi, nisi cum seruili coactione coniuncta. Sed necessitas, quę hic appellatur, est mandati & debiti, & quidem inter Patrem & Filios distincta

stincta a necessitatis coactione. Quod enim nō omnis necessitas coactionem importet, aut spontaneæ operationi aduersetur hinc manifestum est. Oportebat Christum pati. *Luc.* 24. Et tamen oblatus est, quia ipse voluit. *Esa.* 53. Et Apostolus 2. *Cor.* 9. necessarium ducit iurare sanctos eleemosynis, idem tamen vult fieri absque necessitate, quæ hilaritatem datoris tollat. Etsi etiam serui dicamur iustitiæ. *Rom.* 6 Tamen hoc seruitium filiale & iucundum intelligendum est, docente sic Apostolo ad Ro. 8. *Quotquot Spiritu Dei aguntur: hi sunt Filii Dei*, atque huius causa mandato adiecimus redemtionem & sanctificationem impulsiuas certe maxime paternas.

CONFIRMATIO.

Rom. 6. *Quid igitur dicemus? permanebimus in peccatis, vt gratia auctior fiat? absit qui mortui sumus peccatis, quomodo viuimus adhuc in eo, &c.* Nec tantum agit de necessitate consequentiæ, sed hanc comitatur obligatio, quā Apostolus seruorum debitum facit, quia dixit, *sistite vos Deo.*

Et postea, *an nescitis, cui vos sistitis seruos ad obediendum, eius serui estis.* Item, *liberati a peccato serui facti estis iustitiæ.* His præter explicationem ex octauo ad Roman. propositā quod ad Ephes. 6. *Serui carnis iubentur obedire suis dominis cum timore & tremore, vt serui tamen Christi facientes ex animo, quæ vult Deus*

quæ cum beneuolentia seruientes Domino & non hominibus. Docet ergo Apostolus spontanei illum animum & Spiritū posse esse seruis carnalibus licet ad coactionem obligatis suis Dominis: Imo assumatur, quod grauius est, Messiam a patre dici seruum *Esa.* 53. Cuius tamen esca est facere voluntatem Patris. *Io.* 14. Et in hoc conditi sumus ad bona opera *Eph.* 2. Atque hæc est bona voluntas seu beneplacitū in hominibus, de quo canunt angeli *Luc.* 2. Estq; illa ἑτοιμασία *promtitudo* & alacritas, de qua ad Ephesi. 6. in πανοπλίας Christianæ descriptione dicitur, *Sitis calceatis pedibus* ἑτοιμασία seu promtitudine & alacritate Euangelii pacis, Luc. 18. *Oportet semper precari.* Hic addatur, quod precantes tamen dicamus, *Pater noster* Matth. 6. *Et Abba Pater* Rom. 8. Necessitas igitur illa consistet etiam in seruitio, quod Deo exhibetur cum affectu filiali, & dilectionis cōtra coactionem metus seruilis, sicut mandati obseruatio dilectioni includitur, vt supra ex 14. Ioh. & 1. Ioh. 4. hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deū diligat etiā fratrem Act. 4. *Oportet Deo magis obedire quam hominib.* Rom. 8. *Debitores sumus, ne secundū carnem viuamus.* Ro. 13. *Necesse est obedire magistratui.* 1. Thes. 4. Paul. ait, *se docuisse quomodo oporteat ambulare.*

IIII. THESIS.

Efficiens causa bonorum operum quatenus actiones sunt, est Spiritus sanctus & homo conuersus mente, voluntate & corde.

Expli-

EXPLICATIO.

PRoxima quidem causa bonorum operum, quoad effectum actionum præstandum, est homo suis operans viribus, quia tamen potentia illa a Deo resuscitata & increata est, nec non spiritus sanctus adest, seruat & agit conuersos ad bona opera, coniungimus vtramq; caussam. multum enim confert ad ταπεινοφροσύνην, si causam efficiētem extra gratiæ diuinæ & doni rationem non consideremus. Dicimus etiam, quatenus actiones sunt propter effectum bonitatis, qui aliam habent causam, cum imperfecta sint opera, quatenus vt actiones ad normam censentur.

CONFIRMATIO.

Ro.5. *Gratiā, in quā per fidē aditū habuimus, stamus.* 1. Cor. 15. de se Apost. inquit. *Gratia Dei sum quicquid sum.* Rom. 11. *Quis prior dedit ei?* 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? quod etiam si accepisti quid gloriaris.* 1. Ioan. 6. *Filius dedit mentem.* Phi. 1. *Is qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet ad diem Iesu Christi.* Philip. 2. *Deus est qui facit vt velitis & perficiatis.* Act. 11. De ἀνοίξει cordis testimonium exstat supra allegatum 1. Pet. 4. *Si quis ministrat. &c.* 2. Pet. 1. *Diuina vis Christi omnia nobis donauit, quæ ad vitam & pietatem pertinent.*

V. THESIS.

Causa materialis & formalis iunctim indicantur cum bona opera definiuntur præcepta a Deo factaq; in fide Christi.

Explicatio.

QVia non tantum dicuntur opera, sed etiã opera bona: Bonitas autem non est ex eo, quod opera fiunt, quoniam in hoc ad normam æstimata longe adhuc absunt a perfectione, contra quam imperfectionem lex inquit, *maledictus omnis, qui non permanserit. &c.* Deu. 27. Bonitas ergo aliunde adsciscitur fide nimirum, ideoque gemina sane forma datur I. Forma operum. II. Forma bonitatis. Sed opera quæ sunt, fiunt quasi materia, quam fides informet, nec forma bonitatis, partim ex lege, partim ex Euangelio commiscenda est. Tenenda autem est forma legalis ad operum conclusionem propter has graues causas. I. Ne ἐθελοθρησκεία & cultus arbitrarius atque electitius, quem Deus abominatur substituatur huic titulo. II. Vt sit testimonium, Christum non venisse, vt legem solueret, sed impleret. Impleuit autem non solum obediendo & satisfaciendo, sed etiam nobis promerendo & conferendo vires, vt spiritu secundum voluntatem eius ambulemus. Bonitas tamen ex fide probatur, vt sola fides iustificet, non solum initio, sed etiam quando iusti bene agunt, & continua iustificatione indigent, nunquam aliter nisi fide iustificantur cumque opera sanctissimorum ex eo, quod sunt opera, non sint perfecte iusta, nisi per

per fidem iustificentur & ipsa, quomodo igitur cum fide coniunctim iustificabunt opera? Atque hinc patet, quare thesi quarta respectu actionum distincte locuti sumus. Huc pertinet, quod fidelium operibus tribuitur obedientia ex toto corde, vt quod 3. Reg. 8. Dominus dicitur custodire pactum & misericordiam suam seruis suis, qui ambulant coram ipso in toto corde suo. Item quod 3. Regum. 15. dicitur: *Dauidi fuisse cor perfectum coram Domino.* 4. Regum. 2. Ezechias orat: *Domine memento quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Hæc enim non sunt æstimanda ex perfectione legali. Non enim est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Ecclesiast.* 7. Et pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus *Psalm.* 32. Et tamen nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, *Rom.* 8. Spiritus ergo & perfectio in Iesu Christo, hoc est, Euangelica intelligenda est, cum fides ἀνυπόκριτος & vera non partem Christi, sed totum Christum, & cum ipso omnia apprehendat, nec præter ipsum aliud, quod in nobis quiddam respiciat, nisi quis fidem etiam metiatur quæ euagetur extra promissionem, quæ dum sibi ibi fingit quod credat, ostendit, se esse simulatam & Hypocriticam fidem.

Confirmatio.

Huc pertinent testimonia quædam collecta sub thesi 2. & 3. de mandato Dei obligante ad bona opera, quæ etiã hoc volunt, normam bonorum operum esse verbum Dei, quod dicitur ex operum, ad Ro. 3. *Et præparauit Deus opera, vt in iis accepta sint & ambularem⁹*. Quẽadmodũ ad Heb. 13. pclare dicitur: *Deus pacis perficiat vos in omni opere bono*. Heb. 11. Abelis & Caini oblationes cõparãtur, & pronũtiatur, Abelem fide meliorem hostiam obtulisse, q̃ Cainum, per quam testimonium acceperit, ꝙ sit iustus, testificante super donis eius Deo. Quibus verbis explicatur, quod Genes. 4. sic legimus, *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. Et Lutherus hinc colligit, quod persona prior fuerit iustificata, indeq; opus probatum, munus autem Caini reprobatum esse, quia non respexerit ad hunc Dominus. Huc pertinent duæ insignes maximę, *quod non est ex fide peccatum est*. Rom. 14. *Et sine fide impossibile est placere Deo posse*. Heb. 11. *Cum omnes nostræ iustitiæ sunt sicut pannus mẽstruatus*. Esa. 64. *Ac si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis*. 1. Ioh. 1.

VI. Thesis.

Bonorum operum finis primarius est vt glorificetur Deus.

Ex-

EXPLICATIO.

SVmma Decalogi hæc eſt, *dilige Deum ex toto corde & proximum tuum ſicut teipſum.* Sicut autē dilectionis obiecta tria ſunt, Deus proximus & vnusquiſq; ipſe, ita horū reſpectu fines operum præcipui tres conſtitui poſſunt, inter quos merito primarius eſt, qui Deum ſpectat. Cum autem omnia fiant ad gloriam Dei, Deo impiorum peccata & ſtudia in ſui honorem cōuertente, Epicureo ex hoc videtur ſuſq; deq; habendum, ſiue bene, ſiue male operetur. Quamobrem auertendi offendiculi cauſa ſciendum, etiam impietatis finem fieri gloriam Dei, ſed non eadem ratione cum pietate.

Hæc enim mandato iubentis, intentione credentis, gubernatione ſpiritus inhabitantis, & ad normam voluntatis diuinæ inſtituta, recta tendit ad gloriam Dei. Impietas autem a Deo prohibita ab inimico Dei proficiſcitur, & Deum ignominia afficit, ideoque quoad agentis ſtudium & factum ipſum nihil laudis Deo quærit, ſed deformationi eius dedita eſt per ſe tota, etſi per accidens Deo videlicet puniente, hoc eſt, opus iuſtitię magnificum exercente, in gloriam ipſius vertatur, quicquid impii ſuſcipiant & faciant, Idcirco Salomon inquit, Prouerb. 6. *Quod impii finis Deum reſpiciat, quia is ad diem*

malum destinetur. Disputatur & hoc, *cum nunquam Deus deficiat in sua gloria, quomodo hæc ipsi dari possit?* Respondemus autem Deo non dari gloriam ad augmentum, sed in testimonium: sicut enim Ioan. Baptista venit in testimonium, vt testaretur de luce, cum ipse non esset lux illa. *Ioan* 1. Ne dum daret ei, a quo omnia acceperat. *Ioan.* 3. Ita bonis operibus testantur fideles de gloria eius, cui obediunt, & se seruos sistunt, cum a se nihil habeant, nisi quod acceperint & glorificando reddant quod acceperint. Thomas Aquinas subtiliter disputat de relatione inter Deum & hominem, quæ realis sit, progrediens a creaturis ad Deum, sed rationis tantum a Deo ad creaturas. Sed cum velit Deus a nobis glorificari & spiritus sanctus hanc gloriam prædicet, nosque modum haud intelligamus, si docendi gratia illa distinctio tolerabilis censeatur, exquisitius certe non est vrgenda, cum ne possit quidem, quia modus recipientis incognitus est, & realitas alias multa, quæ sese Physice non habent. Deum certo dicere Dominum nostrum nulla realitate, quo ad Deum, sed tantum ratione, id videtur nimis tenue, & cum relationis mutuum inter semper vel realitate, vel ratione æqualiter conuertatur, itaque a Thoma relationis natura mutetur in hac distinctione:

po-

potius mysterio relinquatur doctrina, quam vt de explicatione nos ipsos pudefaciamus. Simplicius est & minus obnoxium errori vel tricis, quod Augustinus libro 5. De Trinitate cap. 16. respondet ad quæstionem: *nunquam in tempore Deo tribuantur, & de eo prædicentur, aliquid ipsius naturæ addant, quod ab æterno non habuerit.* Concedit Deum in tempore factum Dominum nostrum, cum antequam seruus sit, Dominus non sit, sed addit talia in hominibus solummodo mutationem parere, in Deo nullam, quod igitur temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatione dici, non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid accesserit, sed plane secundum accidens eius, ad quod Deus dici aliquid Deus incipit relatiue.

Summa vero horum sic disputatorum applicatione ad materiam præsentem hæc est: Deo datur gloria non accidente vel accedente aliquid Deo, vt mutetur, accidente tamen aliquid nobis, quæ tamen sit relatio in Deo, accipiente gloriam nondum constat ex ista declaratione.

CONFIRMATIO.

Ph. 20. *Sacrificans laudem &c.* Psalm. 101. *Misit verbum suum & sanauit eos sacrificans sacrificium laudis* Psalm. 116. *Quoniam o Domine ego seruus tuus sacrificabo tibi*

hostiam laudis , *& non domini inuocabit.* Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus.* 1.Corinth. 10. *Omnia ad gloriam Dei facite.* 1. Petri. 4. *Si quis ministret tanquam ex viribus.*

VII. Thesis.

Finis secundarius est vt vocationem & electionem nostram firmam efficiamus.

Explicatio.

VErba huius thesis sunt Apostoli Petri, 2.Epistola cap. 1. *Vt non tam confirmatione, quam explicatione indigeat.* Sunt enim qui bonis operibus hoc tribui putent, quod necessaria sint ad salutem, quia conseruent eam. Explicatio igitur sic instituenda est, vt non solum vera sententia proponatur, sed etiam aliena, quæ tamen speciose huic dicto offertur, necessario vitanda demonstretur. *Studete, inquit Petrus, vocationem, & electionem vestram firmam efficere.* Hic vocatio & electio aut intelligitur firmari in se, aut vocatorum, aut & electorum mente confirmari.

Prius negamus, posterius affirmamus. Diserte enim dicitur Rom. 9. Nondum natis pueris cum nihil neq; boni neq; mali fecissent, vt propositum Dei, quod est secūdum ele-

electionem, non ex operibus, sed ex vocante ratum maneret. Ephes. 1. a versu 5. vsq; ad 10. *Qui prædestinauit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese pro beneuolo affectu voluntatis suæ secundum gratuitam suam beneuolentiam, quam proposuerat in sese, &c.*

CONFIRMATIO.

Ad confirmationem autem affirmationis pertinet doctrina proposita, Rom. 8. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, accepistis autem spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater.* Sicut igitur Spiritus sancti motu bene operantur credentes, & spiritus eo testatur, nos esse filios Dei, ita bona opera ex spiritu profecta auctorem spiritum arguunt, & huius accedente testificatione testantur de veritate vocationis & electionis, vt menti credentis ratificentur, ita igitur vtramq; firmam efficere dicimur, nobis ex ipsis operibus redundante testimonio de spiritu agente nos, nobisque huius arrhabone certificatis de vera vocatione & electione, cuius firmitas est in proposito & beneuolentia Dei.

VIII. THESIS.

Bona opera non conseruant fidem & salutem, & si mala opera excutiant fidem, & perdant salutem.

EXPLICATIO.

PErtinet hæc Thesis ad amolitioné eorum, quæ modo diximus obstare explicationi

sententiæ Petri. Recte quidem dicitur, quod retinens bonam conscientiam fidem retineat, quia bona cōscientia nō est, nisi ex fide. Quod si autē illa hanc cōseruare diceretur, ordo causæ & effectus permutaretur, quod peruerse fieret. Quod autē bonis operib⁹ nō cōceditur tantū in suo genere, quantū malis in suo, cū opposita debeant esse oppositorū effecta, ad illud vsitate respondetur: Mala opera integre mala esse, ideoq; damnationē mereri: Bona autem non esse perfecte bona, ideoq; non similiter oppositū damnationis mereri. Etsi vero bonis operibus fides est perfectio, vt placeant Deo, tamē illa perfectio non est qualitatis inhærentis, sed imputatio diuina accedens extrinsecus, neque propter fidem, sed propter Christū fide apprehēsum, probat Deus, quicquid in homine acceptat. Verissima etiā est sententia, quod fides nō consistat cum peccatis mortalibus, estq; ad securitatē excutiendam necessarium frequenter sonare doctrinā. In exquisitiore autē declaratione certū est, prius abiici fidem, quā peccatū regnet, vt ipsa incredulitas sit causa mortalium peccatorū, istaq; fidei credenti succedat. Rursus tamen fides nō abiicitur, nisi tentata cōtrario. Si igitur cedit sibi repugnantibus cogitationibus, hæ ipsæ sunt mala opera, pellentia fidem. Vbi autē nulla fides, ibi etiam salus nulla, cum salus animarū sit finis fidei, 1. Pet 1. Hoc vero multos angit, quomodo fides amitti possit, cū certificet de electione Dei, cuius dona

& voca-

& vocatio sunt eiusmodi, vt eorũ ipsam pœnitere nõ possit, *Rom.* 11. Retinenda autẽ est doctrina, q̃ fides amitti possit, id quod confirmatione docebitur, manetq; nihilominus electio immota. Quanq̃ autẽ fidelis mutari potest, & ex iusto iniustus reddi, quẽadmodũ Dauid, Petrus, & alii mortalib. peccatis gratia Dei exciderũt. Quisquis tamẽ labitur vel atrocissime, resipiscens fidẽ repetat, & fundamentũ in Deo immotũ tenebit, nec cum in se infirmitatem & lapsus viderit, ad mutabilitatẽ electionis argumentetur, cum illa constiterit, cum in peccatis nascebantur inimici Dei, nec cũ hanc firmã norit, securitati peccatis indulgenti sese dedit, cum his perditionẽ minetur Deus, & electionis ratio per se immota sit & arcana, & nullibi tuto accipiatur explicanda, credentem autẽ nunq̃ fallat, & arcana ratione cõstare possit immutabilitas. & si credẽs deficiat, & a perseuerantiũ cœtu excludatur, *vt Matth.* 13. *legimus*. Hæc responsio, vt sit plenior, assumantur huc, quæ in loco de prouidentia Thesi IX. diximus, docentes determinationẽ Dei immutabilẽ. Ita disputatio in fine loci de peccato inprimis sub duobus titulis de dicto *ad Rom.* 11. & de dicto 1. *Ioh.* 3.

Confirmatio.

Nobilissimũ dictum est ad Ro. 5. *Gratia & fidei initiũ medium & finẽ salutis tribuens.* Dicitur n. q̃ fide in gratiam habuerimus aditũ, q̃ eadem pacem habeamus erga Deum, & quod

per gratiam, quam fide adierimus, stemus, & gloriemur sub spe gloriæ Dei, Rom. 11. *Per infidelitatem Israelitæ defracti sunt, tu vero per fidem stes, &c.* quasi dicat, noli tibi quicquam arrogare, qui per fidem stas, nec tamen propterea bona opera deseras. Etsi enim bona opera non sunt causa stabilitatis: tamen metus ille non est causa, quod mala opera excidentium e gratia, Colloss. 1. *Sistet vos sanctos & inculpatos coram sese. siquidem permanetis in fide fundati.* 1. Pet. 2. *Virtute Dei custodimur ad salutem.* Item, *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Matth. 13. *Quidam sunt πρόσκαιροι, qui sermonem Dei audiunt, & cum gaudio accipiunt, sed orta persecutione deficiunt.* Rom. 11. *Vt audiuimus stantes in fide admonentur, ne efferantur, cum Deus non parcat, & qui non permanserint in benignitate Dei, excidantur, etsi steterint.* 1. Timoh. 1. *Milita bonam militiam, &c.* qua repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt.

IX. Thesis.

Bona opera non sunt necessaria ad salutem.

Explicatio.

HAnc propositionem Dominus Lutherus falsis Apostolis tribuit, & grauiter contra Pontificios detestatus est, consensere in hoc certamine in nostris Ecclesiis multi sacramentarii & Caluinus ipse. Solus autem Beza inter exteros Caluinianos inuentus est, qui eius palliatio-

liationem susciperet. Anno 70. cum primam partem suarum quæstionum dedicaret Domino Camerario, cui cum insidiaretur, vt sacramentario errori quam antea æquior fieret, putabat gratum fore, si de libero arbitrio & bonis operibus nostræ partis sententiam roderet, & alterius doctrinam pingeret, itaque sese insinuaret viro graui tropũ in verbis cœnę repudianti, & sacramentalem prædicationem nobiscum inusitatam docẽti. Exprobraui hoc Bezæ, cum negaret, suos formula concordiæ indigere, ad quod ita respondit, vt agnoscat necessariam nostrorum disputationem aduersus Naomeos & Pontificios, intestinam autem concertationem sugillet. Si vero in Pontificiis improbandam censet istam propositionem, quod ipsum tamen vix mussitare audet, qui pati potuerunt fideles vigiles, vt in nostras Ecclesias reduceretur, & quidem tempore Sphingis Augustanæ, qui liber dictus fuit *INTERIM*, Samariticam confessionẽ nostræ & Pontificiæ cõfessionis auctoritate summi magistratus obtrudens? Obseruent porro adolescentes, quod detrectet ingenuam responsionem ad crimen a me obiectum. Videamus igitur nos, quid figmenti in prima parte quæstionum afferat: *Si*, inquit, *fides ad salutem necessaria est, & veram fidem opera necessario consequuntur, vt quæ otiosa esse non possit, certe illud efficitur, necessaria esse ad salutem bona opera, nec tamen vt salutis causam* (iustifi-

camur enim, ac proinde viuimus ex sola fide in Christum) *sed vt quiddam cum vera fide necessario coharens*. Respondeo ad antecedens. Fides est necessaria ad salutē, quemadmodum iustificat & saluat, iustificat autē & saluat, non vt opus, sed correlatiue. *Ergo*, nec ad salutem necessaria vt opus, itaq; consequens pro operibus pronuntians, falso inde elicitur. Quod tamen de necessaria inquit cohærentia, hoc tantum necessitatē bonorum operū probat, non autem necessitatem ad salutem. Et cum expresse dicat, non tamen, vt salutis causa, aperte seipsum refellit. Ideo enim non sunt necessaria ad salutē, quia phrasis ad salutē nō potest torqueri, vt causę rationē sono non suggerat, & sensu nō obtineat. Manifestū igitur est, q̧ Beza malā causam male pinxerit. Quod citat quædā scripturæ, in quibus prius posteriore demonstratur, vt q̧ ad Rom. 8. dicitur: *Eos esse filios Dei, qui spiritu Dei aguntur*. Et 1. Ioh. 3. *Eum esse iustum, qui iustitiam operatur*, istis testimoniis nihil probat simile statui, cum enim dicitur: *Bona opera esse necessaria ad salutem*, simpliciter salus ipsa intelligitur, vt simpliciter appellatur, quatenus videl. salus est, & ad eā, vt sit aliquod opus, itaq; aliquid causæ operibus bonis tribui necesse est, q̄ operetur vel cooperetur, siue multū, siue parū, siue hoc, siue illo modo, vt salus, q̧ dicitur, sit. Cum autē dicitur: *Bona opera sunt necessaria ad salutē*, demōstrandu primo est, nō de salute ipsa, vt illa sit vel fiat,

ſed de ſola demõſtratione eius, quod vt ſit vel fiat bonis operib. nullius cauſæ reſpectu debetur, ſed quod & quale eſt, aliũde dignoſcatur ex bonis operib. tanquam ex poſteriorib. quod ſit prius. Itaq; ſi quis ita argumentari vellet: *Bona opera ſunt neceſſaria ad demonſtrandam ſalutem.* E. *Sunt neceſſaria ad ſalutẽ:* is a diuerſis ad idẽ concludet, hoc eſt, id quod ad ſalutẽ nihil facit, ad ſalutẽ neceſſariũ ducit eo, quod ſalutẽ aliunde conſtantem demonſtret, nec multũ diſcrepat proceſſus ab hoc: *Bona opera ſunt neceſſaria.* Erg. *Neceſſaria ſunt ad ſalutem*, cum tamen nullo modo ſunt neceſſaria ad ſalutem, etſi propter alias cauſas ſint neceſſaria. Nequaquam enim licet ſaluti tribuere, neque ad ſalutem vlla ex parte eius pertinet, aut referri poteſt, quod quadam ratione extra ſalutis eſſentiã & formam cum ſalute coniungi poteſt. Videns hæc ſua ἀσύστατα Beza, non quod debebat, ſed ſic concludit: *Plane apparet, contentioſos eſſe, qui neceſſitatem bonorum operum, tanquam falſum dogma condemnant.* Hic cordati intelligunt, quod Beza contra conſcientiã diſerte approbarit hanc propoſitionem. Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutẽ, cum ſuis argumentis tantũ probet, bona opera eſſe neceſſaria, quod tamẽ hoc loco nõ venit in controuerſiã. Simul vero in ſycophantiã & calumniã exit ſtudiũ & labor hominis, vt eos, qui cõtra propoſitionẽ Maioris: *bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutẽ:* criminetur contẽtioſos, quia tales ſint, qui neceſſitatẽ bonorũ

operum tanquam falsum dogma damnabit. Hoc exemplũ obsecro notate, vt animus Bezæ, qualis sit, nimirum fallax & Sycophanticus cognoscatur, vt vitiũ παρζωπολη: ψίας, quod iam in multis regnat, & in cõtrouersias apud ipsos decidit, præcidatur, id quod eorum est, qui candidorum volunt esse pectorum. Vnũ adhuc est testimonium, quo se D. Maior tueri voluit, quodq; multos interpretes macerauit & defatigauit, Rom. 10. vers. 10. & 9. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitauit a mortuis, saluaberis. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Conferantur hic duplices status Pauli & Maioris. Paulus ait vers. 2. & 3. Iudæos zelum habuisse, sed non ex scientia: Nam ignorantes iustitiam Dei, & propriam iustitiam studentes, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Maiori hoc fuit propositum, bona opera non esse necessaria ad iustificationem, sed ad salutem. Discedit igitur Maior a Iudæis eo: quod illi ad iustitiam retulerunt, Maior ad salutem opinatur necessariũ. Quæstio est, num a responsione Apostolica propter immunis fuerit? Respondetur: Non, quia non aliæ, sed eædem sunt iustificationis & saluationis causæ, vt in confirmatione docebimus. Nunc ex allegato Paulino idẽ probemus. Sicut enim corde creditur ad iustitiã, sic ait fieri confessionem ad salutem, sed opere fidei, quod est cordis, non consequimur iustitiam

ſtitiam. Ergo nec opere confeſſionis, quod eſt oris, conſequimur ſalutē. Vt vero corde creditur ad iuſtitiam, ita fit ore confeſſio ad ſalutem. Expreſſe enim dicitur, quod oris confeſſio debeat reſpondere fidei, confitendo Dominum Ieſum, hoc eſt, non propter opus, ſed correlatiue propter Chriſtum ſaluamur. Addatur vero hoc, quod Apoſtolus perſpicue ꝓfiteatur, ſe agere contra eos, qui iuſtitiam Dei ignorent, & propriam ſtudeant conſtituere, ſed eodem collimat Maior. Ergo eandem de eius doctrina feret ſententiam Apoſtolus. Regeritur autem, quod Maior iuſtitiam Dei aſſerat, non neget, ad quod reſpondeo: Non ſolum accuſari iuſtitiæ propriꝫ conſtitutionem, negata iuſtitia Dei, ſed niſi quis ſimpliciter credenti iuſtitiam imputari dicat abſque operibus, is adhuc aduerſariū habet Apoſtolum, cap. 3. 4. 9. 11. Et hic cap. 11. inquit verſ. 4. *Chriſtum eſſe ad iuſtitiam omni credenti*, imo eodē modo, quo iuſtitia etiā ſalus acquiritur, cū dicatur verſ. 11. *Quiſquis credit in eum, non pudefiet.* Etſi ergo Maior bona opera in articulo iuſtificationis excludi patitur, quia tamen excluſiuam in articulo ſaluationis non retinet, vt in illo, laborat certe eius doctrina. Hic tandem quæritur, *quomodo confeſſionis & fidei eadem poſſit ratio eſſe?* Reſpond. Fides, vtcunq; opus ſit, ſeipſam tamen non intuetur, ſed Dei donum cum ſit, ad hoc formatur ab auctore, vt totum hominem nihili faciens, Chriſtum

omnia esse sciat, statuat, fidat. Talem igitur profitetur etiam oris confessio, ac si plus diceret os, quam credit cor, os & cor non conuenirent secum, ideo expresse dicitur, si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, nec dicitur, si simul confessus fueris Iesum & opera tua. Et citatur dictum: *qui inuocauerit nomen Dei, saluus erit*. Hæc igitur mens est. De phrasi vero adhuc deliberant quidam, an non tolerari queat hæc oratio: *Bona opera esse ad salutẽ necessaria:* sicut Paulus inquit, *Ore fit confessio ad salutem*. Hic respondetur: *Si per omnia similes essent phrases, simile postularent iudicium*. Verum magna est dissimilitudo: Nam cũ de confessione oris dicitur, additur forma, nempe Iesu Christi cõfessio ad salutem. Nec dicitur, quod confessio vt opus ipsa est, ita etiam se vna cum Christo iactare debeat: Differentia ergo manifesta est, cum Christi non nostrorũ operum confessio ad salutem fiat. Quod bona opera non sint necessaria ad salutem, nisi ostendatur Paulũ confessionem oris, vt glorificationem nostrorũ operum, vel quantulamcunq; dixisse fieri ad salutẽ, & quod maius est, necessariam esse ad salutem. Non enim Abraham quidẽ, & si stipatus magno choro bonorũ operũ habuit, de quo gloriaretur apud Deũ, *Rom*.4. Atq; sic simul pontificiis occurritur. In maiorem vero peculiariter hæc responsio parata est, quam ad prius explicata recurritur. Falsus ille fuit, bona opera ad iustitiam nõ esse necessaria, sed

ad sa-

ad ſalutem eſſe neceſſaria, dixit. Paulus vero has duas phraſes coniungit, corde credi ad iuſtitiam, & ore fieri confeſſionem ad ſalutem. Sicut ergo fides ad iuſtitiam, ita confeſſio fidei ad ſalutẽ referenda eſt. Vt vero corde credere eſt opus operari, nec tamẽ propterea cor ad iuſtitiã operatur, vt ad iuſtitiã neceſſaria referenda ſint neceſſario bona opera, quẽadmodũ hoc Maior largitur, ita ore confiteri eſt opus operari, nec tamen os operatur ad ſalutẽ, vt bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem, ſed quemadmodũ fide ſincera Ieſum Chriſtũ amplexante, non vt opus, ſeu quia opus eſt fides, ſed per & propter ſolum Chriſtũ gratis iuſtificamur, & ſic corde dicimur credere ad iuſtitiã, ita oris prædicatione, quæ nimirum Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ celebrat per & propter hunc, non vero, quia opus ſit, confeſſio fit ad ſalutem. Non ergo eadem eſt oratio, ore cõfeſſio fit ad ſalutem, vel bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, tum quia operum ratio in poſtrema phraſi conſideranda proponitur, quem reſpectum declinat Apoſtolica altera etiam neceſſitatem ad ſalutem ingerit, itaque cauſam ſalutis operibus neceſſario defert, ꝙ in phraſi Paulina non habetur, & præterea in contextu eius loci refutatur.

Confirmatio.

Sedes huius doctrinæ, quod ſaluemur, ſicuti iuſtificamur in veteri Teſtamẽto inſignis in

cap. 45. Esaiæ, vbi inter cætera hæc legimus; *Israel saluatus est in Iehoua salute æterna, non confundemini, & non erubescetis, neque in seculum seculi, quia sic dixit Iehoua creator cunctorum: Ego Iehoua & nullus præterea.* Et vers. 21. atque sequentibus: *Respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quoniam ego sum Deus, & non est amplius.* Item, *Tantum per Iehouam iustitia mihi & fortitudo*, inquit ibi Ecclesia. Itẽ, *In Iehoua iustificabunt se, & laudabunt se omne semen Israel.* Esa. 46. *Dabo in Zion salutem Israeli gloriam meam.* Roman. 4. Apostolus inquit: *Dauid pronuntiat beatum illum hominem, cui Deus imputet iustitiam absq; operibus.* Sic Psal. 32. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Rom. 5. *Iustificati fide pacem habemus, &c.* Roman. 6. *Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Ad Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem, non ex operibus.* Habes hic necessitatem bonorum operum, sed negationem necessitatis ad salutem. 1. Pet. 1. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.*

X. THESIS.

Bona opera habent promissiones huius & futuræ vitæ.

EXPLICATIO.

INter fructus bonorum operum, quæ ad au-ctores referunt Thesi septima numerauimus primo loco (respectu tamen gloriæ Dei præcedentis, hic finis dictus est secundarius) vt

electio-

electionem & vocationem nostram firmam faciamus ad eundem respectum, quo fructus in auctorem redundat, pertinet hæc Thesis, quæ extat 1. Tim. 4. Valde etiam necessarium est attendere hic, quod Apostolus non dicat, bona opera mereri bona temporalia & æterna, sed ita loquatur, quod bona opera seu pietas habeant promissiones bonorum istorum. Si quod igitur intellexerim debitum promissionis istud fuerit, quo se debitorem constituit Deus, extra quam deberet nihil. Sic enim Lucæ 17. ipse inquit: *Si feceritis omnia, dicite, inutiles serui sumus.* Huc pertinet, quod Matth. 5. dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Satis perspicuũ est, quod debeatis, agat. Ergo bona opera non beatos reddunt, sed a beatis fiunt, quod tamẽ futuri etiam promissio inest, cum dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur*, beati porro per futurum beandi describuntur, sed non ex merito, verum ex promissione. Et licet paulo post dicat, *gaudete & exsultate, &c.* Merces autem rursus ex debito promittentis, non ex operantis desinienda est, ideo Luc. 6. vbi hæc sententia ex Matthæo repetitur appellatione μισθοῦ, id est, *mercedis*, vers. 22. postea 32. eius synonymum ponitur: gratia χάρις. Sic ergo & vita æterna merces est bonorum operum, quæ tamen [illegible] num Dei est, *Rom. 6.* [illegible] dicitur: *Viuite Deo* [illegible]

rum. Huc pertinent dicta de retributione, quæ in confirmatione recitabuntur: hæc relata ad promissionis diuinę meritum nihil detrahunt gratiæ, sed cõmendant eam, omnes enim promissiones in Christo sunt etiam atq; amen ad gloriam Dei, 2.*Cor*.1. Egregie Dn. Philippus hæc dicta cũ gratia conciliauit, ita censens, quod vita ęterna sit merces, qui cõpensat benefacta, & si detur ꝓpter aliud, propter videl. Christũ. Sicut patrimoniũ merces est obedientis filii, etiamsi cõtingit ꝓpter aliam causam. Hanc explicationẽ ex Paulo depromsit, qui nos hæredes Dei, & vitã æternam hæreditatẽ appellat. Hæredes sumus autem, quatenus filii, *Rom*.8. Quod si filii etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi. Non autem aliter sumus filii, quam ex fide, *Rom*.9. Non qui filii carnis, illi filii Dei, sed qui filii promissionis cẽsentur in semine, Gal.8. *Nostis eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ.* Et iterũ, quod si vos estis Christi nempe, semen Abrahę estis, & secundum promissionẽ heredes. Hic constat, quod hæreditas adeatur per & propter gratiam, qua quis in filium adoptatur, nec erit hęreditas isto modo. Sic enim Paulus Ro.4. vbi dixit, Abraham esse patrem omnium credentium, addit hæc: *Non enim per legem promissio cessit Abrahæ aut semini eius, vt hæres esset mundi.* Et mox: *Propterea ex fide per gratiã, vt firma sit promissio toti semini.* Sic igitur hereditas filiis cedit, sed ex gratia, quæ ex non filiis non fecit filios. Hi

enim bene operantur, & vitam æternam accipiunt in retributionem, id eſt, hereditatem & mera gratia contingentem habent operum ſuorum compenſationẽ. Non ergo compenſatio hæc meritum præſupponit, cui Deus debeat vitam æternam, ſiue ex parte, ſiue ex aſſe, ſed ſine merito noſtro tantum credentibus in Chriſtum donatam vitam, itaque in ſolidum gratię debitum reputemus, etiam operũ mercedem, ſicut filius hęreditatem adit, quia filius & hac tanquã ſuæ erga patrẽ referentiæ mercede ſimul gaudet. Huc facit, quod meriti vox nõ exſtet in ſacris literis, etſi enim in verſione Latina reperitur, tamen fontes diuerſum ſapiunt. *Eccleſ.* 16. ſic legimus: *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique, ſecundum meritum operum ſuorum.* In Græco eſt, πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον, id eſt, *faciet locum omni miſericordiæ*, ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει, id eſt, *omni beneficentiæ locum faciet, videl. Deus*, (non enim eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, Ebr. 6. *Vnuſquiſque enim ſecundum ſua opera inueniet meritum ſuum.* Quidã pro ποιήσει legunt ποίησον, vt ſententia fit, *occaſiones benefaciendi non negligendas eſſe, ſed arripiendas.* Quod tamen in Bibliis Lutheri Germanicis legitur: Alle Wolthat wirdt jhre Stätt finden/ Vnd einem jeglichen wirdt widerfahren/ wie ers verdienet hat/ iſtud debetur vulgo ſermonis vſui, nec in fraudem ſacræ ſcripturæ merita noſtra non agnoſcentis, conuertendum eſt. Sic Pa-

tribus vſitata eſt hæc phraſis, *vt mereamur*, i. e. vt digni habeamur & reputemur, id eſt, quod tamen eſt ex gratia. Sic in Apologia Auguſtanæ confeſſionis exſtat vox *meriti*. Aliud autem eſt accurate, aliud vulgate loqui, neque ſententia ex ſingulis vocibus, ſed ex contextu eſt colligenda.

Digna quoque eſt obſeruatio Pauli, Rom. 10. *Quod ſi ex gratia opus iam non eſt opus*, etsi igitur Paulus inquit 1. Corinth. 3. *Vnuſquiſq; ſuam mercedem accipiet ſecundum laborem ſuũ*, quia tamen merces gratia eſt, vt ſupra docuimus, ideo opus iam non eſt opus: Et ſi gratiæ Dei ſit, etiam operibus, quę nõ ſint bona, bonorum tamen nomen per fidem ex Chriſto induere, vt ſicut in Chriſto accipiant, quod per ſe non ſunt, ita propter Chriſtũ non propter ſe coronentur. Pontificii quidam partiuntur vitam æternam inter merita Chriſti, & noſtra, cui ſententiæ alii eiuſdem ordinis reſiſtunt, allegantes Paulum Rom. 4. *Operanti merces imputatur non ex gratia, ſed ex debito*, & ſic recte quidem mixtura illa diluitur & refellitur, ſed vtrum obtinere debeat, quæritur: Operibus certe noſtris cum non debeatur ex parte, multo minus debebitur ex aſſe, cum opus bonum non ſit ſolidum & perfectũ, quatenus opus. Si igitur ad fidem reditur, quæ non eſt fides, niſi amplexu promiſſionis gratiæ, gratia ſola obtinebit, licet promiſſio pietati facta mercedem operibus deputet. Cum

etiam

enim in Christo rata sit, non detrahit, sed fœneratur Christo, vt huic soli sit gloria 1. *Timoth* .1. Huc pertinent hæ phrases, *ambulate* ἀξίως τῷ κυρίου *sicut dignum est Domino*. 1. The.2. Sed indignum est Deo, si homines sibi sumant causam salutis suæ, dixit enim Iehoua, *Non est præter me saluator*. Esa.43. *Et gloriam alteri meam non dabo*. Esa. 42. Alterum dictũ, quo meriti vox in sacra Biblia importatur, desumitur ex versione.cap.13. Epist. ad Hebr. *Beneficientiæ & communicationis ne obliuiscimini talibus enim victimis delectatur Deus*: Vetus versio habet: *Talibus hostiis promeretur Deus*. Aliud autem est Deum delectari nostris operibus in fide factis propter Christum, aliud opera nostra promereri Deum nobis, illud delectationis causam in Christũ, hoc meriti rationem in opera nostra reiicit, cum tamen Paulo ante Epistola sic locuta est: *Per Iesum offeramus sacrificium laudis*, id est, fructum labiorũ cõfitentium nomini eius. Et Augustinus de verbis Apostoli sermone 15. *Omnia merita præcedis, vt dona tua consequantur tua merita*. Vide similia annotata in versi. 29. cap.5.Ioh Philip. 2. locus insignis extat, qui præmissæ explicationi videtur grauiter aduersari, *cum timore & tremore vestram salutem operamini*. Quid enim magis promtum hinc peti potest, quam bona opera esse causam efficientem salutis, quia vero salus meræ gratię debetur, & per fidẽ contingit, nec fidei præter

Christum, eiusq; obedientiam quicquã operis nostri præpositũ est, vnde gratia saluari explicatur ad Eph. 2. quod non fit ex operibus saluari, & quando finaliter salus cõstet, ea finis fidei dicitur 1. *Pet.* 1. Propter hæc igitur certissima, nõ potest illa recipi sentẽtia, q; bona opa sint causa salutis nostræ efficiens, etsi verba sono id egerant animis audientium. Res a. ita se habet, salus promissa est credenti, cui ex mera gratia vel misericordia Dei cõfertur, fidelis a. nemo est, nisi conuersus, & in cõuersione, quę est opus sp. sancti, fides donatur a Deo, & cũ fide chorus bonorũ operũ exsistit, quę sp. agẽte fiunt a cõuersis. Hæc igitur vita fidelis hominis, in qua certatur aduersus carnẽ, & fides seruatur, q; curriculũ tenẽdũ est quasi iter, quo ad salutẽ contẽdatur, sicut Paulus inqt. 2. Ti. 4. *Certamen præclarum decertaui*, & Christus inquit. Matth. 10. *Eritis exosi omnibus propter nomen meũ.* Tale certamen & curriculũ spectat Paulus, quia in fine cap. 1. Phi. dixit: *Vt q; dignũ est Euangelio Christi vos gerite, siue veniens videro vos: vsq; ad finem capitis.* Vt igitur hic cursus inoffenso pede conficiatur, opus est adhortatione verbi Dei, & quia sic itur ad astra, seu ad salutem tenditur, labore illo ad salutem enititur credens, quod est hic operari salutem & conficere, cum tamen ad bonum per gratiam promissum, quodq; bono accipitur, contendatur, veluti cum quispiam hæres, quia filius est, & tamen ad eam aspirans

tans filiale obſequium patri pręſtando operari hereditatē diceretur, quā ipſi paraſſet pater ſolus. Placet quoq; patri iſtud ſtudium, vt dicat ipſe, *filius meus operatur ſuam hereditatem*, ſed ſi filius merito ſuæ obedientiæ poſcere vellet hæreditatem, iniquus eſſet, & in eo, quod citra hæreditatis præmium facere debuiſſet vane gloriaretur indignante patre ſuperbiæ & temeritati. Sic ergo & Deus in hac valle miſeriarum filio retinenti fidem & bonam conſcientiam paterne blanditur. *Ecce fili mi ſic perge, & operare tuam hæreditatem cœleſtem*. Si vero audiens hæc filius gratiæ paternę detrahere ſuiſque meritis hereditatem efflagitare vellet, pater agnoſceret eum, non probum filium, ſed ſeruum nequam. De hoc curſu egregius locus exſtat ad Phil. 3. *Vnum autem hoc ego, eo autem quidem quæ a tergo ſunt obliuiſcens*. Omnino hic loquitur de ſtudio ſuo Paulus, quo enitatur ad ſcopum, ſibique βραβεῖον id eſt, *victoria*, vt curſus præmium paratum agat. Dicemus igitur ipſius labori & ſudori hoc deberi, vt merito abſit. Si enim ipſe promiſit, quæ erant mihi lucrum, ea duxi propter Chriſtum damnum. Ergo ſic quoq; operamur ſalutem, vt tamen eam gratis promiſſam & fidei propoſitam operibus noſtris tanquam cauſæ efficienti vel promerenti non aſcribamus, quia cauſarum iſtarum reſpectu lucra etiam damna putemus, & quæ præclara alias

ſunt ꝓ ſtercoribus habeamus, addatur etiã, q; in ſecundo capite ad illa verba, *operamini ſalutem*, ſtatim ſubiicitur & quidem, ἐτυμολογικῶς, *Deus n.* inquit, *is eſt, & qui efficit in vobis, vt velitis & perficiatis &c.* & cap. I. dixerat, *qui cœpit bonum opus perficiet* : Ergo non ſolum pars, ſed initium, medium & finis, & quidem ipſa perfectio ab exordio vſq; Chriſto debetur. Nec fiat partitio inter Chriſtũ & nos, niſi quod illa noſtra fiant, quæ ille in nobis agit, nec tamen vt noſtra, etſi ſunt ſuo modo nobis lucra, tunc quomodo de Chriſto demerẽdo agitur lucra erunt, ſed ꝓpter Chriſtũ damna reputanda. Hæc nonnihil prolixius de iſto teſtimonio dicenda fuere, quia tale eſt, quod videtur diſerte atteſtari bonorum operum efficaciam ad ſalutem. Quod ſi ergo in hoc munitus fuerit auditor contra prauam opinionẽ, in cæteris quæ tam prope nõ accedunt ad eandẽ ſententiã facilius ſeſe expediet.

Confirmatio.

Theſis ipſa, vt diximus Apoſtolica eſt, & ſunt prolixioris explicationis aliquot præclara teſtimonia, vt haud ſit pluribus opus, & ſi ſint in ſacris literis huiuſmodi non pauca, Iud. 5. Diligentes Dominum rutilant, ſicut ſol in ortu. Pſalm. 58. *Et dicet homo, vtiq; eſt fructus iuſto, vtiq; eſt Deus iudicans in terra.* Pſ. 67. *Reddes vnicuiq; ſecundũ opera ſua.* Dan. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.* Matth. 16. *Futurum eſt, vt filius*

ho-

hominis veniat cum &c. & tunc reddet vnicuiq; secundum opera. Luc. 14. *Beatus appellatur benefaciens pauperi &c.* & additur: *retribuitur n. ei in resurrectione iustorum.* Ro. 2. In die ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας Dei reddet vnicuiq; secūdū opera sua. Eph. 6. *Quod quisq; fecerit bonū, hoc reportabit a Domino siue seruus siue liber.*

XI. THESIS.

Tertius finis bonorū operū est ædificatio & cōmodū pximi. EXPLICATIO.

SIgillatim hi fines explicantur, sed vt primarius est gloria Dei, ita in ipsum redeunt cæteri, & nisi ab ipso excipiantur posteriores, suam & laudem vel non obtinēt, vel non plene. Cum n. duntaxat opera in vera fide facta Deo placeant, & bona sint fidem negantia, vt sunt, quę glorię Dei non subordinantur, neq; illi vere seruiunt, hæc, inquam, apud Deum mercedem nō inuenient, quæ tamen in vsum proximi conuertuntur, qualia etiam infidelium esse possunt, quanquam non dicantur bona opera secundum definitionem propositam, tamen retributionem auferunt hac vita clausa, quo pertinet quod cap. 5. dicitur, *attendite ne Eleemosynam vestram præstetis coram hominibus, vt spectemini ab illis*, & postea, *Amen dico vobis habent mercedem suam*, id est, ǭcquid ad illos redit gratię, illud imitatur huius mundi inconstantiam, & interit cum beneficio. Notetur etiam diligenter tanti faciendum hunc finem tertium, vt si desit operi-

bus alias licitis pietas, ab ipsis quiescere potius, quam iis occupari suadeat.

Confirmatio.

Frequens est Apostolo Paulo phrasis ædificare aliquem, qua respicit potissimum ædificium Ecclesiæ, quam vocat ædificationem Dei. 1. *Cor.* 3. In quo ædificio compinguntur homines per Christum ad mutua pietatis officia veluti membra vnius corporis. In Christo enim condimur ad bona opera. *Ephes.* 2. Et in ipso multi vnum corpus sumus, sigillatim autem alii aliorum membra *Rom.* 12. & *Ephes.* 4. Sicut enim Christus inquit Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera &c.* Studendum est bonis operibus, vt colligatur & crescat cœtus Deũ celebrans, ita Ecclesiæ, quæ est ædificatio Dei, est quidem opus, quod ministerio verbi acceptum refertur. 1. *Cor.* 3. Et tamen etiam operibus auditorum recte tribuitur, quoniam hæc quoque pars laboris ædificandi, cum & offendicula remouentur & pietatis exempla prębentur, vt fructibus fidem testantibus coniuncti confirmentur, vel in cõmunionem eius alii alliciantur. *Sectemur,* inquit Paulus Rom. 14. *quæ ad mutuam ædificationem faciunt.* 1. Cor. 8. *Caritas ædificat.* 1. Corinth. 10. *Omnia mihi licent* (loquitur de rebus mediis indifferentibus) *sed non omnia ædificant.* Item, *ego per omnia omnibus* pla-

placeo, non quærens meam, sed multorum vtilitatem, vt saluentur. 1. Cor. 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* 1. Thess. 5. *Adhortamini alii alios.* 1. Pet. 3. *Vxores subditæ sint suis viris.* Titus in Epistola ad se scripta cap. 2. sic audit. *Per omnia præbe te ipse exemplar bonorum operum.* Vbi etiam seruis præcipitur, *vt omnem bonam fidem ostendentes doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* & cap. 3. *Discant etiā nostri bonis operibus præesse ad necessarios vsus, ne sint infrugiferi.*

XII. THESIS.

Ad prædictos fines referatur contrariorū euitatio.

EXPLICATIO.

REcte quidem dicitur hoc etiam fine faciēda esse bona opera, vt omnis generis dedecora & mala effugiamus. Hæc tamen indicatio non auget numerū finiū ex lege Dei cōstitutum, quia n. contraria vnū domiciliū occupant, non fuisset opus noua thesi, si simpliciorum gratia hæc commonefactio adiicienda non fuisset, vt quos in libellis vsitatis fines bonorum operum commemorari viderent, ad tres status referre scirent. Fuga malorum est tum culpæ tum pœnæ. mala culpæ omnibus finibus, singula tamen singulis aptanda sunt, mala pœnæ ad secundum finem pertinent. Nam vel Deus violatur vel homo in se iniurius est, vel in proximum. Hæc mala vt euitentur, danda est opera nouæ

obedientiæ siue in Deum quis peccet, siue in se aut in proximum pœnas peccatorũ sibi promeretur, quas effugit bene operans, non redimendo per bona opera, sed abstinendo a peccatis seu deserendo mala facere, ne pœnas attrahat.

CONFIRMATIO.

Huc pertinet ingens ille cumulus diuinarum comminationũ aduersus peccatores. Verum nunc talia citabimus solum testimonia, quæ fuga malorum hortantur ad bona opera. 1. Tim. 6. *Serui Dominos suos omni honore dignos ducunto, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur.* Hebr. 12. *Sectemini sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* Ro. 14. *Apostolus iubet adhibere iudicium, ne offendiculum ponatur fratri, & huius porro causam reddit, ne bonum nostrum blasphemetur.* Gal. 5. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum, quod si alios admordetis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.* Gal. 6. *Ne fallamini Deus non irridetur.* Quicquid enim *seminauerit homo, hoc etiam metet, nam qui seminat carni suæ & carne metet interitum, qui vero seminat spiritu, per spiritum metet vitam æternam.* Porro ne benefaciendo segnescamus, tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.

DE PARTICVLIS EXCLVSIVIS in loco iustificationis.

Hanc doctrinã post locũ de bonis operibus reiecimus, q̃a nõ solũ initio iustificationis fre-

adiiciuntur exclusiuæ, sed etiã cum homo stipatur choro virtutum pulcerimarum, non nisi sola fide iustificatur, immo eadem sola stat & saluatur, & cognitis bonorum operum finibus minus suspecta est solitudo fidei, quasi studio nouæ obedientiæ obsistat.

Notetur etiam, quæ sint particulæ in hoc loco dictæ, nempe *gratia, gratis, absq; lege, absque operibus, non nisi ex fide, sola fide*, & recte dicuntur exclusiuæ, quia ad Rom. 3. hoc ipsis tribuit officium Apostolus, vbi igitur gloriatio: ἐξεκλείσθη, *exclusa est: per legem operum, non? immo per legem fidei.* Restat obseruandum nunc, quo in articulo quorum respectu ponantur.

I. THESIS.

Exclusiuæ particulæ tam ad saluationis quã ad iustificationis articulum pertinent.

EXPLICATIO.

SVmma doctrinæ est hominem sola fide iustificari & saluari, & in his articulis locum habere exclusiuas, vt quicquid excludant, id neque iustificationis neque saluationis actum ingrediatur, sed negetur causa vtriusque.

CONFIRMATIO.

Omnes peccauerunt & carent gloria Dei. Ro. 3. Item, λογιζόμεθα, *certo concludimus fide iustificari hominem absque operibus legis.* Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem.* Ad Tit. 3. *Non ex*

operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed ex sua misericordia saluos nos fecit.

II. Thesis.

Exclusiuæ particulæ non excludunt Deum, nec ea, quæ Dei sunt, siue per quæ operatur iustificationem & salutem nostram.

Explicatio.

CVm dicimus sola fide hominem iustificari & saluari, non excludimus Deum huiusue dilectionem aut misericordiam, nec meritum Christi, nec efficaciam, sed vt Deo honos, qui debetur, constet in solidum. Fides, quæ est agnitio Dei & fiducia in ipsum, obiectis propositis nititur, & sic sola dicitur, quod in Deum per Christum vnice recumbat, quamobrem basin non remouet, cui insistit, neq; excludit ista phrasis verbum & sacramenta, media nimirum Dei ordinaria, per quæ ad salutem & iustitiam hominis efficax est. Fides enim promissionem respicit, huius voce excitatur, eiusdem veritate firmatur, & sacramentis, sigillis nimirum promissioni additis, obsignatur.

Confirmatio.

Huc pertinet, quæ de causis impulsiuis meritoria, efficiẽte & instrumentalibus supra sunt confirmationis loco adducta.

III. Thesis.

Exclusiuæ particulæ omnem necessariam dignitatem,

gnitatem, omnesque qualitates siue sint ingenitæ, siue acquisitæ siue habitus, siue opera, & quæcunque nobis inhærentia excludunt.

EXPLICATIO.

VT neque Dei, neq; eorum, quæ Dei sunt, & extra nos sunt, respectu dicũtur exclusiuæ, ita eorum, quæ intra nos sunt, & vt qualitas nobis inhærent, siue a nobis ea prouenerint, siue a Deo nostra facta fuerint, horum, inquam, exclusione definiuntur istæ exclusiuæ: Attẽdatur autẽ in testimoniis ad legis, quæ appellatur, descriptionem, nimirũ arguentis peccata, iram efficientis, condemnantis, &c. vt opera legis moralis non tantum ceremonialia excludi cognoscantur. Item quia Pontificii gratiam hic accipiunt pro dono infuso, obseruetur, quod gratiæ adiiciatur negatiua, non ex operibus. Gratia igitur, vt opus & qualitas in nobis non consideratur.

CONFIRMATIO.

Ad Ro. 3. *Scimus autem quæcunq; lex dicit iis, qui sub lege sunt dicere, vt omne os obturetur & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei, propterea nõ iustificabitur in conspectu eius ex operibus legis vlla caro: per legem enim agnitio peccati.* Item, *iustitia Dei, per fidẽ Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt & carent gloria Dei, iustificantur autem gratis eius gratia per redemtionem factam in Christo Iesu.* Item, *certo cõcludimus iustificari hominẽ absq; operib.*

legis. Rom. 4. *Et qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.* Item, *Si ii qui ex lege sunt, haeredes sunt, inanis facta est fides & vana reddita promissio. Nam lex iram efficit, siquidem ubi non est lex ibi, nec transgressio, propterea ex fide, ut sit per gratiam, ut firma sit promissio toti semini.* Rom. 5. *per gratiam stamus.* Rom. 11. *Quod si per gratiam, iam non ex operibus, alioquin opus iam non est opus.* Gal. 2. *Scientes non iustificari hominem ex operibus legis nisi per fidē Iesu Christi & non in Christum credimus, ut iustificaremur ex fide Iesu Christi & non ex operibus legis, propterea quod non iustificabitur ex operibus legis ulla caro.* Item, *Non abrogo gratiam Dei, si si per legem est iustitia, Christus frustra mortuus est.*

IIII. THESIS.

Sola fide nos iustificari phrasis est sacris literis probata.

EXPLICATIO.

SVnt inter Pōtificios qui in dubium vocēt, num hæc propositio exstet in sacris literis: Sola fide iustificamur, neque aliud prætendere possunt, quam ita literaliter & hisce vocibus non contexi alicubi hanc orationem, cū tamen in hac nihil sensus ostendi queat, qui non tradat a Spiritu sancto disertissime neque nos de particula *Sola* sed de sensu eius & exclusiuarum æquipollentia dimicamus.

Con-

CONFIRMATIO.

Initio notandum duas solummodo vias iustificationis in scriptura proponi, aut propria inhærente, aut aliena imputata iustitia, illam operibus, hanc fide in Christum deferri constat. Nam factores legis iustificabuntur. Ro. 2. *Postquam autem hoc factum est impossibile legi, quia infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum.* Rom. 8. *Et Deus conclusit omnes sub incredulitatem, vt omnium misereatur.* Rom. 11. *Non scriptura*, hoc est, *lex conclusit omnia*, hoc est, ne vno quidem quod in homine est, excepto *sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentib.* Gal. 3. *Cum igitur duabus viis propositis, vna obstruatur, altera aperta* relinquatur, hac sola nobis ambulandum erit, & sic exclusis operibus legis, iisque omnib. manet fides sola quæ iustificet, nimirum: vt causa instrumētalis in nobis, reliquis omnibus, quæ sunt nostra sub peccatum, conclusis. Sic igitur cum Paulus dixit *colligimus seu certo concludimus hominem fide iustificari absq; operibus legis* sola fides intelligatur. Et *Gal.* 2. phrasis ἐὰν μὴ ἐκ τῆς πίστεως æquipollet huic versioni, *nisi tantū ex fide*: Et Christus *Mar.* 5. præfecto synagogæ dicit μόνον πίστευε *solum crede.* Poscit hoc ipsum natura fidei, quæ vt solummodo in Christum intenta est, debet nequicquam extra Christū quærere, id quod explicabimus, quando de causis retinendi particulas agemus. Suntq; ab aliis plurima antiquitatis orthodoxæ testimo-

nia collecta, quibus hęc locutio vsurpatur, *sola fide iustificamur*, nimirũ præter Origenis minus probati, prostant Athanasii, Ambrosii, Theodoreti, Basilii, Augustini, Hilarii & aliorum testimonia. Imo Bonauẽtura inter scholasticos doctores insignis in lib. 4. Sententiarũ distinct. 15. quæstione 1. idem testatur, *quia* inquit, *Homo nõ potuit pro tanta offensa satisfacere, ideo Deus dedit saluatorem & mediatorẽ, qui satisfaceret pro offensa, vnde in sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur.*

V. Thesis.

Exclusiuæ particulæ non excludunt opera, ne sint, sed ne ingrediantur actum iustificationis vel saluationis.

Explicatio.

Cum impius fit iustus, videtur rationabilius sine operibus hõem iustificari, quã si bene operans iustus censeatur, vnde Chrysostomus in 4. cap. ad Rom. Sermone 8. *Fide saluari eum qui opera nõ habeat, nihil fortasse fuerit insolentia, eum vero, qui recte factis conspicuum se fecerit, non ex ipsis, sed ex fide iustũ fieri*, hoc scilicet admirabile est & quod maxime fidei potentiã manifestat. Recte sane Chrysost. de mirabili potentia fidei. Sed ꝙ iustificetur quispiã, qui nulla bona opera habeat, hoc dici non potest. Nemo n. iustificatur, nisi credẽs: ac fides opus est. Nullus igitur fide iustificatur, nisi fidẽ itaq; opus habeat. Semper igitur admirãda est fidei iustifican-

iuſtificantis natura,&quidẽ noſtra concordiæ formula etiam de operib. fidem inſeparabiliter conſequentib.inquit: *Manet quod Lutherus recte dixit: Bene conueniunt, & ſunt connexa inſeparabiliter fides & opera, ſed ſola fides eſt, quæ apprehendit benedictionem ſine operibus, & tamen nunquam eſt ſola*: Sic,cum continua ſit iuſtificatio, & hac etiam is indigeat,qui feruet ſtudio, & labore operũ bonorũ,quæritur ergo,an non ideo bona opera ſint neceſſaria ad ſalutẽ vel iuſtitiã neceſſitate præſentiæ.Hic caute reſpondendũ eſt, ne ꝙ certũ negetur,& quod affirmandũ eſt adiectiouitietur.Certiſſimũ eſt nullũ hominũ vllo momẽto iuſtificari, quo in ipſo non ſimul noua qualitas,quæ bonum opus dici poſſit.Eſt ergo neceſſitas nõ quidẽ præſentiæ,vt n. homo, qui ſi iuſtificari dicitur, neceſſario tũ aderit.nihil tñ confert ad ſui iuſtificationẽ,ſed tm̃ ſubiectum patiens eſt,ita etiã opera præſentia plane nihil faciunt ad hominis iuſtificationẽ,licet inChriſto,& ipſa bona ſintDeoq; placeant.Hoc ergo eſt quod in Theſi diximus,excludi bona opera nõ vt non ſint, ſed vt actũ iuſtificationis & ſaluationis nõ ingrediantur, id eſt, neceſſitatẽ ꝑſentiæ ſtatuamus nõ poſſe negari,ſed neceſſitatẽ illã ad iuſtificandũ aut ſaluandũ hõem, vel minimo actu hẽnt opis eo tendẽtis requiri, id ꝓnegãdũ eſt, difficile tñ quibuſdã vr̃ cõciliatio harũ duarũ theſiũ, quas Lutherus in diſputatione Anni 20.cui titul. *Vtrũ opera faciãt ad iu-*

stificationem. *Fides*, inquit, propositione tertia, *nisi sit sine vllis etiam minimis operibus non iustificat, imo non est fides.* E proposit 4. *Impossibile est fidem esse sine assiduis & multis & magnis operibus.* Hæc sane imperite contradictoria videtur, sed si fides, vt opus, distinguitur a fide correlatiue considerata, conciliatio patet. Fides est vox relatiua, fundamentum est notitia, assensus, notitia, neque possunt hæc negari esse opera: Terminus est apprehensio Christi per & propter quē iustificatur & saluatur credens, id est, suis operibus relictis, vt manibus ad iustificandum saluandū solo merito Christi nitentes. Etsi igitur terminus non est sublato fundamento, ideóq; posterior Thesis Lutheri verissima habetur, tñ quod termini proprium est, cum fundamento non debet confundi, vt ne fides quidem iustificans est, nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, cum fides non nisi Christo hærés, neq; propter se, sed pp Christi iustificationē auferat, itaq; eo, q̄ talis ē, se quoque opus, & vt opus, iustificare negat, id quod nunc sanis probabimus testimoniis.

Confirmatio.

Es. 53. *Notitia serui mei iusti iustificabit multos.* Hoc sane notitia iustificare dicitur, sed non quatenus opus hominis, sed quia notitia Christi iusti est. Si dubitas num correlatiue tantū iustificet, id est, non operando, sed Christum habendo, audi interpretē dominū apud eundem Esaiam 45. *Deus iustus & saluans non*

est

est præter me, respicite ad me, & salui eritis omnes fines terræ. Hic correlatio diserte traditur, nimirum quod credens in solem Deum respiciendo ad eum, saluus sit. Quod autem hoc ipso credens operetur, quo ad Christum respicit, verū quidē est, nec sine actione quisquam respicit ad Deum, sed hoc in causa salutis, quasi non sit, statuendum est, etsi sit. Attende enim, quomodo respectus illic explicetur, *tantum per Iehouam* dixit (videl. respiciens ad Deum) *mihi iustitia & fortitudo.* En quod respiciens ille, tantum Iehouæ iustitiam & fortitudinem prædicet, easq; sibi ad iustitiam & salutem vnice sufficientes vendicet, ideoq; suam non possit venditare. Licet enim respiciendo agat opus, tamen hoc suum non commiscet homo credens cum iustitia & fortitudine Iehouæ, vt coniunctim operentur iustificationem & saluationem, sed misso opere respiciendi, tanquam non ingrediente actum iustificationis & saluationis tantum correlatiue, id est, propter vnicum & solum mediatorem Iehouam, qui fide apprehenditur, itaque solo respectu Christi per fidem iustitia Christi credenti applicatur. Audiamus etiam Paulū, Rom. 4. Qui Abrahamum operantem, inde tamen iustificatum negat, & perspicue inquit: *Qui non operatur: credit autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia, non quatenus opus, sed quatenus in eum recumbit, qui iustificat impium.* Et notandum est,

quod de fidei iustificatione & saluatione, non quidem Apostolus ita loqui potuerit aut voluerit, vt præsentiam operum simpliciter negarit, sed tantum ad hoc attenderit, quomodo in actu iustificationis non conseruentur, & Deo iustificante atque saluante iustificandus, ad id nihil operari intelligeretur. *Si*, inquit Apostolus, *ii, qui ex lege sunt hæredes, inanis facta est fides, & vana reddita est promissio, propterea ex fide, vt sit per gratiam* (vt firma sit promissio toti semini) hic fidem iustificantem ita censet, vt si opus legis statuatur, quatenus hæredes faciat, eam æmulari dicat, ne sit fides illa nimirum, quæ promissionem gratiæ sincere teneat, quæ non nisi gratiæ opere gaudet, itaque sine opere est hominis. Quamobrem etiam promissionem vanam reddi dicit, si opus legis respiciatur in iustificando, quia si fides promissionem gratuitam nō gratuitam reddent. Hoc ergo vult dicere: Fides iustificans est, quæ amplectitur promissionem gratiæ. Gratia totum actum defert Deo, vt eius sincera agnoscatur & mera gratia. Iam si fides se ingerat, quatenus opus hominis, cum gratia illa mera confundit opus humanum, itaque adulteratam promissionem sibi proponens, seipsam quoque, vt falsa promissione nitentem inanem reddit. Atq; hic intelligitur, quod fides correlatiue iustificans sit ea, quæ in gratuitam promissionem intuens sui obliuiscitur, neq; se vt opus hominis ingerit gratiæ,
sed

ſed gloriatur, ſibi ſolũ Chriſtum ingeri, quem teneat, in quo aſſurgat, cui ſe totum dicat & dedat, cuius rei dilucidior explicatio exſtat apud Rom. 11. vbi Apoſtolus ſic ſcribit: *Quod ſi per gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia, ſin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non eſt opus.* Grauis hæc eſt oratio gratiam & opera, vt oppoſita ſeſe mutuo perimentia ſtatuant, quatenus ex alterutro ſalus hominis ſponderi & dependere dicitur. Quod ſi ergo reſpectu iuſtificationis & ſaluationis ſimul ſtare non poſſunt gratia & opera noſtra, conſequens eſt, fidem intuentem gratiam, ab operibus auerſam eſſe, & licet alias opus ſit, tum tamen & illo reſpectu opus eſſe deſinere, ſicut Paulus ait: *Opus iam non eſt opus.* Imperito hæc citra auctoritatem Apoſtolicam ab alio dicta viderentur inania figmenta, vel ſubtilitates, vel argutiæ Theologo indignæ. Poſtquam autem Apoſtolus inquit: *Opus non eſſe opus*, quatenus in foro gratiæ & reſpectu eius, cui gratia deſtinata eſt, æſtimatur, palam eſt, hanc diſtinctionem eſſe veram, vtilem & in Theologia cognitu neceſſariam, ab iis vero turpiter agi, qui nihil in Theologia probantes, niſi quod promtum & peruulgatum ſit, quoties talia exquiſitoria audiunt, quomodocunque etiam ex verbo Dei demonſtrentur, faſtidire tamen doctrinam non deſinunt.

Addo adhuc vnum Pauli teſtimonium ad Epheſ.2.repetens eandem doctrinam nouam, tamen diſtinctionem monſtrans, nec nõ contra pontificiorum calumnias, quaſi bona opera per dictam ſolitudinem gratiæ prohibeantur, egregie doctrinam muniens. *Gratia ſaluati eſtis per fidem, idq; non ex vobis. Dei donũ eſt, ne quis glorietur. Nam ipſius opus ſumus cõditi in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in ipſis ambularemus.* Hæc Paulus præoccupando teſtatur hanc phraſin, *gratia hominem ſaluari per fidem* ſuggerere poſſe non admonito talem gratiam eſſe intelligendam, cui fides vt opus commiſceatur, nõ igitur mirũ, ſi quis prone ad ſententiã rapiatur. Quod ſi quis tamen non ſua cogitata, ſed Apoſtoli dictata ſequi voluerit, res expedita eſt, quod gratia per fidem ſaluandi abſque operibus ſaluentur. Obſeruetur & hoc, non ſatis eſſe, ſi quis dicat, *fidem non eſſe opus noſtrum, ſed Dei*, recte quidem ſic reſpondetur, ſed non ſufficienter, niſi quadam diſtinctione obſeruata. Etſi enim per opera noſtra, quæ ex nobis ſint, nõ ſaluamur, manet tamen opinabile, nos per fidem, vt opus Dei in nobis, nobiſq; inhærentem qualitatem, itaq; ex operibus noſtris ſaluari. Hanc obiectionem prænoſcens Apoſtolus, non ſubſiſtit in dato reſponſo, ſed addit, *non ex operibus, ne quis glorietur*, quaſi dicat, non ſolum fides non eſt ex vobis, vt Dei donum, ſed etiam fide ſaluati non ſaluamini, tanquam

quam ex operibus, nec hac etiam ratione glorіemini, vt sic Apostolus demonstret fidem, etiam quatenus opus Dei est, distinguendam esse ab eo, quod opus nostrum exstitit, & si saluet agente Deo, nihil nobis gloriationis, quasi ex operibus saluemur, relinqui. Huc pertinet, quod Psal. 80. ter dicitur: *Domine Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* vers. 4. 8. 20. id est, tuo opere, siue fide te apprehendamus, siue credentes nos vicissim amplexeris, salui sumus, non ex operibus, ac ne quis hac doctrina abutens bonorum operum nullam rationem haberi diceret, explicat Apostolus, quomodo Deus suo dono aliter vtatur, nimirum vt iusti atq; beati absq; operibus in iis ambularent, scirentq; ea ad hoc præparata, vt obedientiam nostram declaremus, & tamen opinione meriti aut causæ iustitiæ coram Deo vel salutis æternæ in iis ponendæ fugeremus.

EXPLICATIO CAVSARVM, propter quas necesse sit retinere particulas exclusiuas.

I. CAVSA.

Quia non sit aliud medium, quo promissionem gratiæ & Christum agnoscere & apprehendere possimus, nisi sola fides.

EXPLICATIO.

SVpra de iustificatione diximus, fidem esse causam instrumentalem, cumq; hic adiici-

antur exclusiuæ particulę, plures præter ipsam negari instrumentales, necesse est. Quia tamen hac Thesi abutuntur Caluiniani ad negandam oralem perceptionem corporis & sanguinis Christi, addenda est iusta declaratio, nimirum quod in loco de exclusiuis sermo sit de instrumento spirituali spiritualis apprehensionis gratiæ in Christo. Hic præter fidem scriptura nouit nullum aliud organum. Placuit autem Deo per verbum ministerii, & sacramenta agere in Ecclesia militante, & verbum quidem auribus hauritur, baptismus aquæ perfusione corpori adhibetur, cœna autem Domini panis & vini traditione ori præbetur. Quod si quis illa instrumenta, per quę Deus agit, ipsaque externa organa, quibus explicantur, exclusiuis illis reiici dixerit, totum ministerium reconciliationis, vt Paulus 2. Corinth. 5. appellat, tollit. Verum, vt Deus per verbum prædicatum suam saluandi potentiam promisit, per baptismum externum regenerationem internam operatur, per cœnam sacram suum corpus & suum sanguinem manducare & bibere iubet, ad sui recordationem, ita externa quædam esse perceptionis organa atque instrumenta rerum diuinarum, quæ per symbola Deus distribuere velit, manifestum est. Hæc tamen non tollunt solitudinem fidei, vt vnicæ causæ instrumentalis iustificationis, & percipientis Christum ad vitam æternam. Illa enim ita fidei iungun-

tur,

tur, vt si opus hominis excipias, quod excludit fides, nihil remaneat, nisi opus Dei, quod excludi nequit, & sicuti sola fides iustificat sine operibus, & si nunquam sit sola, ita solitudinem illam iustificandi retinet, etsi vt opus non sit, nisi ex auditu per baptismum donetur, & cœna Domini obsignetur. Sola autem apprehensio Christi, quæ fide fit, iustificat & saluat, licet Deus operetur reconciliationem per ministerium, quod verbo & sacramentis peragitur. Quod si recte expendatur, quod fides ipsa, quatenus opus est, etsi non esse desinat, excludatur tamen ab actu iustificandi, vt solius gratiæ Dei sit beneficiũ, istud facilius intelligatur, quomodo isti solitario respectui non obstent perceptiones aliæ ordinariæ, talem rationem non habentes, qualem fides iustificans, & quatenus iustificat, describitur. Ideo etiam verbum auditum & sacramenta vsurpata fructum salutarem non consequuntur, nisi fides interueniat, vt vel hinc pateat, fidei manere suam solitudinem in sua instrumentali ratione, etiam seruatis instrumentalibus pluribus alterius generis. Et quia Christus diserte dicit: *Panem sacræ cœnæ & vinum eiusdem, quæ ore accipi iubet, esse corpus & sanguinem suum*, Christum etiam a nobis realiter percipi, docente Christo, statuimus, & tamen sola fide salutarem manducationem & bibitionem fieri credimus. Huc pertinet, quod

fides apprehensiua & quietiua in scholis appellata fuit: hoc est, non tantū apprehendens Christum, sed in Christo iuxta promissionem securæ quiescens fides, consideranda & æstimanda est. Recte igitur in nostra Thesi iunguntur Christus & promissio gratiæ, vt fides sit vnicum & solitarium instrumētum apprehendendi & applicandi Christum cum beneficiis in promissione gratiæ, & per illam, vt licet Christus alias etiā sacramentaliter apprehendatur, nisi tamen fides accedat, quæ promissionem gratiæ fiducialiter tenens remissionem peccatorum, impetret iustitiam, & salutem adferat, non iustificabitur, nec saluabitur homo. Falsa igitur Thesis, non esse aliud medium, quo Christus apprehendatur, quam fidem. Hæc autem vera est, non esse aliud medium, quo Christum in promissione gratiæ apprehendere possimus, nisi solam fidem.

Confirmatio.

Petatur hæc ex confirmatione thesis octaua de iustificatione.

II. Cavsa.

Vt Christo debitus & proprius honos tribuatur.

Explicatio.

Ratio huius manifesta est. Gloria enim Christi propria est, quod sit redemtor noster, non ex parte, sed ex toto, quia vere dolores nostros ipse tulit, & solus torcular calcauit,

uit, Esa. 53. & 63. Estque ille vnicus mediator Dei & hominum, qui dedit semetipsum precium redemtionis pro omnibus, 1. Timoth. 2. Qui per proprium sanguinem semel ingressus est in sanctuarium, æternam redemtioné nactus, Ebr. 9. in quam sententiam plura collecta sunt testimonia sub thesi quarta de iustificatione: quo etiam faciunt collecta sub thesi quarta de Euangelio. Iam si iustificatio operibus nostris tribuitur, decedit isti honori Christi, quantum sumitur nostro, imo honos Diuinitatis detractus Christo, communicatur nudo homini. Fiducia enim iustificationis & saluationis est summus cultus Christum honorans, & huic soli asseritur, cumque Iehouam & verum Deum probat, *Esa*. 42. 43. 45. Hæc partim in merita Christi, partim in opera nostra collocata fiducia idola sibi fingit iuxta Christum. Qui enim non esset Idololatra spem iustificationis & saluationis in suis meritis ponens, cum non sit habendus alius saluator præter Christum Iehouam, *Esa*. 43. Et auarus, qui æterna negligit, & temporalia solummodo venatur, spe sua in diuitiis posita idolorum cultor pronuntietur, *Ephes*. 6.

CONFIRMATIO.

Constat in allegatis locis confirmatio, quibus hæc illustria testimonia addantur, quæ nó solum partem, sed omnem honorem Christo derogari testantur. Gal. 2. *Si per legem est iu-*

stitia, Christus frustra mortuus est. Gal. 5. *Euacuati estis a Christo, &c.* Lutherus: Ihr habt Christum verlohren / die ihr durch das Gesetze gerecht werden wöllet. Huc etiam pertinet præclarum dictum Christi, Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire, &c.*

III. Cavsa.

Vt conscientiæ habeant certam & firmam consolationem, nititur promissio gratiæ solo filio Dei, & non nostris meritis, ideo dicitur sola fide, vt cor certo statuat, Deum nobis propitium esse propter Christum.

Explicatio.

SI quis opera sua admiscet Christi meritis, etsi fidem Christo & operibus suis partiatur, tamen nō relinquit fidem solam, id quod imperito posset vanum videri, præsertim cogitanti, quod fides sit fides, siue huic siue illi adhærescat, sed redeat meditatio ad dictum *Matth.* 6. Et si multanea ista ratio ab ipso Christo grauiter negligitur, vbi tamen præsupponendū est, quod Christus solus pro nobis satisfecerit, & iustitiam nobis meritus sit. Iam si seruitus & cultus vni debitus alteri defertur, id odio vel contemtu illius vnius fieri certum est

Quid vero fiduciæ in eum collocabis, quē vel odisti, vel contemnis. Hinc ergo patet, quod fidei distributio, & ad partes distractio, non possit consistere salua fide, ideo quod neque

que Christo pro honore, dignitate & meritis ipsius satis fidat, vnde fidei corruptela, neq; operibus certo fidat, cui temere se accõmodet, vnde fidei vanitas. Quæ igitur hic erit consolatio? quæ tum firma cum a fidei certitudine dependet, cumq; in illa diuisione ignoremus, quantum Christus fecerit, quantumque nobis restet implendum, perpetua certæ fidei fluctuatio erit, si modo fides est incerta opinio, & sine certitudine ficta persuasio. Reuocetur etiam examen ad obiectum, quod fidei Deo placenti aliud esse non potest, nisi a Deo ipsi propositum. Sed Deus proposuit Christũ propitiatorium in fidem in sanguine suo, hoc est, promissionẽ gratuitę remissionis peccatorũ, & similis imputationis iustitię ꝑpter Christum fidei obiectũ fuit, *Rom*. 3. & 4. Quatenus ergo fides amplectitur suum proprium obiectum, eatenus fides est, quatenus autem illud deserit, & tamen de se gloriatur, temeritas est. Sic ergo promissio gratuitæ iustificationis & saluationis non commendat nostra, sed Christi merita, & in his solis confidere iubet, ita a promissione aberrat nostris operibus dicata fides. Itaq; aut nulla fides, aut idolum potius fidei, quam fides est. Fides enim relatiue censetur ex promissione, cui fidit, sublato autem termino, quod est promissio, inductio cessat relatio, itaque fides non est fides, quæ circa suum obiectum non versatur, vnde tamen fides dicitur. At in fidei πληροφορία ꝓmissionẽ

ſalutis firmam tenente tota reſidet conſolatio, fundamento ergo conſolationis collapſo, gaudium & pax euaneſcent, vt hinc dubitatio enata Tridentina locuples teſtis eſt.

CONFIRMATIO.

Pſalm. 28. *Tibi dixit cor meum* (Lutherus: Mein Hertz helt dir für dein Wort / *requirite faciem meam*, quia quod ſequitur, quodque cor de Deo proponebat, idem Dominus locutus erat) *requirite faciem meam faciem tuam requiram Iehoua.* Pſalm. 119. *Niſi lex tua meditatio mea, tunc periiſſem in afflictione mea.* Pſal. 25. *In te confido Deus, non confundar in æternum.* Rom. 4. *Si ii, qui ex lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt promiſſio* (hoc eſt, homines legem uæ iuſtitiæ indicem adſciſcunt, quæ illos ceens propter peccatũ in omnibus inuentum nõ gratiam, ſed iram efficit, eoq; magis, quod legẽ perperam, allegantes maioris tranſgreſſionis rei fiant, cuius lege ſimiliter non abutentes coargui nequeunt) propterea ex fide per gratiam, vt firma ſit promiſſio. Huc pertinet experientia Dauidis, Pſal. 62. *Tantum Deo ſilet anima mea, ab ipſo ſalus mea.* Sic Paulus ad Epheſ. 3. *Per Christum habemus aditum cum fiducia, quæ eſt per fidem illius.* Hebr. 4. *Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, & conſequemur miſericordiam.* In Canon. Ioh. *Si condemnat nos cor noſtrũ, potentior eſt Deus corde noſtro, ſi cor noſtrum nos non condemnat, fiduciam*

duciam habemus apud Deum 1. Pet. 2. *Christus lapis angularis, & electus iis, qui credunt, preciosus est, & qui crediderit in eo, non pudefiet.*

IIII. Cavsa.

Vt illustrius sit discrimen legis & Euangelii.

Explicatio.

LEx & Euangelium non sunt quidem contraria dogmata, vt videlicet vno posito alterum aboleatur: in effectis tamen sibi aduersantur, cum lex condemnet Euangelium, absoluat peccatorem. Ne tamen per sententiam Euangelii aboleatur doctrina legis, non absoluit peccatorē de sententia legis (sic enim lex contraria sibi esset, & Euangelium sibi aduersarium redderet & animaret, sed ex gratia credenti in Christum satisfactorem pro peccatis remissionem peccatorum conferens, relinquit legi suam censuram integram & inuiolatam, tum cum absoluit, pro quo Christus satisfecit, & sic damnationē legis tollit, quam ne lex quidem iusto irrogaret, postquam sibi satisfactum agnouerit. Quandoquidem autē illa sententiæ legalis approbatio non ex natura, sed ex solius Christi satisfactione commendatur & constat, quamprimum aliquid de natura alluerimus legis immotam regulam, *maledictus omnis*, corrumpemus, & quod hinc decerptum fuerit, Euangelio communicabitur, quomodo gratiæ, quæ respectu nostrorū operum solidissima gratia est, vitiū inferetur.

Ac sicut hic facilis lapsus est, ita in huius discriminis obseruatione, tanquā in basi & fundamento vniuersalis sinceritas doctrinę Christianæ quiescit, ideoque nostræ præcipuæ curæ committitur ab exemtis & probatis Theologis legis ac Euangelii accurata discretio. Particulæ ergo exclusiuæ commune & vnum fundamentum religionis obseruant, vt earum neglectio eiusdem religionis concussionem, & quidem in generali fundamento pariat.

CONFIRMATIO.

Huc pertinent testimonia sub Thesi II. & quædam ex aliis locis, quibus hæc addantur, Act. 13. *A quibus non potuistis per legem Moysi iustificari per hunc omnis, qui credit iustificatur.* Rom. 9. *Scimus autem, quæcunq; lex dicit, iis, qui sub lege sunt, dicere, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei, &c. Nunc vero absq; lege iustitia Dei patefacta est, comprobata testimonio legis & Prophetarum,* hoc est, ipsi libri, qui lex dicuntur, concionantur etiam de saluatore, ne quis huius officium vt legi inuisum & infensum acciperet, quemadmodum Christus ipse testatur, Ioh. 5. *Qui non crediderit Moysi, nec mihi credet.* Et tamen distinctio retinenda est, quæ particulis exclusiuis illustratur. Conclusit enim scriptura Galat. 3. *Omnia sub peccatum, vt promissio ex fide daretur credentibus.* Phil. 3. *Quæ erant mihi lucra* (secundū iustitiā legis) *duxi propter Christum damnū esse.* Item: *Duco ea ꝑ stercoribus,*

bus, vt Christum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam iustitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ per fidem est, Christi iustitiam inquam per Deum ex fide.

V. CAVSA.

Vt vera inuocatio præstari possit, quam necesse est, nisi solo mediatore filio Dei, non nostris virtutibus.

CONFIRMATIO.

1. Paral. 6. *Et exaudiuit eos, qui credidissent in eum* Dan. 9. *Exaudi nos propter Dominum.* Item: *Non in iustitiis nostris multis.* Rom. 10. *Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt.* Ioh. 14. *Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* 1. Tim. 2. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum pretium pro omnibus.* Huc addantur exclusiuæ Dauidis, Psal. 62. *Tantum in Domino silet anima mea.* Esaiæ 45. & alibi repetitæ, Christum ita concernentes, vt doceant: *Non esse in alio quoquam salutem: neq; aliud nomen esse sub cœlo datum, per quod nos oporteat saluari.* Actor. 4.

DE SACRAMENTIS LOCVS XXII. deq; sacramentis primo in genere.

NVllibi in S. literis doctrina de sacramētis in genere traditur, sed quicquid huius recte colligitur, inde illicitur, quod collatione præcipuorũ veteris & noui fœderis sacramentorũ cõmune notatur. Quandoquidẽ autem

Deus liberrime agit, vt alias ita in mysteriis imprimis, & in his quidem naturalem cursum obseruat, ideo in hoc genere explicando ita versemur, ne Deo leges præscribamus, iuxta quas eum oportuerit sacramenta sua ita & nõ aliter conficere.

I. THESIS.

Sacramentum in hoc loco Latina Ecclesia appellat, quod Græca μυστήριον.

EXPLICATIO.

NOn est hic disputare, quid sacramentum prophanis latinis significarit, cum ad illorum vsum non possit accommodari hic Ecclesiasticus. Præterea experientia testatur, curiosis ingeniis sæpe ita lusum præberi ad occasionem sacræ veritatis, & excogitationẽ eius, quod alterius sententiam aucta subtilitate superet. Quem abusum, vt redimamus, sufficit hic nobis sacramentum dici Latinis, quod Græcis μυστήριον, tum quia manifestum est, versionem veterum Bibliorũ ita expressisse illud Græcum, tum quia hac occasione vsum Ecclesiasticum inualuisse aduersarii etiam affirmant. Μυστήριον teste Camerario dicitur ἀπὸ τοῦ μύζειν, quod est sonum reprimere, vt sit mysterium sacrum, quod expressa verbi Dei reuelatione indigeat. Henricus Stephanus ἀπὸ τοῦ μύζειν τὸ στόμα, quod est, *conniuere seu oculos claudere*, & quidam hic negat, primã & propriam eius esse significationem, quod in vulgato Lexico

xico redditur *arcanum*. Adfert a. alias tres interpretationes. I. Mysterium, sub quo aliquid arcani latet, quodq; non perficitur, nisi occulta aliqua sacrorum ratione. II. Res arcana occultaq; quam fas non est vulgo efferre. III. Res arcana & paucis cognita, neq; cōmunicanda, nisi initiatis. Hanc postremam p[illegible] cæteris tolerabiliorē esse, præsertim vero [illegible], cum aliqua res occulta arcanaq; esse po[illegible] & eiusmodi, quam nefas sit vulgo communicare, nihilominus tamen, quam mysterii nomine appellanda. Etsi vero in Græca lingua plurimum debetur Henrico Stephano viro doctissimo, tamen monendi sunt adolescentes, quod haud raro aliorum, non suis oculis videat, neq; pertingat calamū mente, sed tum etiam, vbi minime debebat, mentem calamo h. est Caluiniani, Bezę inprimis opinionibus seductus, trāscribit sępe eorum interpretationes, de quibus extra affectionem illā *πρὸς τῶν πολλῶν πλεκὴν* longe rectius suo marte iudicasset, sic hoc loco & seipsum & lectorem in labyrinthum implicat, dum obseruat, quid opinioni Sacramentariorum commodi⁹ sit, negligēs, q̄ Gręco Etymo cōueniat.

Quæ enim in propria significatione si Etymō accurate excutias, eius demōstrabitur ratio, quod Mysterium dicatur arcanum paucis cognitum, & non nisi initiatis communicandum. Voluit autē hoc modo blandiri iis, qui mysteriū vnde sacramentum appellatur,

dicũt esse aliquid sacrum, quod hominum intelligentiæ planũ & perspicuũ sit, omnino tamen occultatur, & hac mystica ratione sit, q̃ esse non videatur, quoniam autem Laminus interpres vsui Apostolico Paulino sese accommdauit missis istis disceptationibus extra fundamentum, consideremus quid Paulus ibi mysterium appellet, cumq; Stephanus fateatur Chrysostomum testari mysterium apud Paulũ esse τὸ ἀπόρρητον καὶ θαυμαστὸν καὶ ἀγνοούμενον, *ineffabile admirandum incognitum*, minus recte faciunt in incertioribus diuerticula quærentes, ne vocabuli vsus intelligatur. Beza etiam contra Vuestphalum in prima pagina scribit: *cœnam Domini mysterium*, id est, arcanum esse fatemur, & quidem humanis sensibus incomprehensibile, & in responsione altera ad me pagina 109. sacramenti appellationem, quatenus cœnæ Domini conuenit, ad mysterium, quod cap. 5. ad Ephes. ponitur exigit: quamuis non astipulemur, quod Apostolus speciem, hoc est, sacram cœnam, vt Beza opinatur, ibi sic nuncuparit. Quod etiam pagina 221. negat, sacramentum positum in sacramentali coniunctione, cum hæc ipsi sit σχέσις in rebus humanis, quamuis diuerso fine peruulgata importunus est, quasi sacramentalis vnio & sacramentum non essent mystica vnio & mysteria, cum tamen Theodoretus mysterium in hac locutione asserit cõtineri qua panis appellatur corpus Christi.

Sed

Sed vt dictum est, seruemus significationem Pauli a Chrysostomo declaratã & Bezę alicubi arridentẽ, neq; ad speciẽ solã sed ad genus eã referamus, cum inde generalis vsus inualuerit, non specialis tantum, & hominum solummodo libido diuersum poscat, nulla vero ratio. Quandoquidem autem mysterium hic non simpliciter arcanum intelligamus, sed quod sub rebus visibilibus latet, placet hic ascribere, quod Dominus Camerarius tradidit de auctoribus Euangeliorũ. *pag.* 7. Sunt a. eximiæ & singulares istæ locutiones, quibus dogma cõprehenditur, id est, capita fidei Christianæ, ex quibus arcanæ rei aperta actio instituitur, quæ sunt Græcis μυστήρια Latinis *sacramenta*. Est igitur sacramentũ seu μυστήριον hoc loco generaliter diuinitus instituta aperta actio arcanæ & sacræ rei.

CONFIRMATIO.

Huc annotanda sunt quædã sacræ scripturę testimonia, in quibus mysterium redditũ est sacramentum, quanquam de sacramentis, de quibus hic agimus, ne quidem μυστηρίου vox in S. literis sit vsurpata. Eph. 1. *Ipsius gratia redundauit in nos omnis sapientia & prudentia, vt notũ faceret nobis sacramentũ voluntatis suæ.* Eph. 3. *secundũ reuelationẽ notũ mihi factũ est sacramẽtũ.* Eph. 5. *sacramentũ hoc magnũ est.* Col. 1. *Mysterium quod absconditum fuit a seculis & generationibus, nunc a. manifestũ est sanctis eius.* 1. Ti. 5.

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod Deus conspicuus factus est in carne. Quod autem huiusmodi arcanę rei actio externe definitur, id transsumtum est ex conuenientia generali circumcisionis, esus agni paschalis, baptismi & cœnæ Domini.

II. THESIS.

Signorum natura non respuit realem præsentiam signati cum signo.

EXPLICATIO.

NOn dicam hoc loco de signorum fundamento, quod semper externis sensibus non percipiatur, quemadmodum Beza concedit, quod tamẽ in Philosophicis speculationibus de errore doceri potuit, in quibus scientia vnius alterius indicem præbet, & egimus de hac quæstione, cum explicaremus dictũ. Esa. 7. De natura vero signorum, hoc est σχέσει & habitudine signi, & rei signatæ agitur quæ quidẽ per se nullam nisi signandi præsentiam largitur. A signati a. reali præsentia non abhorret, sicut in confirmatione manifestum fiet. Interim hoc adolescentes notent: Signorum quidẽ naturam esse signare aliquid, quæ vero istius præter hanc σχέσιν præsentia, eam nec notare, nec prohibere, & realem quidem admittere, non respuere, id quod munit aduersus sophisma Caluinianum præsentiã corporis Christi in cœna Domini cum pane realem repugnare naturæ signorũ. Quod vt a simplicioribus intelligatur respõdebo ad argumẽta deceptorum.

Signorum natura est signare, non exhibere. Sacramentorum natura est signorum. Ergo. Sacramenta signant, non exhibent: Resp. ad maiorem, quod signorum natura, quatenus vt nuda signa æstimantur, non exhibeat signatum simul, aliud enim est signare, aliud exhibere signatum. Atq; ita maior loquitur de summo genere signorum solummodo ex eo, quod dicuntur definiendorum. Hoc tamen permittendum est in maiore, quod signorum naturæ ita aduersetur signatorũ exhibitio, vt si signetur, simul exhiberi nec debeat nec possit salua signorum natura, hoc est, non est cõmittendum, vt exhibitio, quia non sit in ratione signandi necessario, negetur etiam cum ratione signandi esse. Ad *minorẽ* ita attendẽdũ est, sacramẽtorũ naturam esse signorũ naturã ita, videlicet vt signandi ratio realem pręsentiã signorũ nõ ꝓhibeat tanq̃ sibi repugnantẽ. Hoc igitur concludetur: Quatenus igitur sacramenta signant, eatenus nõ exhibent, & tamẽ signare possũt, ea quæ realiter exhibentur.

CONFIRMATIO.

Flãma in rubo ardente signũ est Iehouę, sed non absentis, verũ præsentis, neq; ideo tantũ, q̀ Iehoua vbiq; cũ sit, nullibi adsit, sed potissimũ hanc ob causam, quod singulariter apparere, & suam peculiarẽ pręsentiã exhibere voluit Moysi *Exod.* 3. Vt n. singularis præsentia intelligeretur, non tantũ dicitur, q̀ Iehoua ap-

paruerit, e corde hoc est, e medio Rubi ardētis, sed etiam quod apparens Iehoua dixit: *ne appropinques huc, solue calceamentum*, locus enim in quo stas terra sancta est, id quod de terra, & in qua vniuersaliter Deus præsens est, itidem non dicitur. Sic angelus Domini, qui Iehoua ipse dicitur, comitatus Israelitas in columna ignis & nubis. *Exo*. 14. præsto certe fuit, & quidem præsentiæ gradu longe arctiore, quam qualis est vniuersalis præsentia. Columna igitur ignis vel nubis signauit quidem Iehouam, nec quatenus signauit exhibuit, præsentari autem Iehouā in illa columna realiter non impediit, nec data illa præsentia signi natura tollitur, imo signi natura inferior exhibitionem etiam signare potest. Ergo exhibitio nequaquam aduersatur naturæ signi. Sic cum spiritus sanctus Matth. 3. in specie columbæ supra Christo appareret, non signum solum fuit exhibitum, quanquā signi superioris generis signandi naturam non excedat, sed vna cum re illa visibili vere aderat spiritus sanctus, vt explicat Melanchthō. Hæc manifesta sunt, ideo Beza secundę partis quæstionum pagina 41. quæstione 50. fateri cogitur, quod realis siue rei ipsius ac substantiæ præsentia in certo loco & sacramentalis præsentia non sint perpetuo repugnantes.

III. THESIS.

Signa quædam significantia tantum sunt, quædam etiam exhibitiua.

EXPLICATIO.

NE hic multum disputemus sententiã nostram verbis Bezæ proponamus & confirmemus. Sic enim ille in secunda parte quæstionum questione 12. *Signa alia sunt duntaxat μνημονευτικὰ, id est, in eum usum instituta, ut sint duntaxat rerum præteritarũ monumẽta, ut 12. lapides de Iordanis alueo sublati, quæ essent exiccati fluminis testimonium, alia præterea ὑπομνηστικὰ id est, rem præsentem & futuram designantia, ut est iris in cœlo, non modo fœderis illius cum Noacho initi signum, verum etiam neque tũ præsentis neq; unquã futuri diluuii quoddam veluti pignus: alia deniq; ita instituta ut præterquã q, aliquid præteritũ in memoriã nobis reuocant, testentur etiã id, cui significando exhibetur, nobis vere & reipsa dari, eiusq; promissionẽ in nobis velut impresso sigillo obsignent. Sic insufflãdo Christus discipulis suis sp. sanctũ impartitus est intus inspirãdo q, exteriꝰ flãdo significabat simul & dabat.* IIII. THESIS.

Signorum natura, quæ coniuncta est rerũ præsentiũ exhibitioni, ipsa præsentia posterior est.

EXPLICATIO.

HVc pertinent, quæ in prima disputatione de cœna a thesi 170. vsq; ad 189. tractauimus, & necessaria est huius partis cognitio, cum quicquid de signorum & signandi natura in sacramentis a nobis concedatur ab aduersariis eo torqueatur, quasi illa ipsa sit primaria & potissima natura sacramentalis, etiã vbi præter vsum signandi de vnione sacramẽ-

tali res est, sicut Beza in responsione altera ad me pagina. 212. confidenter scripsit: *Vnio sacramentalis tota est in relatione posita*, id quod falsissimũ est cũ nõ solũ colũba apparuerit Iohanni, vt significaret sanctũ sp. sed etiam spiritum eundem exhibitum indicaret, quae praesentatio ita in relatione posita est, vt realem rei signatae praesentiam naturae sacramentalis vnionis potissimum tribuat. Hic expendendum venit, quod ex libr. 3. August. contra Maximinium Arrianorum Episcopum, cap. 22. a Caluinianis citari solet: *hac*, inquit Augustinus, *sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostẽdant semper attẽditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia & aliud significantia*. Hinc orthodoxus consensus & signati, realem praesentiam sacramenti naturae contrariam arguit, & praeter scopum sic argumentatur: *Quod si sacramenta igitur alia sunt, aliud significãt, non vtiq; ppriè & per essentiam idipsum sunt quod significant, seu per significationem esse dicuntur*. Respondeo autem neminem esse inter nostrates qui dicat panem sacrę cœnę proprie & per essentiam esse corpus Christi.

Hoc igitur obiectum nos vt pontificios transsubstantiatores non tangit. Deinde vt de sententia Augustini recte iudicetur, existimo recurrendũ esse ad auctoris intentionem. Cũ n. ibi disputaret aduersus Arrianũ de dicto Christi Ioh. 10. *Ego & pater vnũ sumus*, & aduersari-

uersario hanc Thesin obiiceret, *plura non posse dici vnum, nisi sint vnius substantiæ*: huic vero obsistere videret, quod 1. Ioh. 5. dicitur: *Tres sunt testes in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres vnum sunt*, de his igitur, inquit, *hæc sacramenta sunt, in quibus, non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur.* Itaque respectu signati regulam suam soluat, quod vnum dicatur ratione vnius substantiæ. Hæc igitur singularis est intentio minime complectens totam naturam Sacramentorum. Vide enim quid fiat etiam de generali doctrina, si hāc inde cęseas: Sacramentum enim constat duabus reb. signo & re signata. Quod si igitur hic neges attendendum quid sacramenta sint, tantum autem quid significent, fundamentum reiicies, & relatiuum, quod Orthodoxus consensus ex hoc loco potissimum definire instituit, in solo termino sine fundamēto relinquetur. Vt autem παραλογισμὸς recte a simplicioribus intelligatur, ille talis est: Augustinus considerans aliquod relatiuorum in termino conuenientius iussit ad hanc vnicam respici, ne cōfusione fundamētorum diuersorum vnitas in termino perderetur. Ergo in quauis relatiuorum æstimatione non attendēdum est ad fundamentum, vel ad vtrumque extremum coniunctim, sed solummodo ad significatum.

CONFIRMATIO.

Cōfirmatio exstat in commemoratis The-

sib. & summa cõtinetur hoc syllogismo: *Quod sumitur ad demonstrandum, illud non est demonstrando prius, sed posterius. Sed natura signorum, quæ exhibitiua sunt rerum præsentium, adsciscitur ad demonstrandum, quod exhibetur.* Ergo *ista natura signorum posterior est illo, cum demonstrando quod sit adhibetur.* Si quis autem hoc neget, quod cognitio a signo excipiat, hic res plana est, quod videlicet signi natura ordine prior sit, sed quod in ordine cognitionis contingit, nõ præuertit naturã rei, quæ ex posteriori cognoscitur, neq; de natura rei ex accessorio, sed ex forma propria iũdicandum est.

V. Thesis.

In locutionibus sacramentalibus vbi sacram exhibenda vel exhibita de re, cum qua exhibetur prædicatur, cauendum est, ne mysterii ratio cum vulgata & notoria permutetur.

Explic. et Confir.

PEndet hæc Thesis a prima, maxime cũ mysterium, dicatur ꝙ panis cœnæ Domini sit corpus Christi Panis ideo n. dr̃ sacramentum, quod non sit nudus panis, sed corpus Christi. Ergo ob eandem causam est mysterium, itaq; arcanum latet in ipsa vnione sacramentali panis & corporis Christi, & coniunctio panis & corporis erit, inexplicabilis: ideoq; cũ vulgato modo nõ permutãda. Quod obiicitur, nos tñ vrgere notoriũ modum, quia dicamus corpus Christi realiter adesse cum pane sacræ cœnæ, Respõdetur. Verũ dici quod modũ aliquẽ indi-

indicemus:verum noſtra ſententia nōdum in-
uadit myſterium. Sicut n. recte dicimus, Ieho-
uam in flāma rubi realiter adfuiſſe, nec tñ my-
ſteriū præſentiæ attingimus, ita nec in illa ſen-
tentia. Et notādum eſt, modum myſteriū eſſe,
quo id, ꝙ realiter p̄ſens eſſe dicitur, realitatē
ſpeciatim p̄ſtet. Ergo, Quod genus determi-
nat a ſpecici conſtitutione, in eo quod ſpecici
propriū eſt, abſtinet. Sic etiā ſynecdoche Lu-
theri abeſt a crimine myſterii violati, quia ni-
hil aliud vult, quamquod vtraq; res ſignum &
ſignatum realiter coniuncta, & ita ſynecdo-
chice dicantur. Quomodo autē id fiat nōdum
exprimit. Sed cum Caluiniani vel Metaphorā
vel Metonymiā adhibent, modum iſtum vere
ſacramentalē determinare præſumunt, ideoq;
Beza cum aliis auſus fuit ſcribere modum vni-
onis ſacramentalis, qua panis & corpus Chri-
ſti coniunguntur eſſe intelligentiæ humanæ
planum & perſpicuum, cōtraq; Weſtphalum
auſus fuit pronuntiare Chriſtum in his locu-
tionibus ſe accōmodaſſe vulgato mori, quem
ex Homero & Virgilio docuerit Beza. Huc p̄-
tinet, domini Camerarii notatio, qui hoc ge-
nus locutionum cum appoſitione ſyntactica
cōtulit & Syntheſin appellauit. Præ cæteris a.
prophanis & vulgatis, quæ ēt tropū admittunt
ſyntheſin quādā ὁριστικὴν in myſteriis religionis
Chriſtianæ appellauit. Sed cōſideremus genus
ſignificati, & poſtea in Camerario videamus
aliquot ſpecies. Syntheſin compoſitionē dic

notum est. Hesichius Harmoniam & κόλλησιν, hoc est, coagmentationem seu conpactionem & conglutinationem vocat.

Et Aristoteles cap. 8. politicorũ 4. huic opponit διαίρεσιν diuisionem, alii διάλυσιν, dissolutionem, estque hoc de figuris notabile (a multis enim eruditis negligitur, vt confusio generis & specierum sæpe nõ animaduertatur) Etymologicam appellationem tanquã genus cõstitui. Quod si tale obseruetur, dictionis & orationis figuras transcendat, inde igitur, quæ dictionis sunt, orationi etiam communicantur, & fieri potest, vt generis solũmodo ratio habeatur, specie non ascita, quemadmodum in Synecdoche Lutheri euenit, quę solummodo comprehensionem generalem notat in locutione sacramentali: panis sacræ cœnæ est corpus Christi: generi vnionis sacramẽtalis, id est, vnioni correspondentem, speciem vero non tangentem, id quod obseruatum, & si leue videatur, suo loco oblectabit diligentes auditores. Omnino autem hoc in grauissima cõtrouersia sacramẽtaria per multos annos dormitantibus etiam eruditissimis vsu venisse, & adhuc deprehendi certũ est, quod Grammatice & Methodice vsu primario & prædominante falsum arguitur. Sic igitur & Synthesis compositionem significat, non modum in genere continens, sed solummodo coniunctionem & conglutinationem, cuiuscunque etiam modi sit indicans, id quod ideo moneo, ne quod alicubi

cubi in συνθέσει fieri demõstratur, συνθέσεως proprium censeatur, quomodo in tropo nõ æstimatione plerique hallucinantur Caluiniani. Camerarius σύνθεσιν vocat appositionem, veluti si dicatur, *& palma pretium victoribus.* Varias autem συνθέσεως species facit, nam vel emphaticὴν vel ἐξηγητικὴν vel μεταφορικὴν, aliasque pro exemplorum varietate appellat: singularẽ autẽ facit ὁρισικὴν in mysteriis Christianæ religionis, quoniam autem mihi vllus occurrit vnq̃ excellentium in hoc genere artificum, qui hãc συνθεσιν tanta diligentia obseruasset & notasset, quantam eam pertractauit Camerarius, commendo auditoribus meis istius viri fidelissimã operam, & vt exempla, quæ sparsim in Epistolis Apostolicis inueniuntur, rectius intelligãtur non pigeat eos, quibus Camerarii liber non est, excipere quædam, quæ adscripsit 1. ca. 1. Corin. verba hæc sunt: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis autẽ stultitiã. De genere* συνθέσεως, inquit *iam aliquoties dictum est, quod attinet ad formam orationis & constructionem verborum, genere videlicet nominum, hæc non conueniunt, vt fama malum, bone vir, columẽ familiæ, etsi cum substantiua ambo sunt, de genere quæri nõ est necesse, & adiectiuum in hac figura sermonis significatione est substantiuum, vt triste lupus stabulis, id est, molestia, virtus est vitiorum medium, id est mediocritas. Hoc igitur planum est. Sed quod ad sententiam attinet, primum est in his* ἄνχρισις

amplius enim laudare vult, qui dicit, tu es sapientior quàm qui sapiens: & prius vituperare, qui dicit, tu es sterquilinium, quam qui impium vocat. Est & ἐξήγησις τὸ πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν ἰουδαίων, id est, pascha festũ Iudæorum: sunt & Metaphoræ, pecunia regina. Cum autem plana est elocutio, tum iunguntur verbo nomina, vt a te seductus est, & vnum hac pestis, id est, Antonius qui est pestis. Quod autem frequens est verbum γενέσθαι in sacris literis, phrasin etiam reddit ipsam plerumque Hebraicam, vt Psal. 118. Sit manus tunc mihi &c. Cum igitur Iohan. 1. dicitur ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο & infertius ἐγεννήθη ὑμῖν σοφία, qui factus est nobis sapientia, & alia quæ ὁμοίως proferuntur, in his figuræ Metaphoricæ ad detorquendam simplicem significationem verborum quærendæ non sunt, vt Psalm. 90. κύριε καταφυγὴ ἐγενήθη dominus factus refugium, idem Psalm. 108. Ego sum factus istis opprobrium, quæ enarranda explicari debent, si videatur, sed simplices significationes verborum sunt retinedæ, vt Christus est nostra sapientia, iustitia, quod sumus nos sapientes, iusti, id est, Christi opus est munus vel propter Christum contingit credentibus, & est Christus finis legis Rom. 10. id est perfectio atq; terminus. Tũ enim quid propter aliquid significet considerātur, in quib. euidens est similitudo, illustrat id, de quo v[illegible] ut corpus vestrum est templum Sp. sancti 1. Cor. 6. Quæritur quomodo lapis reprobatus ab ædificantib. factus sit caput anguli vere dicitur de opere exstructionis templi & ædificatio

ficationis Ecclesiæ, cuius caput est Christus. Itē petra erat Christus, id est, petra illa, de qua loquor: interdum sunt plane ἐνηλλαγμέναι *tales* συνθέσεις, *Psal. 42. Pascebar lacrymis meis, panis n. phrasi Hebraica cibum* κατ᾽ ἐξοχὴν *significat, & interdū comparationis notatio additur, factus sum quasi gramen Es. 37. factū est cor meū q. cera Psal. 22. Et hoc loco 1. Cor. 1. Christus est offendiculum & iustitia, iudicio quidem Iudæorum & Græcorum, ideo addit, Iudæis scandalum & Græcis stultitia, id est, mirifice offenduntur Iudæi nomine Christi, & stultitiā esse doctrinā Euāgelii putāt Græci. Sed quale est hoc, eum, qui non nouit peccatum pro nobis peccatum fecit. 2. Cor. 5. Christus igitur factus est peccatū. Sunt qui Hebraica phrasi interpretantur* ἁμαρτίαν *pro victima de peccato. Itē, factus pro nobis maledictum Gal. 3. Forma quidē verborum & cōpositionis manifesta est, sed res ea significatur, in qua vertitur totum mysterium redemptionis nostræ secundū æternū consiliū Dei, de qua re soli & loqui & cogitare religiosi & pii possunt & debet. Neq; sunt hæc ad vllas exquisitiones rationis & intelligētiæ humanæ reuocāda. Non n. ista vel* ἱστορικῶς *facta sunt vel* τροπικῶς *cōmemorātur, sed indicatur plane humiliatio immensa & abiectio deformis Filii Dei sustinētis & perferētis iram Dei, qui est pro genere humano propter peccatum damnato ad æternam mortem factus intercessor & mediator a Patre.* Atque hæc est sapientia & iustitia & salus atque vita æterna, Christianorum, id est, credentium in Christum, quem toto pectore oremus, vt huius rei

tantæ sensum atq; cognitionem ipse suo Spiritu sancto suscitet & confirmet in cordibus nostris,& simplicitatem fidei in nobis conseruet,& nō sinat nos deserere aut flaccescere in nobis confessionem & studium Euangelii, ne eripiatur ex ore nostro sermo veritatis Amen.

VI. Thesis.

Quæ in genere non continentur, non sunt propterea neganda speciei.

Explic. et Confir.

Videtur hæc cōmonefactio supervacanea cum lippis & tonsoribus nota sit, sed quia discrepant ius & factum & experientiā vel in tenuioribus hallucinationes excellētium doctorum suppeditat, constat nihil paruum nihilq; contemnendum esse. Ibi autem maxime cautione opus est, vbi consuetudo præstantium auctoritate confirmata est. Huiusmodi error est, quod signorū natura data non permittitur sacramento, quod de rei exhibitione singulariter sancitur, id quod supra refutauimus. Huc pertinet collatio sacramētorū veteris & noui testamenti, quæ ex 1. ad Cor. 10. a Caluinianis pompose, sed non recte instituitur, talis quæ ταυτότης & identitas in re sacramenti inde certo emanet. Sed de hoc vitio cōparationis iam egimus in tertia disputatione de cœna, cuius editione redimemus hunc laborem, similis aūt abusus exemplum nobile exstat in orthodoxo consensu *pag.* 173. Etsi enim de genere sacr

ſacramentorum inferiore noui nim.teſtamẽti ibi agitur, tamen ſi illud, quod noui teſtamenti tempori aptatum eſt, ſic intelligatur, vt vnũquodque ſacramentum certo teſtamento deſtinari oporteat. Genus ſuperius eadem inuadat fallacia. Subiiciemus igitur hoc exemplũ. Chemnitius in ſecunda parte examinis concilii Tridentini pag.41. ſic ſcribit, Vt aliquid ſit vere & proprie noui teſtamẽti ſacramentũ, ſicut eſt baptiſmus & ἐυχαριςία, requiritur primo, vt habeat externũ aliquod materiale ſeu corporeum & viſibile elementum ſeu ſignum, quod externo ritu tractetur, exhibeatur & vſurpetur. Secundo, vt elementum ſeu ſignũ illud, & certus eius ritus, habeat expreſſum mandatum diuinum. *Tertio*, vt inſtitutum & mandatum ſit in nouo teſtamento. *Quarto*, vt non ad tempus inſtitutum ſit, ſed vſque ad conſummationẽ ſeculi, & hæc requiruntur ad elementum ſeu ſignum ſacramenti in nouo teſtamento. *Quinto* requiritur ad ſacramentũ promiſſio diuina de gratiæ effectu ſeu fructu ſacramenti. *Sexto*, Illam promiſſionem nõ oportet nude & ſimpliciter & per ſe tãtum habere teſtimonium in verbo Dei, ſed oportet eam diuina ordinatione annexam eſſe ſigno ſacramenti, & eo quaſi veſtitam eſſe. *Septimo*, Promiſſionem illam oportet non de quibuſuis donis Dei ſiue corporalibus ſiue ſpiritualibus, ſed promiſſionẽ gratiæ ſeu iuſtificationis, hoc eſt, gratuitæ reconciliationis, remiſſionis

peccatorũ, & in summa de toto benefici[o re]demtionis intelligi. *Octauo*. Et illa promi[ssio in] sacramentis nõ in genere tm̃ vel significa[tur] vel annuntiatur, sed virtute Dei offertur & [ex]hibetur, applicatur & obsignatur etiã singu[lis] qui fide sacramentis vtuntur. *Hæc Chemn[itius.]* Arripuerũt a. hanc doctrinã aduersarii & [cal]te ad probationẽ sui erroris detorserunt [hoc] argumẽto: Dominus Chemnitius princip[ia &] fundamenta, ex quib. vera sacramentorũ [noui] testamenti definitio, eorumq; essentialis [ra]tio exstrui debet, talia cõstituit, vt non conue[niant] dogmati de corporali manducatione & p[ræ]sentia. Aut ergo hæc principia definition[is non] cõsentiunt cum vera ratione sacramenti: [aut] substantialis illa ex verbis cœnæ sumta cõ[iun]ctio seu coexsistentia corporis cũ vel in pa[ne] non est consentanea principiis definition[is sa]cramenti. Resp. missa hoc loco calumnia, [quod] corporalem p̃sentiam & manducationẽ c[or]porali modo describit, argumentationis il[lius] processus talis est: dominus Chẽnitius nõ [ad]seruit generali definitioni sacramenti no[ui te]stamenti corporalẽ p̃sentiã & manducatio[nem] corporis Christi in cũ vel sub pane. Cœna [au]tem Domini ex p̃sentia & manducatione ista de[fi]nitur ab ipso alibi. Ergo aut definitio gene[ralis] non erat vera, aut altera non erit consenta[nea] isti, quomodo oẽs vident cõfusionẽ generis [&] speciei, tanq̃ vnũ confundi, qualis confusio [in] hoc exemplo est. *In definitione animalis non* mon

...entio rõnis. Ergo *Homo nõ est definiẽdus, quod sit animal rationale:* sunt igitur scopæ dissolutæ.

VII. THESIS.

Aliud est sacramentum, aliud res sacramenti.

EXPLICATIO.

Diligenter notandũ est hoc discrimen, ne transubstantiatio rerum diuersarũ aut ex coniunctione & vnione sacramentali cõfusio nascatur. Simul a. varius sacramẽti vsus obseruetur. Aliquando sacramentũ integrũ relatiue cõplectitur fundamentũ & terminũ, aliquãdo absolute pro fundamento acceptũ distinguit᷑ a termino, qui dr̃ res sacramenti tanq̃ altera pars integri sacramenti. Sacramentũ integrũ est, quod panis sacræ cœnæ dicitur & est corpus Christi, item quando actio externa cũ interna iunctim intelligitur sacramẽtũ, illic res sacramenti est corpus Christi, hic res sacramẽti est spiritualis mãducatio & perceptio Christi, seu vnio cum ipso. Prior vsus tantũ est sacra cœna noui testamenti, posterior tantum de agno paschali, quam de cœna Christi constat, imo res eadem constat cuiuis credenti extra vsum sacramenti, & sic credentib. tã in veteri, quam in N. T. cõmunis est spiritualis Christi manducatio & bibitio. Hæc ita discrete nosse, munit cõtra Caluinianorũ lusus, qui re sacramenti, id est, spirituali manducatione negata corporis Christi in vsu externo perceptionem negant, & auditores confusione decipiunt. Si enim panis sacræ cœnæ percipitur ab infideli, sacramenti res abest, quæ est manduca-

tio ſpiritualis: Res a. ſacramenti alterius ſignificationis, quæ eſt corpus Chriſti, adeſt & percipitur, qui panis ſumitur, qui in manducatione externa eſt corpus Chriſti, & res ſacramenti eius, qui inter panem & corpus Chriſti ſingula, adeſt & percipitur, quia panis ſumitur, qui in manducatione externa eſt corpus Chriſti, & res ſacramenti eius, qui inter panem & corpus Chriſti ſingulariter conſtat. Huc pertinet vulgatum dictũ Auguſtini lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 14. *Nec intereſt*, inquit, *cum de ſacramenti integritate & ſanctitate teſtatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit is, qui accipit ſacramentum: Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad ſacramenti quæſtionem nihil intereſt. Fieri enim poteſt, vt homo integrum habeat ſacramentum, & peruerſam fidem.* Hic Caluiniani ſacramentum accipiunt de pane & vino, quæ eſt contra Auguſtinum, vocem ſacramenti vſurpantem non pro fundamento abſolute, ſed pro integro relatiuo conſtante fundamento & termino, hoc eſt, re viſibili & inuiſibili. Ex quibus duabus ipſe docet confici & conſtare ſacramentum in ſentẽtiis Proſperi. Ergo cum, inquit, *accipi integrum ſacramentum, etſi fides non afferatur*, ad illam præceptionem vero hoc vult, nõ ſolum panẽ, neque ſolum vinũ, ſed panẽ & corpus Chriſti, vinum item & ſanguinem Chriſti percipi ab infidelibus. Sic lib. 5. cap. 8. inquit: *Sicut Iudas cui buccellam tradidit dominus, non malum accipiendo.*

cipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo præbuit: sic indigne quisque sumens dominicũ sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem, non accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus etiam erit illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Hæc Augustinus. Vnde cognoscitur panẽ sacræ cœnæ esse corpus Christi etiam ab infideli manducatum, & sic sacramentum integrũ in vsu externo cõstare, quatenus sacramenti ratio est inter panem & corpus Christi, non vero integrum, si sacramentũ definiatur manducatione externa & interna. Sic integri illius sacramenti instrumentũ perceptorium est os hominis externum: Alterius vero geminum instrumẽtum, cum manducatio externa sit oris corporalis, interna sit oris cordis seu fidei, vt hoc integrum nemo percipiat, nisi corporaliter & spiritualiter simul manducet & bibet. Sic igitur distinguẽda sunt sacramentum & res sacramenti, vt variis applicata distinctio hæc aliorum distinctorum confusionem non implicet.

CONFIRMATIO.

Institutio sacræ cœnę nobile exemplũ prębet datæ distinctionis. Distincte n. appellatur panis & vinum, distincte corpus & sanguis Christi, etsi panis & corpus, vinum & sanguis, sacramentaliter vniantur, itaque vnita sacra-

mentum constituant, cumq; præcepta & facta mãducatione & bibitione externa Christus inquit: *Hoc facite in mei cõmemorationem*, fidei ad externũ illum vsum accessu testatur, spiritualem manducationem & bibitionem sacramentaliter cõiungi manducationi & bibitioni externæ. Cumq; Paulus de dignorum & indignorum manducatione agit, prius sacramẽtum integrum vrget, etsi fide destitutus spiritualiter non vescatur aut bibat. Cum a. inquit, *Quisquis edit panẽ hunc, & bibit poculum hoc Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini:* demonstratiua pronomina non panẽ, nec poculum solum sacramenta scilicet absolute pro fundamentis posita, sed iuxta præcedentem institutionem ingerũt integra intelligenda sacramenta, panem nimirum, qui sit corpus Christi, & vinũ ꝙ sit sanguis Christi.

VIII. THESIS.

Aliud est substantia, aliud fructus sacramẽti.

EXPLIC. ET CONFIR.

VAlde vsitata est domino Luthero hæc distinctio, & vtitur eadem Augustinus li. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 15. *Aliud, inquit, est sacramentum, quod habere etiam Simõ magus potuit, aliud operatio Spiritus.* Et leg. 5. cap. 1. iubet distinguere sacramentum ab effectu seu vsu sacramentali. Distinctio hæc cõiuncta præcedenti non parũ lucis veritati pbet. Cum n. sacramentũ in genere describitur, per

per causas, itē vt thesi 6. ex Chemnitio liquet. Sicut ergo quædam causæ ad substantiam rei pertinent, quædam extrinsecus accedunt, & vsus seu fructus posterior est rei substantia: Ita non tollitur substantia sacramenti, quæ in vsu externo cōsistit, etsi vsus posterior seu fructus non accedat. Sic baptismus dicitur lauacrum regenerationis a fructu. Etsi igitur baptisatus non regeneratur, nihil tñ decedit substātiæ sacramenti, quin hic integrum cōferatur ei, qui non renascitur. Sic licet nō contingat sumenti res sacramenti cœnæ, quæ est vnio cum Christo, & fructus sacræ cœnæ tātum fidelibus cōmunicantibus promissus, substantia tamen sacramenti integra vtenti contingit, quæ consistit in externo vsu, nimirum in manducatione & bibitione benedicti panis & vini. quæ in isto vsu sunt corpus & sanguis Christi.

IX. THESIS.

Miserrimam seruitutem esse, qua fit vt signa pro rebus accipiantur.

EXPL. ET CONFIR.

THesis est Augustini, quam tractat in lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5. & 7. multumque solet agitari a Caluinianis contra nostrā de sacra cœna confessionem, vrgentē vnionē corporis Christi. Explicanda est ergo sententia diligētius, & quidē cū ad generalē, cōsiderationē signorū ptineat, huc eam assumemus.

Primum a. sciatur phrases esse diuersas, cū dico signa pro rebus accipere, & signa cum

rebus accipere. Signa enim pro rebus accipiẽs signa sine reb. accipit, cui alterũ ex diametro opponitur. Quomodo igitur attributũ vnius miserrimæ seruitutis appellatio conueniet opposito? Et quis vero videt huic seruituti propiores esse Caluinianos, quam nos, qui in in vsu externo nuda signa accipi docent, etsi non nuda esse velint, quia significent res, tamen cum ipsis præsentes non concedunt. Sed ad Augustini mentem attendamus. Disputat hic contra eos, qui literam in signo sequentes nihil præterea attendunt, itaque neglecta re signata corporalibus tantum inhærent signis, iisq; vsurpatis ordinantis voluntati satisfacti putant: Quomodo Augustino signum pro rebus accipere est ad solius signi corporalẽ obseruationem & vsum intentũ esse, re signata præterita & neglecta. Videtis igitur secundum propositum auctoris nostræ confessioni signum & rem signatam coniunctissima vrgenti ineptissime accommodari, qui ita, inquit, ca. 5. *Ea demum est miserabilis seruitus animæ, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum externum lumen leuare non posse.* Quod vt magis intelligatur, expendatur quibus exemplis se declaret auctor. Nam capite septimo gentium simulacra cõsiderat, quæ quidem simpliciter pro diis habuerunt, quidã vt signa coluerunt. Quibusdã n. Neptunus fuit Deus, quibusdam Neptunus significauit vniuersum mare oẽsq; aquas

aquas cæteras, quæ tamē ad creaturam colendam signum retulerunt. Has gentes confert Augustinus cum Iudæis, de quibus cap. 6. dixit, *Quod signa veteris testamenti ad Christum non retulerint, id eoq; Christum præsentem signa ista abolentem ferre non potuerint, sed sublatum suum solum defendentes pertinaciter, signis tanquam rebus astricti fuerunt.* De his autem in cap. 7. concludit: *Si ergo signum vtiliter institutum pro ipsa sequi carnalis est seruitus, quanto magis inutilium rerum instituta signa pro rebus accipere (vt siquis Neptuni simulacrum pro Deo habeat) quæ si retuleris ad ea ipsa, quæ his significantur, eisq; colendis animum obligaueris, nihilominus seruili carnaliq; onere atq; velamine non carebis.* Ex his patet, quod Augustini sententia adeo non accuset eos, qui signa & res signatas secundum ordinationem Dei cōiunctim accipiunt, vt qui hoc ipsum non fecerit, eum imprimis reprehendat. Si quis autem rem hic accipit de spirituali manducatione, miseram sane seruitutem eorum agnoscimus, qui sine fide hoc sacramento vtentes, damnationi mancipantur. Interim tamen Paulus manet huius seruitutis exsors, qui panem dicit esse corpus Christi, & vinum sanguinem Christi fideli & infideli, simulq; docet fidem afferendam esse ad illam sacramentalem signorum cum rebus sumtionem, vt misera seruitus euitetur, in qua percepta re externa vsu interno res salutariter

res non percipiatur. Quandoquidem etiã in hoc lib. Augustini figuratarum locutionum fit mentio, quibus Caluiniani impugnẽt thesin quintam supra nobis assertam, consideremus hic mentem & doctrinam Augustini, qui sic inquit cap. 5. dicti libri: *In principio cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias: Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, Litera occidit, spiritus autem viuificat. Cum igitur figurate dictum sic accipiatur tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur, neq; vlla mors animæ congruentius appellatur, quam cũ id etiam quod in ea sc. anima bestiis antecellit intelligentia carni subiicitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam translata verba sicut propria tenet, neq; id quod proprio verbo tenet refert ad aliã significationem.* Hęc inquã Augustinus, qui de signis agens illam rationem intelligit, qua signo seu fundamento appellato autem viso, vt per hoc aliud acciperetur, acquiescitur tantum in apparente: Ad quod respondeo, cum contra τὸ ῥητὸν, quod vrgemus allegatur, ne nos quidem pro visu Grammatico vel Rhetorico idem negare, nimirum cum vno appellato loquens aliud significare intendit, vt si quis ad Sabbati festiuitatem conuocasset Iudæos, & in festo denominatione Christum, seu in hac constantem quietem proposuisset, is sane Metaphorica oratione vsus esset.

Quod si auditor tantum hæsisset in externo sab-

sabbato, proprie sine translatione ad aliud intellecto, hunc peccasse ex Augustini sententia recte pronuntiare censemus. Sic Metonymiam facile concedimus, cum vt sabbatum pro quiete cœlesti: sic quoduis signum pro re signata dicitur. Sed quod eadem sit ratio, cum Deus sacramentali excellentia vnum de altero prædicauit, vt præsentia & vnio intelligeretur, hoc vel diuersitate formæ loquendi diuersum vsum innuit. Quomodo igitur figurata locutio, quæ vnum pro altero appellat, conuenit locutionibus sacramentalibus, in quibus signum & res signata expresse appellantur, & vnum de altero diserte prędicatur, vt non possint non ambo intelligi? Imo cum istæ enuntiationes non sint figurarum præmissarum explicationes, seu primarię sacramentorum seu rerum istarum sacrarum ordinationes, certe non potest Grammaticus vel oratorius vsus rei anteferri, vt ipsam informet, sed rem priorem dari oportet, vt huic sese omnino attemperet.

X. THESIS.

Accedat verbum ad elementum & fiet sacramentum.

EXPLIC. ET CONFIRMATIO.

RECensuimus hactenus aliquas sententias, quæ iudicium de genere sacramentorum spectant. Addimus nunc Augustini

quandam, quæ ſacramentorum conſtitutionem tradit. Quia tamen in breuitate eſt obſcuritas, declaratione opus eſt. Manifeſtum eſt duo potiſſimum ab Auguſtino requiri, vt ſacramentum fiat, elementum nimirum & verbum. Elementum dicitur res corporalis, viſibilis, vt in circumciſione præputium, in conuiuio paſchali agnus, in baptiſmo aqua, in cœna Domini panis & vinum. Verbum intelligitur non hominis, ſed Dei. Quia enim de ſacramentis agimus, quæ ſunt diuina & admiranda myſteria, Deum horum auctorem appellamus, eiusq; inſtitutionem certo & expreſſo verbo factam efflagitamus. Verbum aliud mandati eſt, aliud promiſſionis.

Primo verbum mandati continet primum elementi certi dominationem.

Secundo eiuſdem ad vſum ſacrum ſegregationem & ordinationem.

Tertio eiuſdem certo externo ritu tractationem.

Quarto eiuſdem vſurpationem externam.

Quinto & hanc mandatam ſolummodo hominibus, & quidem omnibus qui ad teſtamentum Dei externa vocatione pertinent.

Ad tertium de ritu, quod eſt tractandi Elementum, pertinet repetitio mandati, vt verbum hoc mandati non ſit ſolum diuinæ ordinationis originalis, ſed etiam facti miniſterialis, quod in vſu ſacramenti mandatum Dei obſeruet, vt ſciamus verbum illud Dei non

non ordinasse solum sacramentum semel, sed pro tempore testamenti & mandatæ administrationis in ordinatione semper efficax esse, vt sic sacramentum sit elementum accedente verbo Dei, tum ordinante, tum ordinationem sanctificante, non quidem magica vi recitationi verborum ministri attributa, sed vi diuina cum ordinatione sua propria pro declarata voluntate perpetuo coniuncta. Vniuersale enim est, quod Ieremiæ, 1. Dominus inquit: *Vigilabo super verbum meum & faciam illud.* Verbum promissionis proprie accipitur de promissione gratiæ, quæ facta est vtentibus sacramento in vera fide, cui applicato pignore quodam certificatur & obsignatur ad incrementum fidei & arctiorem coniunctionem cum Deo. Hæc promissio in vsu sacramenti interno multum quidem addit externo, si tamen absit ille internus non tollit externum, sed si fiat, talem, qualem institutio prædicat, relinquit, cum promissio vsui externo facto alia sit, quam illa, veluti si præsentiam Dei in actione sacramentali peculiarem consideras, non est illa neganda sacramento, quod indignus & infidelis accipit, licet promissionis gratiæ effectum eidem desit, & iudicii comminatio, eaque per contemtum Dei & ordinationis ipsius, cui auctor peculiari præsentia adest, grauior succedat.

Sic incredulitas vsurpationi sacramenti

circumcisionis non derogat fidem Dei, etsi fides hominis desit testante Paulo. *Rom.* 3. Etsi baptisatus in nomine patris filii & spiritus sancti. *Matth.* 28. non credidit, baptismus quidem dicto nomine factus respectu Dei sacer est & manet: sed baptisatus non credens condemnatur *Math.* 16. Sicut etiam de cœna Domini docemur. 1. *Cor.* 11. Distinguitur igitur promissio gratiæ a promissione sacramentali vt promissio præsentiæ corporis & sanguinis Christi cum pane & vino sacræ cœnæ sumentibus constet, etsi promissio gratiæ non nisi fideli parta sit.

LOCVS XXIII. DE DISTINCTIone Sacramentorum.

I. Thesis.

Sacramenta alia generalius, alia κατ' ἐξοχὴν specialius dicuntur.

Explicatio.

CVm sacramentum appellamus etiam hominum institutum intelligimus, sed diuinum quoddam genus ad vsum Deo dignum & placentem ab ipso ordinatum. Mittimus igitur distinctionem humana & diuina signa discernenté. Ideoq; sunt nobis núc in genere sacramenta quæuis signa, quibus vnus Deus erga homines ad se testificandum, suamq; voluntatem, nec non beneficiorum præterito-

rum

rum memoriam, & futurorum fidem confirmandam vsus est. Horum nullum est nisi voluntarium. Etsi enim naturalia & voluntaria distinguútur, vt cum naturale appellas, quod hic mundus sui auctoris symbolum exhibet.

Voluntarium, quod Deus singulari voluntate signa naturę ordinariæ addidit, veluti cum Iridem proposuit pignus eius, quod mundus diluuio amplius perire non debeat: tamen & naturalia sunt voluntaria, quia Deus, qui voluit, fecit in cœlo, & in terra, & in mari, & abyssis. Psalm 135. vt hic sacramenta Dei, itaq; auctoris respectu accepta non possint voluntate, quę generalis est, discerni. Atque hanc ob causam vel etiam maioris perspicuitatis gratia hic non sequimur Bezæ distinctionem, licet is Augustini vestigia sibi videatur tetigisse, cum quædam signa facit naturalia, quædam prodigiosa, quædam voluntaria. Minime profecto erudita est hęc distinctio, a Beza vero ad fraudem composita. Voluntaria enim facit alia Dei, alia hominum. Cur igitur voluntarium non fuerit, quod a Deo naturaliter seu in natura institutum fuerit? Quod si distinguendum fuerit inter voluntatem ordinariam & extraordinariam, discrimen statueretur.

Quo porro voluntatem singularem non posset siue Dei siue creaturæ, q; prodigiosum, & pter naturę intentionē fit? Distinctio igitur

non probatur, fraudem vero occultare nescit, cū inquit sacramēta κατ' ἐξοχὴν sc. sic dicta neque naturalia neque miraculosa esse, sed voluntaria, hoc est, dum miraculosum negat sacramentum, nec tamen naturale facit, docet illud ita voluntarium quod tamen naturam non excedat: Quod ne quidem in examine Caluiniano consistet, cum spiritualem vsum, ex quo sacramentum definiunt, a miraculis liberare nequeant. His igitur & aliis de causis Bezæ vestigia deserimus, rectiusque signa a Deo siue naturæ institutione, siue singulari opera ordinata, distinguimus in communia & singularia. Communia sunt omnia signa ordinata in communi cursu naturæ ad testificandum creatorem, eiusque Deitatem & potentiam, aliaque Deo placencentia probandum. His adeo plenus est mundus, vt nihil sit a Deo factum, quod non propter se fecerit. *Prouerb.* 16. sic *Rom.* 1. legimus Dei inuisibilia ex rebus conditis intelligi. Actorum. 14. *Deus viuus qui fecit cœlum & terram*, nunquam se relinquit ἀμάρτυρον, id est, expertem testimonii vel sacramenti, benefaciendo nobis, dans pluuium cœlitus.

Sic Deus frequentissime imagines ex natura petitas, & parabolas adducit ad declarandam suam mentem, neque tamen ingeniosa inuectione vtitur vt Rethores, sed vsum a se institutum repetit & inculcat, itaque in natura

con-

consiliorum suorum sacramenta deposita arguit: & hæc licet propter vulgaritatem minus spectabilia, magis vero contemnta: sacramenta tamen vere dicuntur, cum Paulus Philip. 4. scribat: *In omnibus initiatus sum & esurire, & saturari, & abundantiam & penuriam pati.* Atque ex hoc cumulo facile colligitur, etiam inuisibilia esse sacramenta, cum Dominus non solum visibilia, sed etiam inuisibilia condiderit, *Coll.* 1. Et animam humanam substantiam inuisibilem imagine sua ditarit, eiusq; incorruptis etiam hominibus restante intellectu, qui nihil minus est, quam visibile, quod suę sapientię signum & symbolum certissimũ præbeat. Beza tamen contra tam manifestam veritatem non est veritus aduersus me in 2. resp. pag. 114. scribere: *Nouum, inauditum, & falsum esse, quod dixi, rem spiritualem esse alterius sacramentum seu signum.* Et pag. 141. *Vide vero Hoffmanne, quantopere hallucineris. Nego enim quicquam habere rationẽ signi sacramenti, siue in typis, siue in sacramentis, quod non substantiale sit corporeum, & in oculos ipsos incurrens.* Item pag. 145. gloriatur quasi, argumento ab vniuersali ac perpetuo typorum & sacramentorum fine, ipsorumque patrum auctoritate sumto, euicerit, *nihil habere signi rationẽ, nisi quod in oculos ipsos incurrat, ac proinde vera sit ac visibilis substantia.* Verum ad hanc vanitatem, licet nimium in ea iactabundi doctores, respondi in explicatione dicti, *Esa.* 7.

vbi promissio de Messia repetita, nec oculis corporis, sed mentis tantum obiecta, ipseque partus virgineus annis 700. antequam fieret, fide aspiciendus præbitus, signum appellatur. Communibus signis opponimus singularia, & vocamus ea, quando Deus, vel rem nouam faciens, vel antea factam & communem nouo instituto segregat & ordinat, ad symbolicum seu sacramentalẽ vsum. Talis est Iris, *Gen.* 9. lampas ignis transiens inter diuisiones Abrahæ, *Genes.* 15. circumcisio præputii, *Genes.* 17. ignis in rubo. *Exod.* 3. agnus paschalis. *Exod.* 12. nubes & columna, illuminans noctem, cum qua filius Dei præsto erat, ductans Israëlitas ex Ægypto. *Exod.* 15. variæque victimæ animalium Leuiticæ. Sic in nouo testamento stella regis Iudæorum, fulgur circumdans angelum, annuntiantem natiuitatem Christi, *Luc.* 2. Columba apparens super Christo & aqua baptismi, *Matth.* 3. Flamma ignis in ore Apostolorum, *Actor.* 2. Panis & vinũ in cœna Domini, *Matth.* 26. 1. *Corinth.* 11. Sacramentum singulare est res, a Deo facta vel proposita, certoque modo ordinata ad significandum, testandum, & obsignandum, quod Deus homines docere, iisque confirmare vel præbere voluit. Hæc vero singularia subdistinguimus, & ex his sacramenta quædam κατ' ἐξοχὴν vocamus, quasi nomen hoc cæteris derogantes, quod tamen latiore vsu ipsis competit: Sacramenta ergo

pe-

per excellentiam sic dicta, quatuor numeramus: I. Circumcisionem. II. Agnum paschalem. III. Baptismum. IIII. Cœnam Domini. Horum genus ita definimus sacramentum, κατ' ἐξοχὴν dictum, *est actio sacra, a Deo instituta, versans certo ritu circa elementum.*

Visibile autem denominatur, vsuique hominum ad testamentum Dei æterna vocatione collectorum, modo singulariter præscripto destinatum ad signandum & exhibendum ea, quæ Deus ad excitandam fidem, applicandam promissionem gratiæ, & confirmandam atque obsignandam fidem, huiusq; consequentia peragenda designauit.

II. THESIS.

Sacramenta κατ' ἐξοχὴν dicta, alia veteris, alia noui testamenti.

EXPLICATIO.

Libellus noster Catecheticus nouum testamentum plane idem esse ait, quod Euangelium. Euangelium autem promulgatum in paradiso: ab ipso ergo tempore aliud, quam hoc ipsum, quod nouum nunc dicimus, testamentum, non videtur fuisse. Quomodo ergo sacramenta illa omnia sint promissionis Euangelicæ sigilla, quæritur? Respond. Testamentum sane hoc est pactum & fœdus Dei, cum hominibus initum, & Euangelium fœdus, promulgatione læta, prius est terrifica tradi-

tione legis in monte Sinai: Nouum tamen testamentum proprie dicitur Euangelium, & noui appellatione antiquatur prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope est, vt euanescat, *Ebr.* 8. Ergo Testamentum vetus proprie erit aliud quiddam quam Euangelium, quod abolet prius, ipsum autem non abolebitur. Est autem vetus, quod Christi exhibitionem antecedit, & pædagogia legis proprie definitur, quemadmodum nouum proprie Euangelica fide, quæ scil. Christum exhibitum & hunc propitiatorium in suo sanguine effusum apprehendit, vt Euangelium hac circumstantia potissimum definitum, quatenus scilicet nuntium de Christo exhibito, nouum pacti feriat. Legatur autem 3. & 4. caput ad Gala. vbi huius doctrinæ sedes est, & explicatio satis copiosa & perspicua traditur. Estque hic illud potissimum obseruandum cap. 1. legem nec fuisse aduersus promissiones Dei, sed conclusisse scripturam omnia sub peccatum, vt promissio ex fide credentibus. Antequam autem venisset fides, sub legis præsidio tenebamur conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus fuit in Christum, vt e fide iustificaremur, at postquam venit fides non sumus amplius sub pædagogo. Ergo hic patet in veteri Testamento, legem dominantem esse, vt in nouo Euangelium, nec tamen hoc illi defuisse, sed obscurius adumbratum fuisse, tanquam sui temporis luci reseruandum.

dam, legemq; ſuam Prophetam quidem ſuo carceri incluſiſſe, a fide tamen non prohibuiſſe, ſed cuſtodiuiſſe concluſos in eam fidem, quæ erat reuelanda, hoc eſt, typi & figuræ & vmbræ Chriſti in fœdere legali cuſtodia erant aduerſus maledictionem legis, vt quos concluſerat lex, cuſtodiret in fidem, vt tamen fidem differentiam præberet nouo teſtamento, hoc tempore venturam & reuelandam, quia Chriſtus, gemma lucidiſſima fidei, aduentu ſuo teſtamentum nouum exorſurus erat, quem futurum credebant patres veteris teſtamẽti, vt fides eſſet tanto obſcurior, quanto promiſſio venturi obſcurior eſt fruitione exhibiti. Hæc teſtamenta ſic diſtincta ſingula ſua habent ſacramenta.

CONFIRMATIO.

Cum vſitate ſoleant in veteri teſtamento recenſeri hæc duo ſacramenta, circumciſio & agnus paſchalis, vt quæ reſpondeant baptiſmo & cœnæ Domini, noui fœderis conſideratione, horum diſcrimen propoſitum illuſtrandũ eſt. Circumciſio inſtituitur *Gen.* 17. vbi Deus cum Abrahamo & poſteritate ipſius fœdus fecit, quod dicitur teſtamentum: *Statuam inter me & te*, inquit, *interq; ſemen poſt, &c.* Et poſtea: *Hoc pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos, atque inter ſemen tuum poſt te.* Hic fœdus ſeu teſtamentum ſancitur, & ſacramento confirmatur, ac licet diſtinctum ſit te-

ſtamentum a ſacramento, ſicut fœdus & obſi-
gnatio fœderis, tamen cum circumciſione fœ-
dus illud obligatione mutua inter Deum &
homines conſtans, certis perſonis applicetur
& ſic fœdus cum ſingulis ſanciatur, actus cir-
cumciſionis etiam nomen fœderis accipit. E-
ſus agni Paſchalis inſtituitur, *Exod.* 12. E-
licet ibi non fiat mentio fœderis, cum tamen
Deus ibi diſerte prohibeat, ne incircumciſus
vna manducet agnum, illud certo ſacramen-
to aſtringit, & *Ierem.* 31. vbi fœdus nouum
veteri diſtinctum promittitur, aperte dicitur
tunc initũ fœdus cum Patribus. Fœdus enim
tum pangi dicitur, cum ſacramento obſigna-
tur, quia vſurpationi ſacramenti applicatur,
ſingulis conſtet. Conferantur autẽ verba, Ex-
od. 12. cum verbis *Ierem.* 31. In Exodo ſcribi-
tur: *Fecerunt igitur omnes filii Iſraelis, quem-
modum Iehoua præcepit Moyſi & Aaron,* &
In Ierem. 31. *Ecce dies venient, dixit Iehoua
& feriam cum domo Iſrael, & cum domo Iu-
fœdus nouum.* Ergo inſtitutio agni Paſchalis e-
initi fœderis, & quidem veteris teſtamẽti ſan-
ctio. Quod baptiſmus noui teſtamenti ſacra-
mentum ſit, probatur. Ioannes primus
ſingulari mandato Dei iſto baptiſmo tin-
homines, & tunc indicauit Iudæis præſ-
tiam promiſſi Chriſti, *Ioh.* 1. *Malachias*
tem 3. hic *præcurſor* dicitur, qui præparare de-
buerit viam ante faciem Domini: Domi-
tor autẽ, qui tum venturus ſimul prædicitur
appo-

appellatur angelus seu legatus testamenti, quẽ optarunt Iudæi, Esa. 49. *Vaticiniũ editur de seruo glorioso in oculis Iehouæ, cuiq; Deus erit fortitudo, vt reducat Iacob, & Israelem congreget, vt dicat, vinctis, exite. & his, qui in tenebris sunt, reuelamini.* Hic vero Christus est, Luc. 4. Nam 61. cap. Esa. tum in synagoga Nazarenum lectũ cum hoc 49. concordat, in quo hæc verba de hoc seruo extant: *Dabo te in fœdus populi, vt suscites terram*, i. e. non in fœdus, quod populũ quondã colligabit in certa terra & politia, sed in fœdus latius, itaq; nouũ. Rursus autẽ 49. sic legimus: *Sic dixit Dominus Iehoua, ecce leuabo ad gentes manũ meam.* Petrus autẽ cum festo Pentecostes cõpunctos sua concione, & rogantes, quid facere deberẽt, iussisset, pœnitentiã agere, & baptizari in nomine Iesu Christi, ad Esaię locũ respiciens, inquit: *Vobis enim facta est promissio & liberis vestris*, eos autẽ, qui longe fuerunt, Paul. ad Eph. 2. vocat gentes, quas definit homines alienos a Rep. Israelis, & extraneos a pactis promissionis: & sic mãdatũ Christi de baptismo Apostolis datũ eodẽ spectat: *euntes, docete omnes gentes.* Est ergo baptismus sacramentũ nõ fœderis antiqui, quod Remp. Israelis non excessit, sed noui, quod omnib. gẽtibus promissum fuit. Sicut etiã ad Gal. 3. vbi Apostolus tempus noui testamẽti definit, quo fides venerit, & homines nõ amplius sint sub pædagogo, baptismus huic tẽpori asseritur. Et 1. Pet. 3. in baptismo dicitur fieri stipulatio bonæ cõscientiæ, vt

testamenti & fœderis ratio in eo cognoscatur. In institutione cœnæ Domini noui testamenti expressa fit mentio.

III. Thesis.

Sacramenta veteris & noui testamenti differunt potissimũ vsu & fine accommodato naturæ testamentorum.

Explicatio.

IN hac parte doctrinæ quanto magis ea conducit ad illustriorem cognitionem sacramentorum, tanto plus laborandum est, & cauendum diligentius, ne a scopo aberrando alienorũ persecutione curiosa rem magis obscuremus, quam declaremus, sicut Caluiniani exemplo sunt, qui huius partis ambitiosa tractatione sese magis intricarũt, quã extricarunt. Exstat apud Augustinum in tractatu 26. in Ioh. hæc sententia: *Veterum sacramenta quo ad signa fuisse a nostris diuersa, quo ad veram significationem paria: vera est hæc sententia, si tempestiue adhibeatur, & secundum quid intelligatur.* Quia enim non vidit, diuersa esse præputium & aquam, seu præcisionem præputii & tinctionem in aquam, siue aquæ aspersionem, esumitem agni paschalis assi, cum infermentato pane & lactucis, & esum panis potumque vini in cœna Dominica benedicti. Hæc vero ista diuersitate nihil faciunt, quod a testamentorum distinctione peti debet. Si enim in singulis testamentis singula etiã sacramenta differunt

ferunt, circumcisio nimirum ab esu agni paschalis & baptismus a cœna Domini, estq; indignum Dialectico & veritatis inquisitore, ea quæ distinguant singularia, conducere ad distinctionem vniuersalium. Hic enim agimus de diuersarum specierum sacramentorum distinctione, nimirum veteris & noui testamenti, non vero de distinctione, qua singula sacramenta sunt indiuidua. Non ergo apposite huc recurritur, vt signorum diuersitas ita simpliciter intellecta discernat species a testamentis diuersis informatas. Sic autem recte accommodabitur sententia Augustini huic loco, si signorum quantitas & qualitas ad naturam testamentorum æstimetur. Cum enim certum sit testamentum vetus duræ seruituti legali populum suum astrinxisse, cui testamentum nouum eiusdem generis libertatem opponit. Si quis ergo signorum veteris testamenti multitudinem, & quod circumcisio afflixerit vtentem, quodq; laboriosa fuerint signa vetera & ritus circa ipsa considerarit, hunc ex signis ipsis aliquid discriminis his speciebus competentis afferre, non potest negari. Quod Augustinus vtramq; speciem signorum parem facit, in eo limitatione iterum opus est. Quia enim vtraq; testamenta ad Christum respiciunt, & sacramenta eorũ eodem spectare necesse est: Non ergo minus vera est sententia Augustini, quam quod duo Cherubin in extremitatibus propitiatorii Leuitici positi, seq; mutuo

intuentes, & facies ad propitiatorium conuertentes, Exod. 25. a doctoribus allegantur de duorum testamentorum consensu & conuenientia, dum videlicet ambo in Christũ intendunt digitum, eumq; conspiciendũ præbent. Si quis autem hæc ita concessa ad sacramenta testamentorum reuocauerit, itaque vrserit, vt vel communi significatione, tanquam forma sacramentali propria ac perspicua, vel signati paritate simplici, seu rei identitatę, vt loquuntur, sacramenta vtriusq; fœderis comparet, is multum a veritate discedit. Expende enim sacramenta vnius speciei, & quidem veteris testamenti, & deprehendes, quod singula, vel spiritualis circumcisionis & regenerationis, vel spiritualis nutritionis sunt mysteria, itaque significatione differunt, non conueniunt, sicut nasci & nutriri. Neque vero sacramenta significarunt tantum ista spiritualia, vel in veteri saltem testamento, sed Deus mediantibus sacramentis spiritualia illa signata realiter per illa media præstitit & exhibuit. Cum etiam Beza finem & effecta sacramentorum vtriusque testamenti conciliaturus in secunda parte quæstionum, quæstione 70. ad Colloss. 5. doceat: Circumcisos fuisse in Christo parentes circumcisioni ἀχειροποιήτῳ, id est, *qua sine manibus sit facta:* non igitur delitescit forma sacramentalis in significatione tantum, sed etiam in exhibitione, quanquã vsus & fructus, seu consequens & effectum ad formam non perti-

pertinẽt, hoc eſt, licet regeneratio & nutritio ſpiritualis homini, tanquã fructus ſacramentorum contingat, etſi in vſu ſpirituali non percipiantur, formam ſacramentorum non tollant vſu externo & ſacramentali, etiam citra fructum ſemper integrũ, ne incredulitas hominum fidem Dei inanem reddat, vt loquitur Paulus Rom.6. Propterea cum Auguſtinus ſignificatione ſacramenta vetera & noua faciat paria ad genus quoddam animũ intendit, quo contineantur in Chriſtũ generali quodam intuitu. Hic vero quæſtio hæret, num paritas vel identitas, ſiue in ſignificatione, ſiue in Chriſto ſine exceptione cõſtet? Quæ vero, qua intentione cõgerant hic Caluiniani, quomodoque ſuæ pręſumtioni falſo accõmodent priorẽ partem cap.10. 1.ad Cor. in theſibus noſtris diſputationis III. accurate demõſtrauimus, de quibus, ſi quis in explicatione deſiderauerit aliquid, rationẽ reddemus volente Deo 14. Nouemb. proximo, vt ſic prolixitatẽ, q̃ inuolucra Caluiniana flagitãt hoc loco redimere magis liceat. Ad rem vero ipſam, vt diſcrimen ex natura teſtamentorũ inter ſacramenta vtriuſque oſtendamus, colligendus eſt animus ad teſtamentorũ & ſacramentorũ ſimultaneã obſeruationẽ. Teſtamenta enim fœdus, ſacramenta autẽ fœderis applicationẽ & obſignationem pſtant. Fœdus autẽ tẽporale partim eſt, partim ęternũ. In temporalib. diſtinguũtur teſtamẽta, in perpetuo cõueniunt, nõ tamen abſq; omni

discrimine. Temporale fuit in veteri testamento, quod certus populus in mundo Deo fuit assertus, Abraham nimirum cum semine suo carnali. *Deinde*, quod vetus testamentum obstrinxit eum populum iugo legis: Hæc duo cessarunt in nouo, & in locum Israelitarum omnes gentes surrogatæ sunt, seruitutiq; Mosaicæ libertas Euangelica successit. *Tertio*, æternorum bonorum fœdera sunt aptata promissioni, quę promissio benedictionem in semine Abrahæ obtulit, quod est Christus.

In hac promissione conueniunt fœdera, ita tamen, vt exhibendum & exhibitum semen promissionem & fidem, itaque testamenta in hac parte distinguat. His tribus discriminibus sacramentorum secundum testamenta differentiæ respondent.

CONFIRMATIO.

Ad Rom. 3. *Optarim ego ipse, anathema esse in Christo pro fratribus meis, &c.* Adoptatio hic dicitur, quod Israelitæ præ reliquis populis selecti fuerint in populum Dei, cuius fœdera seu testamenta sunt tabulæ legis Mosaicæ, legislatio publica, cultus seu lex ceremonialis, & promissiones nimirum temporales, peculiares cum æterna communi. Quod ergo ad distinctionem Israelitarum a gentibus attinet, sacramenta isti populo concessa eandem spectarunt & cōfirmarunt, vnde circumcisio & præputium Iudæis, Græcis & gentibus appellationem

nem præbuerunt, *Rom.* 2. *Ephes.* 2. vbi diserte dicitur de distinctione gentium a Republica Israelis, cuius signũ & arrha fuit Iudæis circumcisio. Additur ibidem, quod in nouo testamento per Christũ sit sublatus medius paries maceriæ. Et ad Gal. 3. scribitur: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, &c.* Quid vero hic aliud est, quam septo istius distinctionis, quod stabiliuerat circumcisio, per baptismum sublato, sacramentum noui testamenti pignus & sigillum esse vocationis & adoptionis gentium in populum Dei, sicut circumcisio obsignabat Israelitas in peculiũ Deo assertos: sic sacramentum cœnæ est thessera externi cœtus Christiani, quemadmodũ Paulus 1. Corinth. 10. inquit: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, nam omnes de vno pane participamus.*

Sit ergo hoc primum discrimen sacramentorum veteris & noui testamenti, vt illa obsignarunt Israelitarum segregationem a gentibus, ita hæc confirment vocationem gentium sublata illa segregatione.

Secundum discrimen sumitur a seruitute legis, quæ dominata est veteri testamento, & a libertate Euangelica, quæ nouo fœdere conciliatur. Rom. 2. dicitur: *Circumcisio prodest, si legem seruaueris:* Per circumcisionem igitur fit obsignatio obligationis ad integram obedientiam legalem, quam fœderis seruilis partem Christus in se recipiens, nos ab eadem li-

beros ſiſtit, ſicut ad Gal. 5. præclare docet Apoſtolus: *In libertate*, inquit, *qua Chriſtus nos liberauit, perſtate, & ne in contrario implicamini ſeruitutis iugo. Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtum vobis nihil profuturum. Teſtor enim rurſum omni homini, qui circumciditur, eum eſſe debitorem totius legis ſeruandæ.* Obligati etiam erant Iudæi ſuo fœdere ad ſeruitutem ceremoniarum Moſaicarum, ideoque circumciſio octauo die poſt natiuitatem deſtinabatur, & mactatio agni Paſchalis 14. die primi menſis fieri præcipiebatur. Ab hac ſeruitute liberi confirmantur ſacramentis noui teſtamēti. Nam ad Gal. 4. Apoſtolus Galatas, quos capite præcedenti a pædagogia legis & baptiſmi liberos pronuntiabat, obiurgauit, quod conuerterentur retrorſum ad impotentia & egena elemēta, quibus ſeruire vellent, dū dies obſeruarent & menſes & annos. Sic & Colloſſ. 2. conſepultos per baptiſmum cum Chriſto, de deleto per Chriſtum chirographo monet, indeq; texit hanc doctrinam: Nemo ergo nos damnet ob cibū vel potum, aut reſpectu diei feſti aut nouilunii, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra rerum futurarum, corpus autem Chriſti.

Tertium diſcrimen eſt in promiſſione æterna, quæ eſt gratuitæ iuſtificationis & ſalutis credentium in Chriſtum. Etſi enim vetus teſtamentum non tantum legale fuit, ſed ſub lege cuſtoditos tenuit concluſos in fidem, ita le

lex pædagogus fuit in Christum, vt ex fide iustificarentur Israelitæ, *Gal.* 3. Ideoque ex fide gratis, vt firma sit promissio toti semini. Et Abraham existit pater credentium, *Rom.* 4. vt sic vna & eadem fide in Christū, etiam vtriusq; testamenti sancti gratis saluari, statuamus tamen, vt Christus venturus fidei fœderis populi oblatus est, qui exhibitus apprehenditur fide Christiana, ita promissio & fides secundū hæc testamenta distinguūtur. Nam ad Ebr. 8. Christus dicitur præstantioris fœderis intercessor, q; præstantioribus promissis sacramentum est. Et ad Gal. 3. populus legis dicitur, sub legis ꝑsidio conclusus in eam fidē, q̄ erat reuelanda. Et tempus noui testamēti ex fide singulariter describitur, *Galat.* 3. cum inquit Apostolus: *At postquam venit fides, non amplius sub pædagogo sumus.* Etsi ergo circumcisio fuit sigillum iustitiæ fidei, *Rom.* 4. vel etiā noui testamenti præstantioris fœderis erit confirmatio, & fidei in præstantiore ꝓmissione præstantior obsignatio. Quoniam autē in Christo cōmunio est testamentorū, q̄ tamē in V. testamēto implicata fuit legi, inde vsu venit, vt amare distinguētib. confusio legis & Euangelii nata, & in doctrinam sacramentorū intenta sit, quo pertinent disputationes scholasticæ pontificiæ de gratia p sacramenta collata. Sic omnino extra sui generis limites rapta & latiꝰ accepta, peperit deprauationē doctrinę de pꝛsentia corporis Christi & sanguinis eius in S. cœna. Cū n. cōmunio veterū & nouorū sacramētorū, secundū q̄d &

iuxta naturam sacramentariam accipienda sit, egressa eadem natura in istam generalem, & sibi vendicans parum vel multum, siue specialibus, siue de singularibus tollit, quod speciali vel singulari institutione ad placitum ordinatum constanti testamentorum consensui non repugnat, ideoq; tolli necesse est. Quamobrem huius distinctionis, si accurate notetur, magna est vtilitas.

DE SACRAMENTIS VETERIS Testamenti, Locus XXIV.

ETsi veteris Testamenti sacramenta, si exquisitius agendum esset, plura possent recenseri, duobus tamen vt communiter notis & in collatione cum mysteriis noui fœderis visitatis, contenti erimus in hac explicatione, quorum prius est circumcisio, alterum esus agni paschalis.

DE CIRCVMCISIONE.

CIrcumcisio fuit actio sacra, a Deo instituta, annexa fœderi, pacta a Deo cum Abrahamo & semine eius, vt præciso præputio masculi familiæ istius adultorum quidem, tum eorum autem, qui post institutionem nascerentur die octauo, applicaretur circumcisio fœdus, colligens populum sub legem, quæ erat pædagogus in Christo, quo medio Deus circumcisionem cordis in populo isto operaretur

tus est, hoc est, veram & salutarem conuersionem, quæ constat conuersione & fide eodemq; signo iustitiam fidei obsignauit.

EXPLIC. DEFINITIONIS.

VT rectius intelligantur cum hac definitiones sacramentorum sequentes, aspicienda est arbor actionum, non omnium quidem, earum tamen, quæ sunt voluntatis, & versantur circa res externas certo ritu. Instituuntur autem hæc vel a Deo vel ab hominibus. A Deo institutæ aut Ecclesiasticę aut Politicæ. Actiones Ecclesiasticæ respectu politicarum sacræ dicũtur, nõ respectu auctoris. Etsi enim Deus ordinauit in populo Iudaico, vt seruus qui libertate donari nollet ab hero abduceretur ad ostium siue postem & auris subula perforetur, itaque in perpetuum mancipareturr hero, tamen propter auctorem Deum, non dicitur hæc actio sacra, sed hanc appellationem obtinent eæ tantum, quæ sacris Ecclesiæ adhibẽtur, vt sic ad sacramẽta deflectat diuisio. Idem igitur est in definitione actio sacra, ac si diceretur Ecclesiastica.

A Deo institutæ actiones sacræ, aut certo fœderi annectuntur aut non certo fœderi annecti dicuntur, quæ vel veteri vel nouo testamẽto (de his n. sanctissimis fœderibus hic agitur) adducuntur, & durat vsq; ad finem sui testamenti omnibus sub eo fœdere comprehensis proponuntur. Hæc rursus aut ad

finem corporalem aut ad spiritualem desti-nantur. Quæ ad corporalem duntaxat finem ordinatæ sunt, haud reperientur inter sacra-menta, cum omnia corporalia, quæ Deus in-stituit possint esse vel symbola quædam vel saltem commonefacientia de spiritualibus & testantia de voluntate Dei cœlesti, adeo vt etiam actiones non sacræ quales sunt mandu-catio & bibitio corporalis, non careant omni-no vsu spirituali. Quæ vero ordinationi con-iuncta diuelli nequeunt, distinguenda ta-men sunt.

Et quemadmodum lumen maius obscu-rat minus: ita sacra magis spiritualia, quam reliqua spiritualia etiam potissimum appel-lantur & reliquis denominationem talem iure quodam præeminentię derogant. Quan-doquidem autem gradui summo κατ' ἐξοχὴν denominatio conuenit spirituales adhuc di-stinguamus, prioris tamen distinctionis hoc sit exemplum.

Num. 19. de immundo statuitur quod tac-tu carne & vestimentis immundus maneat ad vesperam, liceat tamen ipsi ingredi in castra, tabernaculi vero sine pollutione ingres-sus non cōcedatur, & p̄terea indigeat aquæ ex-piationis: Hæc igitur purificatio illa altera magis spiritualis dici potest. Huiusmodi vero spiritualium quædam additam habēt promis-sionem gratiæ in Christo, vt eam de singu-

lari voluntate & ordinatione Dei non ſignifi-
cent ſaltem, ...it de ea maneāt, ſed ipſam tanq̄
ordinaria media Dei per illa effica ite · ope-
rantis applicent & obſignent quædam h·i-
iuſmodi ordinatione carent. Illa propr e &
per excellentiam dicuntur ſacramenta & aſ-
ſumta, quæ ſunt ſpecieru m ſuis teſtamentis
aptarum & ſingularium, quæ ſunt indiuidu-
orum certæ ſpeciei con ficiet ductu huius in-
dicationis veram ſingulorum ſacramento-
rum definitionem. Iam etiam rectius intel-
ligeretur collectione in definiti one præſenti,
& quidem primum ſi generum & rerum ſpe-
cierum rationem ſpectas. In hac definitione
genus eſt actio ſacra a Deo inſtituta. Diffe-
rentia annexio ad foedus cum Abrahamo
initum.

Differentia inquam hæc eſt, quæ ſpeciē con-
ſtituat ex teſtamentorum diſtinctione de-
pendentem, vt nimirum ſacramentum vete-
ris Teſtamenti agnoſcatur in circumciſione,
cui ſi addideris promiſſionis gratiæ peculia-
rem illam coniunctionem, differentiam ſa-
cramentorum κατ' ἐξοχὴν dictoru m exhibebis
propria ſunt, quibus ad fines pr oprios ſacra-
menti illius teſtamenti agitur, ſed ſic adhuc
ſpecie definitio cenſetur, cuius ſingulare eſt
circumciſio.

Rectiſſime autem examinantur partes hu-
ius definitionis, tanquam cauſalis, effici-
ens, ordinans actionem, Deus eſt efficiens

ordinati pares agendo est Abraham, & quicunq; postea mandatum Dei exsequu circumcidendo. Subiectum patiens est masc familia Abrahæ tempore fœderis antiqui tus. Materia circa quam est præputium. For ma est amputatio preputii. Fines sunt, vt appli cetur & obsignetur fœdus. Quod dum fit, e fectus editur, & quia sic præter externa actionem interna coincidit, huius efficien proprie Deus est, efficiens vero instrumen talis externa illa sacra actio.

CONFIRMATIO.

Institutio ex cap. Genes. 17. vbi plerąq causæ recitantur. Quod autem sacramen κατ' ἐξοχὴν dicta, sui fœderis homines in vni uersum colligunt, ad quos pertinent, id hic loco exceptionem ingerit. Non enim com mune fuit hoc sacramentum maribus & fœ minis, sed maribus tantum ordinatum m net, hoc tamen, quod mandatum sanctio diuinæ omnes masculos sine exceptione c plectitur. Et fuit hæc sexus distinctio pe culiaris veteris testamenti teste Paulo Gal. Vbi de sublatis per Christum discriminibu prisci fœderis loquitur, non tamen fuer mulieres exclusæ a fœdere illo, quod cum to semine Abrahæ sub iugum legis mares & fœmellas obligantis misso pepigit Domin Nam & puerperis purificationis lex cond est, & holocaustum in oblationem pro pec cato diuinitus ordinatum pro infante fœme

in *Leuit.* 12. Sic Petrus 1. *Epistola* 3. informans animū & mores Christianarum mulierum, quas vna cum viris hæredes gratiæ appellat, vult ipsas esse filias Saræ, & intueri exempla veterum sanctarum mulierum, quas ait sperasse in Deum. Admittebantur etiam in familias Israelitarum peregrini, qui & ipsi circumcidebantur. Instrumentum certæ materię non ordinauit Deus, neq; constat, quod ex 4 *cap. Exodi* de acuta petra colligitur: Ibi enim tantum צר legitur, quod vel petram vel aciem significat, aut si fuerit תור significabit acutum vt subintelligatur Chereth, id est, gladius sicut *Iosue* 5. simul leguntur, vbi Dominus circumcisionem, in deserto intermissam denuo mandans inquit Iosuæ *fac tibi cultros acutos* (Gar Beth Surim) De proprio fine & vsu circumcisionis *Gen.* 17. dicitur, quod obstringat Abraham, & semen eius, ad seruādum pactum Iehouæ, quod submisit populum sub legem. Etsi n. lex post 400. annos primum lata est in monte Horeb vel Sinai, tamen circumcisioni obligationem eius fuisse implicitam Paulus testatur, *Gal.* 5. Vbi circumcisionē vocat seruitutis iugū & inqt: *Qui circūciditur debitor est totius legis seruandæ.* Item Rom. 2. *Circumcisio quidem prodest, si legem seruaueris.* Rom. 2. Cogi ad circumcisionē Apostolus ait esse redigi ad seruitutem contra libertatem, quam habemus in Iesu Christo. Et licet *Deu.* 5. dicat Iehoua Deus noster pepegit nobiscum pactū

in Horeb, non cum patribus noſtris pepigit Iehoua pactum iſtud, ſed nobiſcum, qui ſumus hic & hodie vniuerſi viuimus, niſi tamen Elliptica ſit oratio, & ſubintelligenda excluſiua tantum, illa ipſa pacti per legis latorem ſolennem ſanctio non impedit, quominus idem antea obſcurius & ſub figura factum ſit, ſicut Paulus *Gal.* 4. Agar ancillam generantem ad ſeruitutem docet fuiſſe typum veteris teſtamenti. Ergo & hoc generauit ad ſeruitutem. Et huc facit diſtinctio populi veteris & noui teſtamenti, quam Iacob Patriarcha aſinæ & pulli aſinæ imagine proponit Ge. 49. id eſt, 200. annis prius, quam lex promulgaretur. Quod duplex fuerit circũciſio, carnalis nimirum, externa & ſpiritualis interna, Moyſes etiam docuit De. 12. Cum enim pactum Dei ſic explicaſſet: Nunc ergo Iſrael quid Iehoua Deus tuus petit a te, niſi vt timeas Iehouam Deum tuum vt ambules in omnibus viis eius & diligas eum colaſque Iehouam in toto corde tuo: circumcidite igitur præputium cordis veſtri & ceruicem veſtram ne induretis amplius. Hic diſerte dicitur quod circumciſioni cum pacto Dei legali conueniat in regeneratione & cõuerſione populi. Vt vero externam homo, ita internam ſp. Dei præſtitit, vt inquit Paulus *Rom.* 2. Non qui eſt in propatulo Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu nõ litera, cuius laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo. Hæc po-

potissima circumcisio dicitur sine manibus facta, *Col.* 2. Cui opponitur circumcisio in carne, quæ manibus fit ad *Eph.* 2. & *Phil.* 3. describitur, quod sit eorum, qui spiritu seruiant Domino & gloriantur in Christo Iesu nec cõfidunt in carne. Contra Leuit. 26. mens incircumcisa dicitur cor impœnitens: vere autem pœnitentiæ pars est fides in Christum qua sola homines iustificantur, hanc simul obsignauit circumcisio. Lex enim pædagogus fuit in Christum & sub se conclusos, custodiuit in fidem reuelandam Gal. 3. Fuitq; circumcisio Abrahæ sigillum iustitiæ fidei *Ro.* 4. Sic *Zach.* 9. Christus fidelibus demõstratur: Ecce rex tuus &c. Et quamquã hæc longe post sint facta historice, ante tamen Christus populi veteris testamenti præses custos & dux fuit teste Paulo 1. *Cor.* 10. Et sic insedit asinæ, donec in carnem veniens nostram visibiliter asinæ inequitans ingressus est Hierosolymam ad testificandum quod veteri populo dudum promissus tum vero exhibitus fuerit.

DE AGNI SEGREGATI, QVI Paschalis dicitur mactatione, assatione & comestione.

Hæc actio sacra est a Deo instituta addita ꝓmissioni & veteris testamenti populo, cum adhuc in Ægypto ageret, vt tum & posthac quotannis celebraretur, præcepta hoc ritu, vt 10. die primi mensis singulæ domus, vel si vna domus ad consumtionem vnius agni non sufficeret, proximæ coniunctęq consumerent

agnum perfectum masculum anniculum ex ouibus vel capris, qui custodiretur ad diem 14. eiusdem mensis, quo die ad vesperam seu inter duas vesperas mactari fasciculus hyssopi in sanguine eius vase excepto intingi, eoq; ambo postes & superliminare domus, in qua agnus comedendus esset, aspergi, nocte vero ipsa, qui in domo erant & circumcisi, accincti lumbis, calceati, & baculum manu tenentes adhibitis panibus azymis cum lactucis seu amaroribus festinanter comedere debebant nō crudum aut elixatum aqua sed igni assum, caput eius cum cruribus & interioribus, non relinquentes ex eo quicquā vsque mane, vel relictum non tamē extra domum elatum cōburentes & os illius nullum confringentes, quæ tota actio primum fuit pignus illo ipso futuræ eductionis Israel ex Ægypto, & postea in memoriam tanti accepti beneficii celebrandam præcipiebatur, simulque erat symbolum promissæ liberationis a seruitute spirituali per eundem ducem bellatorem & victorem instar agni mactandum, qui populum Israel ex captiuitate Pharaonis extraxerat, cuius promissionis veritas credētū esu agni paschalis applicabatur & obsignabatur.

Confirmatio.

Descriptio hæc exstat cap. 12. Exo. cui addatur ca. 9. Num. & 16. Deu. 2. vbi quęstiones adhuc ex-

explicantur nim. de immũdo ſuper anima ſeu cadauere nõ excludẽdo a celebratione paſchatis. Et de loco Deu. 16. *non poteris ſacrificare paſcha in aliqua e portis tuis, quas Iehoua tuus dat tibi: ſed in loco què elegerit Deus tuus vt habitare faciat nomen ſuũ ibi.* Ideo Ioſias 4. Re. 27. hãc ſolennitatẽ inſtaurans Hieroſolymis celebrauit eã. Quod dixi hanc actionẽ V. T. ſupra theſi 2. de diſtinctione ſacramentorũ. Quod vero de ſymbolo Meſſiæ additum eſt, illud indiget explicatione & confirmatione. In veteri teſtamẽto cum vmbræ fuerint propoſitę, etiã obſcuritas manſit (lex n. vmbram obtinuit futurorum non expreſſam formam *Heb.* 10.) quã illuſtrat lumen noui teſtamenti. Iohannes ergo Baptiſ. digito monſtrans Chriſtum & inquiẽs: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi.* Iohan. 1. explicationem hanc affert agnum paſchalẽ, demonſtraſſe Chriſtum pro peccatis mundi mactandum. Ioh. 19. expreſſe ſcribitur de Chriſto, cui mortuo milites crura non fregerãt, hoc factum eſſe, vt impleretur ſcriptura: *os non confringetis ei*: Non autẽ hoc in veteri teſtamẽto legitur, niſi de agno paſchali Exo. 12. & Num, 9. Paulus vero adhuc diſertius loquitur 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus.* Et Apoſtolus quidẽ vtẽs verbo ἐτύθη reſpexit ad verbum שחט quod eſt mactare, immolare Act. 12. vel quod Deu. 16. præcipit, ſacrificari Paſcha, vbi eſt *SAVAH* quod potiſſimum de ſacrificiis vſurpatur זבח volunt

proprie ſacrificare, trahere, ſeu vt quidam volunt expandere. Trahuntur & expanduntur animalia dum mactantur, idq; ad expanſionem Chriſti in cruce optime conuenit. Ex poſt: Paralip. 30. Obſeruari poteſt mactationem tanquam primariam ſacrificii partem habitam, a qua per excellentiam labor ſacrificandi commendatus ſit. Leuitæ, inquit Moyſes, erant ſuper mactatione, ſeu immolatione victimarũ Peſach. Paulus ergo veteris teſtamenti neruo ſuam interpretationem muniri voluit. Quandoquidem etiam Apoſtolus ſic ibidem ſcribit: *Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis infermentati*, id eſt, purgati ſanguine Chriſti. *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur non in fermento veteri nec in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Ex his ergo monemur de ſymbolica explicatione ritus illius, & quidem ad fermenti ſignificationem præcipue attendit Apoſtolus. Eſt autem fermentari Metaph. corrumpi ſinceritatem & tam de peccato hominis, quam de paratione doctrinæ accipitur. Oſeæ 7. de peccato vſurpatur, vbi accuſatur populus adulterii ſpiritualis in Deũ commiſſi. Sic Chriſtus iubet cauere a fermẽto Phariſæorum *Matth*. 16. Quod cum intelligerent diſcipuli de panibus, negat Chriſtus ita accipiendum & ſubiicit Euangeliſta: *Tum intellexerunt eũ non dixiſſe, vt cauerent a fermẽto panis, ſed a doctrina Phariſæorũ & Saducæorũ.*

Quod

Quod ergo Exod.12. comeſtione agni cum pane infermentato dicitur, hoc Paulus interpretatur de purgatione noſtri a peccatis. Quæ res cum ſpiritualis ſit, conuincit actionem illá non contentam fuiſſe in ſignificatione externarum circumſtantiarũ hiſtoriæ iſtius populi, ſed aliquid diuinius repræſentaſſe. Aſperſio ſanguinis faſciculo Hyſſopo intincto peragenda auctoritate veteris teſtamenti purgationé confirmat, cum ritus iſte Numeri 19. & Exo. 24. ad expiandum inſtitutus fuerit grauiter. cumque purgatio Typica repetita fuerit, vnde Epiſtola ad Heb. colligit: ſacrificiis illis temporalibus ſubinde afferendis & multiplicandis non eſſe ſatisfactionem præſtitam, niſi ad vnum quoddam non repetẽdum tranſeatur, quod eſt ſacrificium Chriſti, per cuius corporis oblationem ſemel factam ſanctificati ſumus. Lex de agno quotannis mactando monuit venturum tempus, quo æterna victima per temporales adumbrata cedenda & vnica oblatione abſoluenda ſit. Quodque hic intellectus non defuerit ſanctis eius populi grauiſſime teſtatur Dauid Pſal. 51. Cum enim precatus eſſet, vt a peccato lauaretur & mundaretur promiſſionis & obſignationis veteris intuitu fidem ſuam confirmat inquiens: *aſperge me hyſſopo & mundabor, laua me & præ niue de albabor*: niuis ὅμοιον cum lotioni, quæ ſanguine fit, non reſpondeat, minime corporalem, maxime vero præſtantiorem, &

quidem collatione ad corporalem affectu nouo admirandam indicat, imo tum, cũ nos fœdatos ſanguine intuemur, hoc eſt, peccata noſtra agnoſcimus rubẽtia, ſeu ſanguine Chriſti atrociora oſtenſa, eodem ſanguine nos purgari mirifice, vt cum Eſaia dicere poſſimus, *ſi fuerint peccata noſtra, vt coccynum* cap. 1. Conſtat igitur agnũ eſſe typum Chriſti & circumſtantias huius ſacrificii paſchalis ad doctrinam de Chriſto ſpiritualiter accõmodandas eſſe. Agnus itaq; eligendus ex grege ouiũ perfectus, ſeu abſq; macula noſtri cũ Chriſto comparationẽ ꝓbet, quæ optime ex 53. Eſaiæ declarari poteſt, cum n. deſcriptio illa prophetica tam exacte ad paſſionem Chriſti congruat, vt Euãgelica pene hiſtoria videatur de Chriſto, explicatio minus dubia erit, qui dicitur agnus ductus ad mactationẽ, *qui non aperuerit os ſuum*, quo pertinet quod Act. 8. legimus, locum illũ Prophetæ per Philippũ Apoſtolũ declaratum eſſe Eunucho Æthiopi de Ieſu, eoq; auditorẽ conuerſum ad Chriſtũ baptiſatũ. Idem Eſaias ſic explicat, quod agnus immaculatus ſelegi iubetur, iniquitatem non fecit, nec dolus fuit inuentus in ore eius, quod Petrus de Chriſto allegat 1. Ep. 2. ca. de nobis vero omnib. inquit Eſaias, *oẽs nos veluti oues errauimus vnuſquiſq; in viam ſuam declinauit*, idq; de iniquitate interpretatur. Chriſtus igitur agnus ex noſtro cœtu ſumtus docetur homo nobis conſubſtãtialis: ſic tamẽ vt nos omnẽs errantes oues ſeu homines

homines peccatores arguamur, ille solus agnus immaculatus & peccati proprii expers pdicietur. Debuit n. per omnia fratrib. suis similis fieri *Heb.* 2. Et tentari in omnibus similiter sed absq; peccato *Heb.* 4. Sustulit in se tñ peccata nostra *Io.* 1. proiiciente in illum illa Iehoua *Esa.* 153. Quod 1. Io. 3. sic exponitur. *scitis illũ patefactum esse, vt peccata nostra tolleret.* Est autem immolatio huius agni passio & mors Iesu Christi, quæ figurata sacrificio Abelis, *Gen.* 4. Et postea tum sacrificio Pesach, tum aliis inculcata est fidelib. Quomodo agnus ille occisus dr̃ ab origine mundi *Apoc.* 13. de huius agni sanguine in vase excipiendo, dum præcipitur, docemur, quod ille non sit ex rebus corruptibilibus, sed pretiosus sanguis. Est n. hic sanguis λύτρον & pretium nostræ redemtionis Eph. 1. τιμὴ seu pretiũ magnum 1. *Cor.* 6. Quod enim vulgata versio habet ptium magnum, arguit vetera exemplaria Græca appellasse μεγάλην τιμὴν. Itaq; legisse Nazianzenum testatur oratio ipsius prima de filio; sed quęrẽdũ pietati cur τίμιον αἷμα *pretiosus sanguis* dicatur? Sanguis sane agni pretium sibi per se vile vendicat, quãdoquidem autem est symbolum sanguinis redẽtoris, propter hunc ille in honore & pretio habetur. Et manifestum est saluatoris sanguinem, præsertim, quod ad redemtionis λύτρον esse magni pendendum. Nondum tamen patet, vnde illi sit pretiositas tanta. Iohan. ergo inquit, sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat

nos ab omni peccato. Cum ſanguinem Ieſu Chriſti appellat, ſaluatoris λύτρον innuit; cum vocat ſanguinem Chriſti vnctione diuina iſti ſanguini collatum docet, vnde tanti fiat. Vt autem vnctionem ſummi gradus oſtenderet, nuncupat ſanguinem Filii Dei, hoc eſt, ſanguis ille Filii Dei proprius in vnione perſonali cõmunicat virtuti diuinæ tam propinquo & arcto κοινωνίας genere, vt propius & arctius nullum ſit aliud. Hanc inſignem doctrinam, ſubinde inculcat nouum teſtamẽtum, in quo ſanguis Chriſti & Dei proprius appellatur. Verum vbi huius doctrinæ typus egregius exſtet in veteri teſtamento inquirendum adhuc. Patres autem orthodoxi delectati ſunt loco Leuit. 14. Vbi de ritu mundandi leproſum ſic ſcribitur, *Sacerdos tollet ei, qui mundatur duos paſſeres viuos mundos & lignum cedrinum, & coccum vermiculi & hyſſopum, præcipietq́; ſacerdos, vt mactet paſſerem viuũ.* &c. Ibi inquit Theodoretus Dial. 3. *Videmus diuinitatis & humanitatis Chriſti typum, altera quidem mactata aue, altera vero accommodante & appropriante ſibi paſsionem.* Similiter Cyrillus ita exponit Epiſtola 38. *Illa ergo intinctio diuinitatis in ſanguinem moriẽtis Chriſti ſecundum humanitatem, & propter vnionem, tum quoq́; conſtantem, pretium tantum conciliauit huic ſanguini, qui figurabatur ſanguine agni, cuius aſperſione purificatio per ſanguinem Chriſti promittebatur.* Vere enim omnia ſecundum legem ſanguine

purificantur, & absq; sanguinis effusione non fit remissio. *Ebr.9.* vbi de ritu Exod. 24. agitur, quo populus & alia multa sanguine aspergebantur, qui effectus azymorum esu indicebatur, sicut Paulus ait, *nō in Christo reddi infermētatos.* 1. Cor. 5. hoc est, sanguine Iesu Christi Filii Dei emūdati ab omnib. peccatis, quæ doctrinæ accumulate habētur. 1. *Pet.* 1. vbi, inquit, Apostolus: *vt qui sciatis vos nō caducis reb. argēto vel auro fuisse redētos a vana conuersatione vestra.* Vsus ad certissimū effectū credenti, & obsignatio ad πληροφορίαν fidei supra exemplo Dauidis patuere. Quod a. postes & superliminaria ianuæ aspergebantur, indicat vsum sanguinis Christi ad colligendam & saluandam Ecclesiā, quam Deus proprio suo sanguine acquisiuit, *Act.* 20. Quæ est domus Dei. 1. *Tim.* 3. & ouile Christi, cuius ipse est ostiū ad salutarē ingressum & egressum ouium. *Ioh.* 10. qui ostium aspersum sanguine, hoc est, Christus nobis in sanguine suo pretioso illo λύτρῳ nostræ redētionis aspiciendus est, primo statim ingressu in Ecclesiam vsq; ad egressum illum, qui erit mortis & Ecclesiæ ex hac vita transferendæ in alteram, vbi salus ingredienti parata etiam est in hoc sanguine.

Quod agnum igni assari oportebat, denotat iram Dei, ignem videlicet vehementē, quo assari Christus debebat, neque vero mediante aqua vim ignis sentire, vt fit in elixatione, sed nullo alio intercedente ipse immediate i-

gnem indignationis diuinæ excipere debuit, nec tñ ad consumtionem, sed ad assationem, vt ad nutriendũ nos caro eius vsui esset. Ideo enim prodest caro Christi ad alimentum spirituale, quæ data sit pro mundi vita *Io.6.* Vtq; hæc ratio cognosceretur, qua nimirum caro agni Dei tollentis peccata mundi ad cibũ idonea reddita sit in passionis igne, ideo Christus in sacramento suæ cœnæ inquit, *Accipite & comedite hoc est corpus meũ quod pro vobis traditur.* Comederunt autẽ agnũ assum nocte qua transiuit angelus vastator, hoc est, impiorum miseria non tangit populum Dei, sed transiit neq; hoc tantũ priuatiuo bono gaudet, sed dum mors foris, id est, extra Ecclesiam depascit impios, pii intus & in Ecclesia epulantur, fruẽtes Christo, vt cibo gratissimo, quæ de fide & hanc comitantẽ pace conscientiæ, nutricula piorum, dum fame spirituali perierũt impii, dulcissimam doctrinam præbent. De coniunctione autem priuatorum & positiuorum bonorũ, hoc est, q̄ Deus nõ p̄tereat solum, ne perdat, sed ẽt adsit vt saluet, egregius locus est, Esa.31. vbi etiã verbũ *Pesach* legitur, *sicut aues volantes, sic n. celerrimè protegit Iehoua exercitum Israelẽ protegendo & liberando transiliendo & saluando.* Adduntur tamen Merorim seu Amarores, πικρίδας septuaginta appellarunt. Est autem πικρὶς herba ab amaritudine sic dicta, placetque eruditis intybum seu cichorium intelligere. Nam inter τὰ κιχώρια ἴδια

Theo-

Theophilactus πικρίδα censet, cuius folia siue radices in acetariis vsurpantur, ideo Lutherus reddidit bitter Salsen Hieronymus habet, cum lactucis agrestibus. Sic Dioscorides τὴν ἀγρίαν πικρίδα, lactucam syluestrem, dicit esse amaram gustu. Explicatur autem huius hoc loco vsus de cruce, sicut *Thren.* 3. afflicta Ecclesia inquit: *Impleuit seu saturauit me Bamerorim seu amaritudinibus*. Et Iobi 9. *Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me mammerorim, amaritudinibus*. Intelligenda est ergo saluatio transilientis cum exceptione crucis. Idque Paulus sanctæ prædestinationi Dei tribuit, hoc est, consilio Dei salutem nostram prædestinanti & curanti, cum inquit ad Rom. 8. *Quos præsciuit, hos etiam prædestinauit*. Et 2. Cor. 2. *Fidus est hic sermo, nam si cum eo mortui sumus, cum eo etiam viuemus, si sustinemus, etiam regnabimus*, atq; sic mortificatio spiritualis carnis nostræ seu veteris hominis, de qua ad Rom. 10. docemur. Quod de cinctura lumborum, calceamentis pedum, & baculo manus præcipitur, peregrinantium habitū proponit, vt licet Israelitæ in ædibus suis, quæ sunt imago Ecclesiæ, epulentur cum amaroribus crucis pignore mixtum: tamen hanc rationē esse tantum peregrinatis in terra Ecclesiæ, quę purior & solidior erit in cœlo. Festinanter iubentur comedere, ne quis cunctetur Christū recipere cum sua cruce. Imminet enim egressionis seu mortis hora, & quouis tempore cer-

to exſpectanda eſt, licet momentum eius lateat: nec vero niſi agno, id eſt, Chriſto veſcenti ſalus ſperanda. Hodie ſi ergo vocem eius audieritis, nolite obturare aures veſtras, *Pſalm. 95.* Reſtat ſubſequens Iſraelitarum ex Ægypto eductio, cuius memoriæ Paſchatis celebratio poſt conſecranda erat, quia non ſolum ipſa eductio beneficium erat iſtius temporis, ſed ſymbolum & pignus redemtionis æternæ ex ſeruitute ſpirituali, qua peccatores Satanæ obſtricti ſunt. Non enim ſuffeciſſe Iudæis libertatem, in quam poſt eductionem ex Ægypto corporaliter aſſerti, teſtatur Chriſtus, *Ioannis* 8. inquiens: *Si filius vos liberauerit, vere eritis liberi.* Huc pertinet prophetia, *Oſeæ* 11. Iehoua dicente, *Ex Ægypto vocaui filium meum*, quam *Matth. 2. cap.* de Chriſto ab exilio Ægyptio reduce interpretatur, vt teſtetur obſcuriora in veteri teſtamento, quæque de externis beneficiis Dei promte moneant, altiore indagine agnoſci myſteria, deducentia ad agnitionem Chriſti, vtque Deus filium ſuum exilio ſubiecit propter nos, & reduxit, vt idem ſuo exilio nos ſpirituales exſules in patriam cœleſtem ductaret: ita exſilium voluit eum pati in Ægypto, vt imago eductionis & liberationis æternæ in Ægypto propoſita renouaretur & illuſtraretur, certumque eſſet, Chriſtum in Ægypto repræſentatum non fuiſſe ſomnium, neque liberationem ſpiritualem tum defuiſſe Iſraeli, cum ex

ex Ægypto transierit, vt filius Dei per vnigenitum æternum adoptatus, vnde applicationis Christi in esu agni Paschalis & obsignationis fidei argumenta colligi possunt.

DE SACRAMENTIS NOVI TEstamenti Locus XXV.

I. THESIS.

Duo tantum sunt sacramenta, Baptismus & Cœna Domini.

EXPLICATIO.

QVomodo vocabulum sacramenti hic accipiatur, nimirum κατ' ἐξοχὴν, monuimus supra prima Thesi de distinctione sacramentorum, quam significationem & excellentiam hic notari oportet, ne latius accepta appellatione veniant sacramenta, etiam plura, quam pontificii numerent.

CONFIRMATIO.

De numero binario veteres vsitate allegarunt ex historia passionis Christi, quod aqua & sanguis profluxerint ex latere crucifixi Christi, qua de re Augustinus in 19. caput Ioannis: *Aperuit latus, vt illic quodammodo ostium vitæ panderetur*, vnde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, quo referunt aliqui, quod in Canone Ioan. cap. 5. dicitur: *Hic Iesus Christus filius Dei est ille, qui venit per aquam*

& sanginem: abundantior autem probatio & certior sic institui potest: vt cum baptismus & cœna Domini omnium consensu vera sint sacramenta, quæ κατ' ἐξοχὴν ita appellata, dicimus, obseruentur in iis propria & adiacentia communia, eademque in cæteris quærantur. I. Baptismus & cœna Domini actiones sunt à Deo institutæ & mandatæ, *Ioh.* 1. *Matth.* 28. *Marc.* 16. *Matth.* 26. 1. *Cor.* 11. II. Versantur circa elementa visibilia, baptismus circa aquam, cœna Domini circa panem & vinum. III. Actiones certis ritibus externis de mandato Dei peragendæ, & elementa applicanda atque vsurpanda sunt hominibus. Aqua enim baptismi certa verborum concepta forma & exhibita tingendus est homo, panis & vinum benedicenda, distribuenda, & sumenda, hoc est, manducanda & bibenda sunt hominibus. IV. Addita est promissio gratiæ, cuius applicandæ ordinaria media, confirmandaque sigilla sunt actiones istæ. Adde hic, quod de noui testamenti ratione asseruimus supra Thesi 2. de distinctione sacramentorũ, quodq; vnius testamenti sacramenta non sint permutanda cum alterius sacramentis, quoniam testamentorum duratio in hoc mundo terminũ posuit vsui sacramentorum, nec potest tertium aliquod in nouo testamento demonstrari, quod iisdem propriis omnibus tam plene constet, ne dum plura. Quandoquidem autem Pontificii septem connumerant de singulis, quæ duobus

duobus istis aggregantur, nunc videbimus. Nosse enim oportet, quanta cum grauitate vanitas terriculamenti papalis videatur, cum in concilio Tridentino sessione 7. Canon. 1. sic decretum sit: *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut vel plura vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, εὐχαριστίαν, pœnitentiam, extremam vnctionem, ordinem & matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie sacramentum, anathema sit.*

II. THESIS.

Confirmatio non est vere & proprie sacramentum.

EXPLICATIO.

Requisita confirmationis pontificiæ in tribus constituuntur: I. In materia. II. In forma. III. In ministro. Materia faciunt χρίσμα, quod fit commixtione oliuæ & balsami, & certo anni die, nimirum feria quinta post Palmarum, multis superstitiosis ritibus consecratur ab Episcopo. Formam appellant concepta verba, quibus Episcopus vti debeat in confirmatione, & sunt hæc: *Consigno te signo crucis, & cõfirmo te χρίσματι salutis, in nomine patris, filii, & spiritus sancti.* Hæc auté verba recitat Episcopus cum χρίσματι pollice (*nec enim alio digito hic vti potest, cum pollex singulariter ad hoc sit consecratus*) inungit fronti confir-

mandi prius ſalutati his verbis: *In nomine patris, filii, & Spiritus ſancti, pax tibi:* ita tamen vngit, vt illinendo crucem formet. Additur & alapa, vt videl. repræſentetur manuum impoſitio Apoſtolica, qua confirmationem huius generis aiunt ab ipſis peractam. Circumligatur poſtea linteũ album, ne defluat & deleatur vnctio, de miniſtro hic ſingulariter præcipitur, vt ſolus Epiſcopus confirmationem adminiſtret, additur ratio, vt Apoſtolorũ exemplum, forma & traditio retineatur. Horum enim tempore non ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis aiunt eſſe peractum hoc ſacramentum.

PROBATIO NEGATIVÆ, QVOD hæc confirmatio non ſit vere & proprie ſacramentum.

Poſtulentur requiſita verorum ſacramentorum, nec poterunt docere Pontificii mandatum Dei de tali actione, euoluantur ſacræ paginæ, nihilque de ea occurret exquiſitoo. Nullibi enim a Deo præcipitur oleæ & balſami commixtio, vt per conſecrationem inde conficiatur χρίσμα, nullibi in ſacris literis legitur, frontem tali chriſmate vngendam eſſe, & qui hoc mandaretur, cum χρίσμα non detur? nullibi de pollice Epiſcopi conſecrato certæq; ſacræ actioni dicato mentio fit in nouo teſtamento, nullibi exſtat forma verbori confirmanti vſurpanda, nullibi iubemur alapam impingere alicui religionis & beneficii ergo, nihil ergo minus agnoſcitur, quam ſacramen-

cramentum, & quidem verum. Quod si enim laborauerint Pontificii, vt aliquid ex sacris literis promant, quo affirmatum suũ probent, tamen magis prodent suam vanitatem. Etsi enim de oleo vnctionis, sanctitatis, & in vnctionibus eius præcepit Dominus Aaroni, *Exod.* 30. Et de pollice Aaronis & filiorũ ipsius tam in manu, quam in pede dextro, tingendo sanguine victimæ, *Exod.* 29. nihil tamen hæc facient ad institutionem veri sacramẽti in nouo testamento. Et præterea in multis nõ conueniunt illa vanitatibus Pontificiis, siue materiã & confectionẽ χρίσματος, ad ingredientia & cõfectionẽ olei Aaronis siue vsum chrismatis & pollicis ad verba Moysis excusseris. *Præterea* habent hæ imitationes veteris & noui testamenti, & sic permutationem vmbræ atque corporis, seu vmbrarum pro corpore substitutionem, & sumit sibi Papa ius sanciendi sacramenta, quod soli semper Deo competiit. Quod enim hoc sacramentum ab Apostolis vsurpatũ esse aiunt, cum illi impositione manuum miracula fecerunt, & dona spiritus contulerunt, in eo collatio potissime turpissimam istorum hominum confusionem gignit. Quid enim simile habet hæc actio histrionica cum ritu manuũ impositionis Apostolico? Et cui persuaderunt, imponere alicui manum, & manu alicui alapam infligere, esse eadem? Dicerem potius, Diabolum hic lusisse in organis suis, vt risui eos exponeret, cum ritum

imponendi manum conuertit in alapæ impactionem. De ministro Episcopo, quæ narrant, nullo verbulo sacræ scripturæ nituntur, & nugamentum hinc fœdius apparet, quod ne quidem in veris sacramentis baptismo nimirū & cœna Domini administrandis, talis sit electio ministrorum.

Quod Canisius hoc inde extorquet, quia Apostoli manus imposuerunt auditoribus & discipulis, id impertinens est, cum nihil habeat commune impositio manuum Apostolica cū alapa Pontificia, neq; scriptura tradat, Episcopum esse successorem Apostolorum, & præferendum aliis ministris Euangelii, imo veritatem historiæ non seruat, quod de solis Apostolis fingitur. Rationale etiam officiorum diuinorum indicat, fuisse quosdam, qui dudum has nugas refutarint, quos vocat Arnoldistas, refertque has instantias, Act. 9. cap. legi: *Fuisse Damasci discipulum Ananiam, qui iussu Dei ad Saulum in domum Iudæ contenderit, eiq; manuum impositione visum restituerit.* Item, Act. 13. *Simeo, qui vocabatur Niger, & Lucius Sirenius, & Manahem imponunt manus Paulo & Barnabæ iussu Dei, segregandis ad opus Apostolicum.* Et hæc quidem obiecta recitātur ibi ut hæretica, non autem refelluntur. Vsus deniq; expendatur, quem huic sacramento tribuunt auctores & defensores, cum substantia huius fictitii sacramenti non possit e sacris Bibliis erui. Fructus etiam ipsius nullus inde demonstrabi-

ſtrabitur, ſed potius conſtabit ſententia Chriſti, ſic dicentis Matth. 15. *Omnis plantatio quã non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Allegant autem Pontificii quendam Milchiadem Papam, cuius fuerit hæc doctrina: *In baptiſmo regeneramur ad vitam: poſt baptiſmum autem in ſacramento confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, hoc vero poſt baptiſmum roboramur, vt regeneratis cuſtos, & conſolator, & tutor adſit ſpiritus ſanctus.* Doctrina ipſa per ſe vera eſt, regeneratos enim corroborat poſtmodum Dominus, idque verbi & ſacramentorum vſu præſtat, & in veteri Eccleſiæ impoſitione manuum ſpiritus dona conferebantur, ſed quod huius confirmationis ordinariũ medium ſit hiſtrionicus ille & ſcurrilis lupus pontificius, qui nulla ſui parte probari poteſt a Deo inſtitutus, illud quæritur, & hactenus probatum non eſt. Eſtq; exſecramentum potius, quam ſacramentum nugaciſſimis & ridiculis ludionum inuentis gratiæ Dei ſpiritualia dona alligare. Horrenda profecto vox eſt, quod rationale diuinorum officiorum inquit: *Vnctione chriſmatis quaſi ſanguine Chriſti ſignum crucis imprimi fronti, ne Diabolus in domibus animarum noſtrarum habeat poteſtatem, idque præfiguratum eſſe, ſanguine agni aſperſo poſtibus, & ſuperliminari ianuarum domuum Iſraelitarum in Ægypto.* Sic partim ridiculum, partim ineptũ eſt, quod idem rationale de percuſſione inquit: *Impingi alapam ad terrendum ma-*

lignum spiritum, vt fugiat, & ne redire audeat. Ibiq; allegatur fabula de Benedicto, qui per alapam liberarit monachum a maligno spiritu diuexatum. Summa negationis consistit in partibus. I. Elementa confirmationis a Christo non fuisse nominata, nedum ordinata. II. Ritum & formam verborũ ab eodem demandata. III. Promissionẽ gratiæ, nihil hinc manere cõfirmationis, sed destrui eam, vt quæ cũ incantamentis & meritis humanis, dignitateque Episcoporũ conferentium iungi & constare nequeat: Quod ergo nihil Christianũ habet, & quidẽ in partibus constituentibus, tale quid ꝓbare nequit, Christoq; insuper aduersatur, istud nemo Christianum sacramentũ reputabit, nisi Satanas & Satanæ socii. Quæ vero de confirmationis cuiusdã ritu per impositionem manuũ in Apostolicis actis leguntur, ea longe sunt dissimilia ab his pontificiis commentis, cũ quibus etiã non conuenit impositio manuũ, q̃ post tempora Apostolorũ in primitiua Ecclesia adhibebatur baptizato, & inter preces fiebat aliquãdiu cũ miraculo. Quod donũ cum cessarit Domino ipso sic volẽte, testatur illo fine suo, ꝙ Deus per illũ ritum non ordinarit sacramentũ noui fœderis, cum tale sacramentum ad omnes eius testamenti ciues pertineat, & tamdiu durare debeat, donec finiatur hæc vita. Testamentũ enim nouum in Ecclesia terrena cũ extremo die finietur, quæ etiam ad illũ ritum veterem instituitur in nostris

ſtris Eccleſiis actio, cum catechumeni primū admittendi ad ſacram cœnam examine catechetico probantur, & precibus publicis Deo commēdantur, ea ceremonia pro ſacramento non habetur, neq; quicquam habet abominationis Pontificię.

III. THESIS.

Pœnitentia non eſt ſacramentum, vt Pontificii contendunt.

EXPLICATIO.

VT intelligatur, non eſſe λογομαχίαν, & de vocabulis diſceptationē, notet, quale ſacramentū hic conficiant Pontificii. Materiam huius ſacramenti faciūt actus in homine lapſo. 1. Contritionem cordis. 2. Confeſſionē oris. 3. Satisfactionem operis. Ad quos actus probe tamen, & ad modum præſcriptæ perfectionis præſtitos, ſi accedat abſolutio ſacerdotalis, ſacramentū conſtare fingunt. Abſolutio enim iſta reconciliationē cum Deo peragi docent, ſi quibus modis Deū offenderimus, offendimus autē corde, ore, atq; opere, iiſdē recōciliemur Deo, corde quidē per contritionē, ore per cōfeſſionem, ac opere per ſatisfactionē, quemadmodū Caniſius in ſuo Catechiſmo blaſpheme loquitur, in quibus inſuper operibus exigatur ſufficientia, atque hoc ſacramentū fuiſſe negant in veteri teſtamento, neq; in nouo ante reſurrectionem Domini, eiusq; inſtitutionē his verbis Chriſti tribuunt, Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Ioh. 20. *Accipite ſpiritum ſanctum, &c.*

Confirmatio negatiua.

Vt ab institutione exordiamur, profitemur, Christũ per allegata verba ministerium Apostolicum ordinasse, per quod tanquam medium ordinarium efficax esse velit in Ecclesia, in qua prædicari voluit in suo nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum, apud omnes gentes incipiendo ab Hierosolymis, Luc. 24. Et baptizari etiam omnes gentes, & obseruari omnia, quæ præcepit, *Matth.* 28. Itaq; verbi & sacramentorum thesaurum in ministerio Euangelico deposuit. Absolutionem itaque in ministerio Euangelii ordinatam esse asserimus, eamq; pœnitentibus, non impœnitentibus, annuntiandam esse, extra controuersiam apud nos est. Deum quoque credi velle voci ministri, loco, nomine, & parte Dei absoluentis pœnitentem, diserte docent verba Christi. De his ergo non disceptatur a nobis, cum quoquam affirmante. Verum hoc quæritur, num actus pœnitentis, qui consistat formaliter in contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis, vox item atque ritus sacerdotis absoluentis, cõstituant tale sacramentum, vt istis actibus & ceremoniis peccator reconcilietur Deo? De talibus sacramenti partibus non disponunt verba Christi, neq; verorum sacramentorum natura fert, vt promissio gratię destruatur, cum ordinata sint sacramenta, vt sint sigilla fidei, quæ apprehendit promissionem gratuitæ misericordiæ in Chri-

Christo. Negamus ergo institutioni inesse actus & ritus, quod pontificii necessario in hoc sacramento requirunt. Ac licet contritionem & confessionem, vtramq; vero cordis, præcipue in vera pœnitentia necessariam esse sciamus, neutram tamen in verbo Christi talem præcipi, qualem pontificii efflagitant, suo loco docebimus, neq; satisfactionem inter partes, quæ veritatem pœnitentiæ constituant, connumeramus. Ea vero, quæ offensis pro virili satisfacit, vt fructum veræ pœnitentiæ habentes, satisfactioni Christi pro peccatis nostris sufficientissime præstitæ nõ astruimus. Inprimis vero in vera pœnitentia fidem in Christum requiri certum est, quam pontificii omittunt, ac si addere vellent, nõ possunt, dum operibus asscribunt, quod est gratiæ. Fides autem mera gratia nititur, itaque nullis operibus pœnitentis. Nisi igitur hic præbeant pontificii certa elementa a Christo denominata, certis sacris ritibus eiusdem expressa voce illigata ordinataque, vt ad hoc pœnitenti applicentur, quo promissionẽ gratiæ in Christo vsurpanti deferant, & credenti obsignent, frustra veri sacramenti appellationem pœnitentiæ suæ indent, potiusq; exsecrabilia reddent omnia sacramenta Christiana, quam vt sacramentorum titulis ornent, dum in fidei perditionem dirigunt sua argumenta. Atque sic responsio redit ad summã prioris, quæ fuit de confirmatione. Obstant & hæc pontificiis,

quod absolutio verbis Christi ordinata nõ sit noui tantum testamenti, sed etiam veteris institutio & vsurpatio cum contritione, confessione, & fide peccatoris, cumque ministeriali absolutione in historia Dauidis, 2. Reg. 12. quæ exstat, neque plus potest in verbis Christi demonstrari, quam quantum legitur. Quę enim differentia in veteri & nouo testamento, vel in Christo occurrit, eam sibi succurrere, & si posset, non patiuntur Pontificii, cum Christo partes hic nullas relinquant, eiusq; officiũ inter sacerdotes & pœnitentes partiãtur. Quanta etiam insania est doctrinam de pœnitentia, quam Ioannes & Christus, itẽ discipuli Christi ante passionem magistri prædicarunt, accusare, quod sacerdotalis pœnitentiæ sacramento, tanquam inferioris sortis ministerium non sit æquanda.

IIII. Thesis.

Extrema vnctio non mandata est, nec sacramentum Catholicæ Ecclesiæ.

Explicatio.

Canisius ita definit: *Extrema vnctio est signum sacrum in consecrato oleo institutum, vt per illud cœlestis virtus ad salutem, non animæ solum, sed & corporis applicetur ægrotis ex diuina institutione.* De oleo exorcisando & consecrando rationale diuinorum officiorum sub feria 5. post Palmarum ceremonias & verborum formulas superstitiosas & magicas describit.

scribit. Suntque eius actus partes exsecrabiles, quod oleum tanquã a Diabolo obsessum exorcisant, eique suis conceptis verbis, virtutem spiritualem conferre præsumant, vnctionem hanc, non in quauis infirmitate, sed quando mors instare putatur, & certo metuitur, exercere mandant, ita vt quadam orationis forma adhibita, de qua tamen non certe conuenit, inungantur ægroti circa oculos, aures, nares, labia, manus, pedes, & renes. Institutionem referunt ad historiam *Marc. 6.* vbi scribitur, egressi 12. prædicabant pœnitentiam, & dæmonia multa eiiciebant, vngebantque multos ægrotos, & sanabant eos. Item, *ad cap. 5. Iacobi*, vbi dicitur: *Infirmatur quis inter vos, accersat presbyteros Ecclesiæ, vt orent pro eo vngentes eum oleo in nomine Domini.*

REFVTATIO AFFIRMATIVÆ Pontificiæ, & confirmatio negatiuæ nostræ.

Ipsa appellatio extremæ vnctionis vanitatis graue indicium præbet. Quod enim allegatis in dictis instituendæ sanitatis corporalis, & prorogandæ vitæ temporalis gratia factum cognoscitur, istud transtulerunt Pontificii in vltimum vitæ, non prorogandæ, sed certo abrumpendæ articulum, ideoque mandant, caute esse hoc sacramentum adhibendum, ne vlli, de quo spes recuperan-

dæ ſanitatis & longioris vitę affulgeat, apte omnia. Quanto vero diſcrimine diſtant vitā & mors, tanto alienius eſt ſtudium pontificium ab intentione Chriſti & Apoſtoli. Deinde conſideretur, quare locus Marci iungatur loco Iacobi. Hanc nimirum ob cauſam, vt cum in Marco non exſtet verbum mandati, quod ad ſacramenti inſtitutionem pertinet, emendicetur iſtud ex Iacobi Epiſtola, quod quale ſit firmamentum, cogitetur maxime in quæſtione, num Chriſtus hoc inſtituerit ſacramentũ: nulli profecto vel Apóſtolo licuit teſtamentum ſacramentali ſigno donare, neque tanta eſt Iacobi huius auctoritas, vt Apoſtolus ſit certo habitus in Eccleſia orthodoxa. Præterea non quæritur hic de quouis mandato, cum quæ perſonas certas, & tempus teſtamento breuius reſpiciant, mandata non condant ſacramenta teſtamentaria. Nihil vero tale in Epiſtola Iacobi apparet, & coniuncta in Marco Dæmoniorum eiectio, imo quod ægroti ſanati fuerint, teſte etiam Iacobo, euincunt agi de donis miraculorum, quæ non ſunt ſacramenta miniſterii Euangelici, ſed ornamenta & teſtimonia diuinæ vocationis in certis perſonis & doctrinæ ipſarum, quæ ſi ſacramentorum naturam induere debeant, tot dabunt ſacramenta noui teſtamenti, quot morbi diuerſis ceremoniis & corporalibus applicationibus fuerunt curati, veluti Chriſtus, cum mulierem tangentem fimbriam veſtimenti ſui

cura-

curauit *Marc.* 5. eodemque multis medicatus fuit *Matth.* 14. cum Christus manu extensa tetigit leprosum & mundauit, item tetigit manū febricitantis socrus Petri & febrim sustulit. *Matth.* 8. cum surdo & muto digitos immisit in aures, exspuit, tetigit linguā eius, suspexit in cœlum, ingemuit dixitq; Hephata *Marci.* 7. Cū tacto loculo, & pronūtiatis his verbis: *adolescens tibi dico surge*, resuscitauit vnigenitum viduæ mortuū *Luc.* 7. Cum luto facto illitoq; oculis cœci dixit: *vade ad Siloah & laua te*: visum ipsi restituit *Ioh.* 9. Cum tactu abscissam auriculam Malcho reddidit, & capiti eius aptatam cū eo cōglutinauit *Luc.* 22. & innumera alia, quorum plurima Iohannes scripto non esse commemorata testatur *cap.* 20. Sic cum Apostoli impositione manuum sanarent multos *Marc.* 16. Cum Petrus & Ioannes a claudo aspici volunt & verbis emissis, manuq; eius dextera prehensa, pedes erecti firmarunt vt exsilierit claudus *Act* 3 cum *Acto.* 19. scribitur q̄ Deus virtutes nō vulgares ediderit p̄ manū Pauli, ita vt etiam ad ægrotos deferrētur a corpore eius sudaria seu semicincta & discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent: tum *Acto.* 20. Paulus ruit in mortuum Eutychum, & complexus eum animam ei reddidit, qualia multa congeri possent. Quis vero his ceremoniis derogabit eiusdem generis titulum, quæ vnctioni *Marci.* 6. descriptæ

tribuitur a pontificiis? Vt vero ne isti quidem sacramentorum plurium compilatores audent omnia illa sub hoc genere congregare, ita quod iudicium de pluribus similibus in eodem tertio idem non constat, vanum arguitur. Superstitiosa itidem consecratio seu execratio potius, qua oleum vt sit materia huius sacramenti idonea præparari fingitur abstterret pium auditorem vt hanc religionem auersetur, cumq; de partibus corporis certis illinendis ne quidē illa testimonia quæ de vnctione olei citantur, disponant, additamenta hæc vanitatum incrementa produnt. Caluinus ad locum Iacobi ascripsit, *fateor quidem pro sacramento vsurpatam fuisse a Christi discipulis vnctionem istam neq; enim illis assentior qui medicamentum fuisse putant, sed quemadmodum veritas huius signi non nisi ad tempus durauit, symbolum dico fuisse temporale. Nihil enim absurdius quam sacramentum vocare quod inane sit, nec signatam rem præstet nobis.* Hæc Caluinus, qui & nimis liberalis, & nimis philonicos hic fuit. Nimium enim largitus est, sacramentum fuisse concedens, & temere arguit eos, qui medicamentum fuisse asserunt.

Certum n. est vnctionem istam ad seruandum, ægrotos fuisse adhibitam. Textui igitur scripturæ aduersatur Caluinus. Qui vero sacramentum appellabimus hanc actionem sacram, quæ in numero vere verorum

ſacramentorum, qualia ſunt baptiſmus & cœna Domini, aliquando fuerit habita, cuius finis eſt beneficium corporale? Contradicit Caluino Beza inquiens, *fuit hoc ſymbolum doni ſanationis, quorſum igitur ſymbolum vbi res quam eſt donum ſanationis?* Rectius ſane hic illo, quod medicationem agnoſcit, nondum tamen conuenit, quod oleum, quo ſanabantur homines, ſymbolum dicit, & ſic videtur Beza quoque ſacramenti rationem concedere, quomodo ab hoc genere haud excipi poſſent applicationes medicę & chirurgicę ægrotos ſanantes. Cũ tamẽ ſignorum natura, quã Caluiniani ad ſummum gradum exquiſiuere, hæc ſit, vt per ſenſibilia ſignentur inſenſibilia, atque reſtitutio ſic valetudinis ſenſuum experientia deprehenditur. Non igitur hic opus eſt ſymbolo, neque medii vſurpatio ſymboli naturam proprie referat. Notetur hoc etiã propterea, ꝙ cum certũ ſit, ſanationes iſtas Apoſtolorum fuiſſe miraculoſas, hic anteſignani ſacramentariorum ſuam theſin de qua alias laborioſe dimicarunt, cõficiant, nimirum ſacramenta non eſſe miracula.

De vſu vero miraculorum ſi cui hic libeat diſſerere, negari nequit miracula edita eſſe vt doctrinam de Chriſto confirmarent, itaque fidem conciliarent, vel obſignarent in homine, quomodo miracula, quæ in effectis mirandis ſigna ſint aliorum, longeque alia.

quam ſymbola viſibilia mirandorum operum
organa: illa igitur fiunt ſacramenta quædam,
quorum tamen ratio non eſt eadem cum il-
lis, de quibus nobis ſermo hic eſt, neq; no-
bis eſſe poſſunt talia ſacramenta in vſu & e-
xercitio, niſi & miracula repetantur. Sed
his ſic notatis argumentationem grauem a-
gnoſcimus, quæ ſtatuit dono ſanationis ſub-
lato olei vnctionem, per quam ſcilicet illud
donum conſtabat, vana imitatione ſeruari
& tanquam neceſſario obſeruandam ſim-
mente obtrudi. Eſt vero adhuc aliquid quod
ſua ſpecioſa pelliare poſſunt pontificii. In
Iacobi enim ſic porro legitur, *& oratio fidei
ſanabit ægrotum erigetq; eum Dominus, qui
ſi peccata commiſerit, remittentur ei*, inquiunt
igitur *etſi donum ſanandi ægrotos ceſſauit, tamen
vis piarum precum & beneficium ſpiritualis re-
conciliationis cum Deo adhuc durat. Retinea-
tur igitur vnctio cũ piis precibus & quoniã donum
ſanandi deeſt, non adhibeatur vt vita reddan-
tur ſemimortui, ſed vt morientes eo corrobo-
rentur ſpiritualiter.* Hic reſpondeo non poſ-
ſe doceri, quod vnctio Apoſtolica conferen-
dorum ſpiritualium donorum gratia fuerit v-
ſurpata, neque poteſt textus Iacobi, vt alias
minus authenticus, ſi ab hiſtoria *Marc.6.* con-
uellatur, indeque interpretatio diſcedat, a-
licuius eſſe ponderis, neque textus Iacobi
eo ſpectat. Quod preces adhibitæ ſint cum
oleo non repugnabimus, cum alias in mira-
cu-

lis edendis Prophetæ Christus & Apostoli precationibus vsi sint: postquam autem donum miraculosum vnctionibus subtractum, & sic voluntas Dei, quod per vnctionem efficax esse velit, mutata est, non recte omnino vnctionibus adhuc oratio accommodatur, cum precatio semper ad voluntatem Dei componi debeat, Hoc vero imprimis impium est, quod beneficia orationi fidei promissa alligantur vnctioni inani, cum nequidem vnctionem Apostolicam alias miraculose efficacem legantur effecta. Negligitur & hoc, quod *iustus fide sua viuere* a Prophetis & Apostolis docetur, qua non exstante remissio peccatorum tamen præsumitur, neq; solum vt inuentum humanum, sed etiam & quidem potissimum, vt superstitiosum & Idololatricum opus reprobatur, quo semper recurrit grauior disputatio de sacramentorum numero vltra dualitatem non admittendo cum alias dignior foret disputatio de vocabulis sine doctrinæ corruptelis etiam improprie vsurpandis & tollendis.

V. Thesis

Ordo Pontificius exsecrabile in Ecclesia portentum, nequaquam vero sacramentum est.

Explicatio.

NOn agitur hic de ministerii dignitate externis ceremoniis commendanda, neq; de segregrandis & ordinandis idoneis ad mi-

nisterium Euangelicum personis, sed de nugamento certos quosdam homines creandi, iisque vim cœlestem infundendi & characterem indelebilem seu exsecrabilem potius imprimendi per ritus & elementa humanis traditionibus superstitiosa. Canisius *sacramentum ordinis* definit, quo singularis gratia & potestas spiritualis quibusdam traditur, vt munus in Ecclesia ex professo gerant. *Hoc* inquit, *est sacramentum per quod velut ostium necessario intrant legitimi dispensatores mysteriorum Dei & eloquiorum. Rationale diuinorum officium*, vt quæstioni occurrat, cur non potius Papę, patriarchę, primatis, cardinalis & Archiepiscopi inauguratio, quam istorum inferiorum ordinatio hoc sacramento inuoluatur inquit: *Ecclesiasticarum personarum duo sunt genera, aliud dignitatis*, ad quod istos magnates refert, *aliud ordinis*. Dubitat autem rationale num ex lege, an vero ex gentilitate sit dignitatis genus. Ex lege non potest aliud afferre testimonium q̃ quod Moyses iussu Dei principes constituit in populo Dei: quod cum infirmius appareat, subiũgit quosdam non vereri agnoscere initium istius generis in gentilitate, vt ita ex Iudaismo & paganismo fateatur enatam põtificiam *in papatu*. Ac si principum appellatio in Moyse exstans sufficit ad papæ dignitatem stabiliendam, vereor vtique ne eadem consequentia gaudeat allegatio mandati diuini Nu.15. *Assume omnes prin-*

principes populi & suspende illos Iehouæ coram sole, & auertetur ira furoris Iehouæ ab Israele. Memorabile & hoc fuerit, cum per ordinem tantum legitime intretur, Papam cōfessione propria & testimoniis omnium suarum creaturarum argui, quod per ostium nō intrauerit in Ecclesiam, cum sibi sumat gubernationem supremam in Ecclesia nullo ordine collato. Faciunt autem gradus, quos hoc sacramentum generatim contineat & primum ordines diuidunt in maiores & minores. Minores numerant 4. ostiariorum, lectorum, exorcistarum & acolitorum. Maiores vero tres nempe subdiaconorum, Diaconorum & presbyterorum. Ex presbyteris alios maiores alios minores faciunt: Maiores sunt Episcopi, qui successores sint Apostolorum, quorum munus sit attendere sibiipsi & vniuerso gregi, quem a spiritu sancto curandum pascendumq; acceperunt, regere Ecclesiam, ea quæ desunt corrigere, & per ciuitates presbyteros constituere. Minores presbyteros dicūt esse sub Episcopis, sicuti 72. discipuli sub Apostolis. Hi in Ecclesia ministerio deseruiunt, dona & sacrificia pro peccatis offerunt, atque in curanda Dominica messe tanquā operarii secundū illos existunt. Minores ordines conferuntur clericuli siue clericuli tonsura, quam primam vocant, quamque multi hodie pro leuissimo lusu habent, qualis etiam est actus ille, verum in

eo adhuc erratur multum, quod quanto leuiores putant has nugas, tanto minus earum rerum vſu, etiam cum quis primam tonſuram recipit, peccare exiſtiment, cum potius ſtatuere ſic deberent: quanto hi luſus ſunt ſcurriliores, tanto minus Chriſtianũ decent, quantoque penitius Chriſtianorum ſacris ingeruntur, tanto atrociorem & exſecrabiliorem reddi leuitatem. Nam ſi de otioſo verbo reddenda erit ratio in Iudicii die nouiſſimo: quanto grauior expoſcetur ratio ab illo, qui non otioſa ſolum, ſed & ſuperſtitioſa ſacramenta, cum ea ridere didicerit, admiſit, eorumq; nefandos characteres in ſe recepit. Vt igitur in iſtis nugis pergrande nefas, & quanto minus fugitur, tanto magis æterna morte expiandum agnoſcatur, referam ex rationali diuinorum officiorum quid in prima tonſura inſtituatur & fiat. Primum igitur in rationalis iſtius libro 2. notetur exordium: *In hac ſecunda parte*, inquiũt, *de miniſtris & ordinibus Eccleſiaſticis eorumq; officiis tractare prouidimus, præmittentes quod tres ſint ſectæ famoſæ, videlicet gentiliũ, Hebræorũ & Chriſtianorũ: prima eſt erroris 2. veritatis, 3. veritatis & ſalutis. In prima naufragamur, in ſecũda a periculo liberamur, in 3. ſaluamur. Prima ſecta dicitur a ſecando, quia ſecat, id eſt, ſeparat nos a Deo, ſecunda ſectãdo, vt & tertia, & tenẽdo, quia illuminat, liberãt a. ſaluãt. Chriſtianorũ perſonæ ſeculares, quã Eccleſiaſticæ ab aliis duabus ſectis ſunt deſumtæ ab Hebræa videlicet & gentili.*

Hæc ibi. Quis vero hic nõ agnoscit irrationale exordium hoc. Viri n. Christiani testibus multis patribus non solum a paganorum, sed etiã ab Hebræorum seu Iudæorum secta, quæ scilicet Iudaismum in Christianismum confundit, multo magis autem a Paganismo semper alieni fuerunt. *Quid n. consortii Christo cum Belial.* 1. Cor. 6. inquit Paulus. Nonne de ceremonialium legum Mosaicarum abrogatione & vaticinia sunt in veteri testamento, atque mandata & facta Christi & Apostolorum in nouo testamẽto exstãt? certe gentilis & Iudaismi reprobandi gratia synodus Apostolica cõuenit & decretum promulgauit. *Act.* 15. Quis porro non videt contra omnem rationem cõmendari Christianis sacra, quæ a gentilismo originem traxisse dicuntur, quem ipse commendator erroris sectam appellat, in qua naufragemur, secemur & separemur a Deo. Hoc vero ne nunc singula persequamur, maxime rationale est, sacra, imo sacramenta apud Pontificios vsitata, a paganis autem accepta prophanam & detestabilem arguere sectam Pontificiam. Nos vero in his tum sanctum Dei consilium tum Diaboli improbum studium obseruemus, Deus vsurus iusto iudicio tenebris istis permisit obrui Christianum orbem. Huiusmodi autem notis palpabiliter Diabolicis sectam Pontificiam insigniri voluit, vt pios statim in limine ab Ecclesia ista malignãtium absterreret. Diabolus vero risum & in-

ſultationem continere non potuit, quin ſe & ſuo ſacra ἐπιχειρηκακίας ſtigmate in frontiſpicio proderet, quod & ipſum nos terrere debet, vt præter exitium animæ ſarcaſmos Diaboli experiamur, quando cum Pontificiis colludimus. Sed quid rationale iſtud de ordinibus maioribus? diſtinguit inter ſubſtantias & ſolemnitates ſacramentorum. Subſtantias autem materiæ & formæ ratione in ſacramẽto primæ tonſuræ quadruplices facit, videlicet ſecundum quatuor ordines minores, neque intelligit, vt irrationale nimirum quiddam quod diſtinctis ita ſubſtantiis ſacramenta quatuor ita neceſſario ſtatuantur, ipſumque incidat in Anathema Tridentini concilii, quo vetatur ne plura, quam 7. Sacramenta ſtatuantur. Ordo ergo oſtiariorum qui dicti ſunt, quod oſtiis templi præſint ſecundum Iſidorum, poſtquam ordinandus ab archidiacono inſtructus eſt, qualiter in domo Dei debent conuerſari (debent autem tenere claues Eccleſiæ, omniaque intus & extus cuſtodire, item inter bonos & malos habentes Iudicium fideles recipere, infideles reſpuere, & excommunicatos expellere, quemadmodum irrationale exponit) ordo, inquam, iſte ſuggeſtione archidiaconi ſic confertur, vt tradantur ordinando claues Eccleſiæ de altari & dicatur: *Sic viue, ſic age redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recludun-*

duntur. Clauium ergo traditio & verba præmissa sunt huius sacramenti substantia, inquit brutum irrationale: cætera sunt solemnitates, ad quas tonsura primum pertinet, de qua post quartum ordinem dicam. Vtque his ineptiis maior aspergeretur impietas & grauior committeretur blasphemiæ atrocitas, sic subiicit rationale bestiale, hoc est, Antichristianum. *Christus hoc officium impleuit, quando dixit, tollite portas vestras, & quando vendentes & ementes de templo eiecit, vnde in Euangelio dicit, ego sum ostium.* In collatione ordinis lectoris, cuius munus est recitare in templo, quas Pontificii ordinarũt, lectiones, episcopus primum verba faciat, rationale, de ordinandi fide, vita atque ingenio (*nulla autem hodie in plerisque præcedit exploratio, quia quæuis ingenia etiam asinina, quamuis etiam vita sine fide Pontificiis ordinibus satis conueniunt*) post spectante plebe tradat ei codicem, in quo lecturus est dicens: *accipe & esto relator verbi Dei habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum iis, qui verbum Dei administrauerint.* Codicis ergo traditio & præmissa verba sunt de substantia huius ordinis, cætera sunt solemnitates. Ordo exorcistarum, quorũ munus est super κατηχουμένους, & eos, qui habent Spiritum immundũ nomen Domini Iesu Christi nostri inuocare adiurãdo per illud vt egrediat᷑ Dæmõ. Horũ ergo ordo ita tribuit᷑

vt Episcopus tradat creando librum, in quo scripti sunt exorcismi siue adiurationes, & dicat: *accipe & commenda memoria, & habeto potestatem imponendi manus super* ἐνεργουμένου *& baptisatum siue* κατηχούμενον. Libri ergo acceptio & verba præmissa sunt de substantia huius ordinis, cætera sunt solemnitates. Acolytorum seu Ceropheriariorum, vt appellant, officium est cereos ferre accensos, dum legitur Euangelium aut offertur sacrificium. Horum ordo sic confertur, vt Episcopus ordinandum doceat, qualiter in officio suo agere debeat. Archidiaconus ipsi tradat candelabrum cum cereo & vrceolo vacuo, quia huius ordinis est ministrare vinum in calice. Præmissa ergo verba & vtensilia sunt huius ordinis substantialia, cætera sunt de solemnitate. Hæc ita de singulorum ordinum sacramẽtali substantia recitantur in rationali, ex quibus neque materia, neque forma, itaque nulla substantialia horum sacramentorum agnoscuntur, verbo Dei probata. Quãta igitur horum vanitas. Optime & hoc argumentum in Papam confici inde potest: Quæ signis & rebus signatis actionibus etiam diuersissimis & ad vsus distinctarum personarum & diuersorum officiorum accommodatis differunt, ea sacramentaliter differunt, & tot sacramenta constituunt, quot huiusmodi discriminibus distant. Quatuor ordines minores singuli signis & signatis actionibus: *Item* formalibus & finalibus multum

multum diuersissimis realissime & longissime differunt. Singuli igitur ordines singula sacramenta conficient, si scilicet Papæ largiamur hanc vocem cum suo vsu. Papa autem in synodo Tridentina, *anathema dixit ei, qui plura quam 7. Sacramenta constituerit.* Sibi igitur ominatus maledicens iusto Dei iudicio, quo temerarium anathema in auctorem redit, ideoque ordinum illorum assumtio tanto diligentius fugiatur, quanto studiosius quisque sibi a maledictione ista cauere cupit. Qui enim sibi imprecatus est hæc exsecraměta cõseruaturus, idem imprecationem communicabit participantibus ista exsecraměta. Solemnitatibus tamẽ quæ singulis adhibentur quędam cõmunis additur, tonsura nimirum quæ prima dicitur. Hæc vero non colligabit 4. sacramenta, vt vnum fiant, quia solemnitates quæ sunt extra substantialia, non constituunt sacramenta. Tonsuram autem substantialibus non connumerat rationale, imo cum actio illa circa crines sua significatione religiosa donetur, ipsa quoque sacramenti naturam in se & quidem peculiarem vrgebit. Licet enim tõsura hæc vinculum ad vnitatem sacramenti firmum foret, tonsura tamen in presbytero altera & diuersa maioris ordinis collationem præstat factæ rupturæ, itaque plurium quam septem sacramentorum testimonium præberet. Et certe, quæ diuerso tempore & diuerso fine vsurpantur sacramenta, vnum esse non

possunt. De tonsuræ primæ significatione, quam innuimus, explicandum porro est, quod crines in medio capitis forma circulari abradantur, & in extremitatibus circa aures & supra oculos resecentur. Harum nugarum rationes quærit rationale, & cum crines sordes in capite colligant, earum abrasione immunditiem clericis commendari, inquit, quoniam etiam capilli ornamentum sunt capitis, eandem tonsuram deformationis signum fatetur. Etsi igitur Clericis munditiem in mente residere dicit, vitam tamen iisdem præceptam ait non formabilem vt loquitur, nolebat enim deformem appellare, id quod tamen antecedens cogit: & quanquam deformitatem hanc in vestitum non exquisitum reiiciat, rursus tamen sanctitati, quam in vestitu clerico alias pretiosam ponunt, detrahit. Neque hæc tantum irrationabiliter conficta rationabiliter Pontificiis clericis conueniunt: verumetiam cætera Diabolus ad proderdam suam creaturam vsurpat, id quod pietas in iusti Dei iudicis argumentum conuertit.

Denudatio superioris capitis partis demonstrat, vt rationale inquit, nullum debere esse medium inter clericos & Deum, mediatore igitur se ipsos spoliant, & per primam tonsuram Christum abnegari fatentur, suumq; testimonium sacramentis primi ingressus sui, vt vocant, obsignant. Vere igitur hi sunt chara-

Ctero

cteres antechristi seu bestiæ, de qua nota Apocalypsios 14. legitur angelum voce magna dixisse, *si quis adorauerit bestiam & imaginem eius & acceperit characterem in fronte sua.* In hoc dicto memorabile, quod character bestiæ capite & manu recipi dicitur: quod vt obseruaretur capite 13. etiam his verbis commemoratur: *bestia facit, vt omnes parui & magni, diuites & pauperes liberi & serui accipiant characterem in manu sua dextra aut in frontibus suis.* Quod ergo Chrismate fieri diximus, quodque in presbytero fit, cui manus vnguntur, ea huc pertinent. Nam vt reliqua de ordinibus maioribus breuiter expediamus, ita eorum execramēta peraguntur. Subdiaconi inaugurantur insuper traditione calicis & patinæ, quæ a suffraganeo accipit, vrceoli item cum aqua, quem ab archidiacono aufere, diacono imponitur stola & exhibetur liber Postillarum, eaque fiunt adhibitis quibusdam verbis & impositione manuum. Presbyteris præter indumenta peculiaria & alias nugis denuo raditur caput & vnguntur digiti, nempe, vt nec pilum boni viri nec puras manus habeant, vt quidem istos lusus explicauit. Vt vero applicatio characteris bestiæ & similiū, quæ de meretrice Babylonica, hoc est, Papa Romano citari solent ex Apocalypsi antiquitatis orthodoxæ diuinationibus & suffragiis, quæ euentū anteuertere, cōmendata sint auditoribus, & consideretur ꝙ Tertullianus

libro aduersus Iudæos scripsit: Quemadmodum, inquit, Propheta Ezechiel ad populum Israel dicit cap. 16. *Pater tuus Amarens & mater tua Gethea*, quorum ex genere procreati non sunt, sed ob consimilem impietatem: sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum superstitionis & maledictionis elogio. Sic & Babylon apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis figuram continet, proinde & magnæ & regno superbæ, & sanctorum debellatricis. Idem repetit lib. 3. aduersus Marcionem, Satis autem manifeste ostendit, quod digitum intendat ad hæc loca Apocalypsios 14. & alius angelus secutus est dicens, *cecidit cecidit Babylon vrbs illa magna, quia vinum iræ scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus*. Postque sequuntur modo allegata verba, *si quis acceperit characterem in fronte sua, &c*. & ca. 17. versu 1. *ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas*, & versu 9. 7. capite, *7. montes sunt super quos mulier sedet*. Roma autem septicollis dicta inter maria sita est, & populis multis imperat Papa, quemadmodum explicatur hoc *versicul*. 15. De hac etiam meretrice versu 5. dicitur, *quod in fronte sua habuit scriptum nomen sacramentum*. Irenæus discipulus Polycarpi auditoris Iohannis de loco Apocalypseos decimo tertio, *qui intelligentia præditus est, cōputat numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenta sexaginta*

ginta sex. De hoc igitur Irenæus lib. 5. *nomen* λατεινος *numerum habens sexcentorũ sexaginta sex, valde verisimile est.* Latini enim sunt, qui nunc regnant. Exstant etiam apud Bernhardum multa, quæ meretricis Babylonicæ descriptionem in Apocalypsi ad Romanũ Pontificem accommodant. Sed hic bestiam videns, Irenæo & Tertulliano priorem palmam relinquit. Nunc igitur ad thesin reuertentes, recolligamus confirmationem, quam explicatio secum vehit. Cum enim neq; materia, neq; forma sacramenti ex institutione Christi, qui noui testamenti Dominus est, sed ex traditione humana petatur in singulis, eaque nullo Christianismi fundamento ad Iudæorũ & gentiliũ sectas a rationali reuocentur, quarum sectarum auctoritas ad constitutionẽ sacramenti probati in nouo testamento haud plus conferet, quã q̃ quis ab hoc fœdere aliena & sua origine ab eodem abducentia, multa quoque absurda alia coincidant, quorum patrocinium hoc sacramentum sustinet, in eoq; character Antichristi proponatur palpandus, rectissime concluditur, hoc sacramentum esse profanissimum, & a Christi Ecclesia alienissimum & remotissimum. Quæ autem alias de ministrorum verbi ordinatione & dignitate præclare sentiamus, huius non est loci explicari, & constant tamen. Hic etiam dici posset de charactere indelebili, quẽ tribus sacramentis baptismo, cõfirmationi & ordini tribuunt,

& rursus in ordine sextuplicem faciunt. Hunc vero characterem ideo inquirunt & ponunt vt causam ostendant, quare hæc sacramenta initerabilia. Verum cum omnes de hoc commentationes, a quouis attendente ad fundamentum, quod fidei Christianæ proprium est: hoc est, exquirente sacræ scripturæ indictionem & confirmationem, facile possint deprehendi nugacissimæ, præsertim cum etiam humana auctoritas ex antiquitate non succurrat huic figmento, itaq; cuiuis sit istud diiudicare, tempus hic non teram commentatione disputationis: tantũ hoc subiicio, quod scholastici in vehementissimis disputationibus plurimis non potuerint constituere, quid sit character ille, & in quo prædicamento. Dubitatur enim, num in qualitate vel in relatione ponendus sit, & cum ad qualitatem reuocatur, alias enim esset res minimæ entitatis, nescitur, cuius sit speciei. Sic nondum inter ipsos conuenit, vnde sit eius indebilitas. De his ergo quæstionibus laborantes, quis non rideret potius, quam audiret multum.

VI. THESIS.

Matrimonium non est sacramentum eius generis, cuius sunt baptismus & cœna Domini.

EXPLICATIO.

IVdicio Dei factum est, vt, cum Papa matrimonialis castitatis & sanctitatis in suo imperio rissi-

rissimo cœlibatu leno sit, & prostitutor impudentissimus ad refutandum & cōdemnandum seipsum matrimoniū sacramententum instituit, vnde grauissimum argumentū enascitur: *Matrimonium non dedecere sacerdotes*, & quanto diuinioris rei sacramentum constituitur, quale est summum illud gratiæ Dei bonum, coniunctio spiritualis fidelium cum Christo, tanto maius pondus & fortiorē neruum recipit argumentum illud. Et quia Pontificii profitentur, se indignos esse sacramento, hoc ipso testimonium dicunt grauissimum de sacerdotio suo indignissimo.

Confirmatio.

Primo non congruit ad genus sacramenti, quod baptismo & cœnæ Domini tribuimus, origo huic sacramento a Pontificiis quæsita. Quod enim de mysterio dicitur inter Christum & Ecclesiam, id coniugiū nondum reddit mysterium seu sacramentum. Deinde licet istius mysterii typus sit cōiunctio maris & fœminæ in coniugio, tamen non quæuis signi & signati ratio sacramentum κατ' ἐξοχὴν dictum conficit. Est igitur citra controuersiam matrimonium sacramentum, qualia Theologia symbolica in genere remotiore innumera præbet: sed talē non est, quale est proximum genus baptismo & cœnæ Domini cōueniens. *Deinde* istorum verorum sacramentorum elementa sunt, vel aliquid extra hominē (vt videl.

agnus Paſchalis, panis, aqua, vinum) vel a-
quid ab homine auferendum (vt præputium)
elementa autem iſta actioni ſacræ ſimul il-
gantur certis ritibus, a Deo ordinatis, cum hic
neque elementum aliquod tale, neque or-
dinata actio ex ſcriptura probari poſſit. Dee
igitur materiale & formale. *Tertio* fines ma-
trimonii proprii & primarii duo tantum ſunt:
vel vt genus humanum inde propagetur, vel
vt libido carnis iuſto remedio curetur, quo-
rum neutrum promiſſionem gratiæ probat
id quod alias finis proprius & primarius vero-
rum κατ' ἐξοχὴν dictorum ſacramentorum p-
ſtat. Falſum enim dicit Caniſius in ſuo Cate-
chiſmo, cum ſcribit: *Hoc ipſum ſignũ Chriſtia-
nis coniugibus, quando matrimonium rite auſpi-
cantur, ad gratiam Dei prodeſt accipiendam.*
Quod enim Deus ad fines communes piis &
impiis ordinauit, illud ad gratiam, quæ fideli
tantum eſt, accipiendam non prodeſt. Eſt i-
ne matrimonium fidelibus, vt ordinatio De
res ſancta, qui etiam inde exercitium fidei a-
fert meditantes in amore coniugali, ardentiſ-
ſimum amorem ſponſi Chriſti erga ſponſam
Eccleſiam. Sed vt hæc meditatio eſt fidei a-
verbum Dei allegatæ, ita iſta nuſquam in ver-
bo Dei reperit, quod Deus per matrimonium
velit conferre gratiam, quam in Euangelio &
huius ſigillis baptiſmo & cœna Domini depo-
ſuit. *Quarto* matrimonium ab initio mundi
huc vſq; commune fuit populo Dei & omni-
bu

bus gentibus, cum vera, de quibus hic agimus, ſacramenta tantum ad populum Dei, vel ad vetus teſtamentum tantum, vel ad nouum duntaxat, aſtringātur, vt quæ teſtamentorum confuſio, eſt Chriſtianiſmi negatio, cum ne quidem Chriſtus finis veteris & noui auctor venerit, ſi vetus durauerit, ſicut certe ad finē mundi duraret, matrimonio ſacramento vere conſtituto: quod ſic nemo negaret priſci fœderis ſacramentum, ita in Chriſtianiſmo non eſt ferendum, vt matrimonium tale doceatur ſacramentum, & quia negari nequit matrimonium æque Dei ordinationem fuiſſe inter gentes atque in populo Dei, ideo manifeſtum eſt, quod matrimonio pro ſacramento recepto ſacramenti ratio extra Eccleſiam extendatur. *Quinto*, virginitas & matrimonium æque probantur Deo, vt qui caſte viuere poſſit extra matrimonium ſua libera voluntate, ſancte hoc omnino amittere vel etiam inire poſſit, 1. *Cor*. 7. Nulla autem ſacramenta, quæ ſunt teſtamentorum ſigilla, hominum arbitratui ita permiſſa ſunt, neq; poteſt permutationis ratio, quæ eſt inter virginitatem & coniugium, in natura ſacramentorum demonſtrari. Conſtat ergo negatio noſtræ Theſis.

DE BAPTISMO LOcus XXVI.

I. THESIS.

Baptismum, siue de intinctione & immersione, siue de aspersione, siue affusione intelligas, in neutro errabis.

Explicatio.

Offenduntur quidam diuerso modo baptizationis Christianæ, dum alicubi immersione in vndas, alicubi infusione aquæ, sacramentum hoc peractum sit aut peragatur. Cumq; non sit leuis quæstio, vt, quæ ritum sacramentalem spectet, quem in institutionibus diuinis religiose obseruandum esse, nemo piorum negat, operæ pretium erit, huic solidam responsionem quærere, ne scandalorum materia infirmioribus relinquatur: & quidem de hoc nunc primo loco dicere, non est inconueniens, quod in etymo verbo βαπτίζειν, tanquam in primario fundamento resideat huius disputationis summa, & methodus poscat, vt de definitione nominis prima sit quæstio.

Confirmatio.

Primum notetur, quod Thesis immersionem & aspersionem indifferenter ponat: hoc vero ideo fit, quia nullibi scriptura alterum tantum certo & perspicue determinat. Nam quod de lauacro cogitandum venit, id lotionem vtroq; modo fieri posse, relinquit. Contrarium autem asserens, monendus est, sibi incumbere, vt alterutrum certum, & duntaxat, seruandum probet, cuius inquisitioni aliquid prius & speciosius occurrere, quam verbum

bum βαπτίζειν mihi non liquet. Sic igitur huc tota deuoluitur disputatio. Deinceps ergo quæritur, num βαπτίζειν necessario significat immergere, & quidẽ vsu Theologico, ne vero eo euagando trahamus litem, recta accedimus ad vsum sacrum, & quidem duabus vtemur potissimum probationibus, quod βαπτίζειν non necessario significet immersionem etiam tum, cum de hoc sacramento nostro res est. Primum enim, quod tamen remotius est testimonium Apostolus, 1. *Cor.* 10. dicit, Israelitas per Moysen baptizatos esse nube & mari: non autẽ immersi sunt in mare, qui sicco pede transierunt, neq; in nubẽ intincti sunt, qui sub nube erant, vt ibidem Apostolus loquitur. Ergo verbum βαπτίζειν locum habere potest, vbi immersio tamen non potest vrgeri. Neq; vero hæc vlterius allegamus, quam vt immersionis necessitatem negemus: quam intentionẽ obseruari oportet, ne quis per fallaciam plurium propositionũ sophisticetur, hinc petendã esse rationem baptizandi sine applicatione aquæ. Deinde verbũ βαπτίζειν, cum de baptismo Ioannis accipitur, idem est cum Hebræo Schaphag, quod est fundere vel effundere. Baptista enim, *Ioh.* 1. testatur, se missum & iussum vt baptizaret aqua, a mittente & iubente hanc audiuisse vocẽ, super quem videbis spiritũ descendentẽ, & manentem super eũ, hic est, qui baptizat Spir. sancto. Et Christus, *Act.* 1. congregatis discipulis, inquit: *Ioannes baptizauit*

quidem aqua vos autem baptizamini Spiritu sancto post dies non multos. Hoc præmissum cum præstitisset Christus, Petrus *Act.* 2. inquit: *Hoc est illud, quod dictum est per Prophetam Ioel, & erit in vltimis temporibus, dicit Deus, effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Hinc manifestum est, baptizare & effundere esse synonyma, & quidem vt hic verbum βαπτίζειν, ita Esaiæ 44. Schaphag, tam in baptismo Ioannis quam Christi vsurpatur. Sic enim ibi Dominus: *Effundam aquas super sitientes, & flumina super aridam, effundam spiritus, &c.* Hic non ne Caluinus, & quidam alii per effusionem aquæ non baptismum, sed spiritus effusionem intelligit: verum, qua intentione & fide hoc faciat, inde colligatur, quod idem factitet, *Ioan.* 3. vbi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* Non cum per Christum & Ioannem hisce testimoniis ad baptismi doctrinam deducamur, minus illis tergiuersationibus contortorum scripturæ monemur, quod facit & hæc conuenientia, quod sitiens & aridus sint Spiritui sancto homines lege conuicti, sitientes refectionem, & officium Ioannis tum vaticiniis, tum euentu dicatū fuerit pœnitentiæ concioni primum, deinde baptismi administrationi. Minime ergo dubium est, sed ex præmissis liquet verbum *baptizare*, non necessario importare immersionis modum, sed baptizare aliquem, & effundere super aliquem esse synonyma, etiam tum, cum de baptismo

ptiſmo Ioannis agitur, qui eſt Chriſtianorum. Effuſio ergo aquæ ſuper baptizandum ritus erat huic ſacramento conueniens, & ſic verbū βαπτίζειν Theologus recte interpretatur. Neque tamen reiicimus aut improbamus morē immergendi, cum ſi applicatio aquæ fiat, & quod verbo βαπτίζειν non aduerſetur, in applicatione obſeruetur, eo verbo Dei ſatisfiat. Quoniam hoc diſcrimen effuſionis & immerſionis verbum Dei ita non notat, vt alterum diſerte mandet, alterū neceſſario prohibeat, quomodo cōſtabit veram ἀδιαφορίαν, hic probatam eſſe. Quæ porro ſequentur Theſes, ad inſtitutionem baptiſmi pertinebant, & ſex quæſtionibus accommodabuntur. 1. Erit de auctore Deo. 2. De actione ceremoniis illigata. 3. De elemento. 4. De teſtamento, cuius ſit ſacramentum. 5. De creaturis, quibus ſit decretus baptiſmus. 6. De promiſſione gratiæ, huic ſacramento annexa.

II. THESIS.

Baptiſmus habet auctorem Deum, & quidem λόγον filium Dei.

EXPLICATIO.

INſtitutio diuina ſupra indicata eſt, vna ex cauſis neceſſariis ſacramentorum, quibus baptiſmum annumeramus, igitur de illa neceſſario hic quæritur.

CONFIRMATIO.

Eſa. 44. Iehoua factor Iacob & formator Iſ-

rael ab vtero de baptiſmo noſtro loquens, inquit: *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridum.* Neque vero hoc ad efficaciam ſaltem reſtringi poteſt, cum de ea ſingulariter poſtea dicat, *effundam ſpiritum meum, &c.* neque effuſionem aquæ ſibi tribuiſſet Iehoua, niſi ſe actionis huius auctorem oſtendere voluiſſet, neque miniſtri effuſio Domino, & quidem proprio teſtimonio poſſet conuenire, niſi de Domini inſtituto & mandato miniſter effunderet & baptizaret. De filio Dei auctore quod diximus in hoc, non tantum eo reſpicimus, quod is Apoſtolis mandatum dedit baptizandi, ſed quod præcurſori ſuo auctor fuerit. Sic enim baptiſta Ioannis 1. *Qui miſit me, vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat.* Hic vero eſt idem ille, qui ſtatim Ioannem ſubſequi debuit, teſte Malach. cap. 3. *Ecce, ego mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam.* Hic perſpicue dicitur, Iehouam miſſurum fuiſſe Ioannem, & eundem mittentem deſignatum fuiſſe angelum mittendum noui teſtamenti, cui præcurſor electus & præmittẽdus fuerat. Diſerte enim inquit Iehoua: *Mittam legatum meum.* Item: *ante faciem meam.* Baptiſta enim inquit, ſe a mittente iuſſum baptizare aqua. Et poſſet ſimul atteſtatione eiuſdem baptiſtæ confirmari, Chriſtum eſſe illum, qui ſe filium Dei probauit, de cuius rei argumentis alibi.

III. The-

III. THESIS.

Actio consistit in immersione seu aspersione aquæ, & in recitatione horum verborum cum ipso baptizationis ritu pronuntiandorum: Ego baptizo te in nomine patris, filii, & Spir. sancti.

CONFIRMATIO.

Actio hæc definita est a Christo, Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes.* Qualis vero actio sit baptizare, & qua re, siue immersio, siue aspersio fiat, eam rite expediri credamus, Thesi prima fuit indicatum. Quod autem verbum βαπτίζω in recitatione retinetur, cum actio locum huius suppleat, illud fit, vt minister actionem suam verbis Christi definitam a vulgari effusione aquæ discernat. Deinde vt applicationem, quæ est necessarium requisitum, plenum consolationis, diserte commendet. Demonstratiuum enim *TE*, per verbi ellipsin minus commode enuntiando vsurparetur. Quod vero Apostoli leguntur in nomine Iesu baptizasse, illud non sufficit ad suadendam & excusandam immutationem verborum Christi. Non enim exstat in Actis, quod nomen patris & Spiritus sancti Apostoli omiserint, id quod addi oportuisset, si constare deberet auctoritas negatiua. Non enim necessario sequitur, *hoc non exprimitur, ergo non est factum*, sed ad auctoritatem negatiuam requiritur, vt expressa sit negatio. Iesu autem Christi mentio fit diserte, quod huius persona tum omnibus exosa fuerit, & in hac

prędicanda Apoſtoli tum temporis potiſſimi occupati eſſent. Quod de ratione docendi Anabaptiſtę ſubſtantialibus baptiſmi aſſuunt, id habet confuſionem integri, de quo Chriſtus ibi plene loquitur, & partis, de qua hic peculiariter quærimus.

IIII. THESIS.

Aqua naturalis eſt verum elementum ſancto baptiſmo a Deo deſignatum.

EXPLICATIO.

AD duo reſpondet hæc Theſis: *Primo*, ſi quis quærat, num quiuis liquor, an vero tantum aqua vſurpari debeat, in huius ſacramenti adminiſtratione. *Deinde*, ſi quis interroget, num aquam oporteat peculiariter eligi & præparari, vt baptiſmo idonea ſit. Ad quas duas quæſtiones in confirmatione attendendum erit.

CONFIRMATIO.

Ioannes baptiſta ait: *ſe miſſum eſſe* (factum autem erat ad ipſum verbum Dei, Luc.3.) *vt baptizet aqua*: aqua ergo ore Dei denominata eſt, non quiuis liquor, & Chriſtus definiturus baptiſmum Ioannis aquæ meminit, tanquam propriiſſimæ ipſius notæ, Actor.1. quod Petrus Actor. 11. repetit, & ſic ex ore Chriſti acceptum teſtatur, ita cum Chriſtus de neceſſitate baptiſmi dicturus eſſet, non mutauit, vel omiſit elementum, ſed vt aqua neceſſario adhibenda

hibenda intelligeretur, inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Omissio ergo mentionis aquæ in mandato, *Matth.* 28. non facta est propter indifferentiam liquorum, sed quia baptizandi ritus iam per quadriennium obtinuerat, & in hoc aqua necessario requisita & vsurpata erat, neque mutatio diserte mandabatur, ideo verba Christi aliter accipienda nō sunt, quam de baptismo aquæ, quemadmodum Apostolos istud obseruasse legimus, Philippum nimirum, Actor. 8. Et Petrum cap. 10. Sic in actis Apostolicis & Epistolis Pauli absolute baptismus dicitur, vel verbum baptizare sine aquæ indicatione vsurpatum, vt cum de aqua constaret, neque vllius opinio diuersum instituisset, Apostolica illa simplicitas potius nobis exemplo esset, ne elemētum mutaremus, quam vt plus nobis auderemus. Aqua vero ad baptismum adhibita fuit sine discrimine. Nam Ioannes in Iordane baptizauit, *Matth.* 3. vbi, quæ semel infundebatur, profluebat, & noua affluebat, baptizabat in Enon prope Salin, quoniam ibi erat copia, *Ioh.* 3. Et Philippus Æthiopem baptizauit aqua, ad quā itinere sine disquisitione dilati erant, neq; vllibi in sacris literis adhibetur alia benedictio, quā quæ ipso vsu & actu baptizandi fieri mandata est: *Baptizate in nomine patris, filii, & Spiritus sancti.* Ex hoc verbo per os Christi instituentis, & per præsentem Trinitatem aqua baptismi est benedicta: vnde dicitur, *lauacrū*

aqua. Ephes. 5. hoc est, *non simpliciter aqua, sed aqua verbo inclusa & comprehensa*, quemadmodum Lutherus in Catechismo explicauit. Quanta vero est impietas & insania, cum homo sibi sumit auctoritatem maioris benedictionis & diuino sacramento ex sua institutione aliquid addere audet.

V. Thesis.

Baptismus est sacramentum noui Testamenti.

Explicatio.

HÆc doctrina, quo spectet, supra est explicatum & confirmatum quoque sub titulo de distinctione sacramentorum Thesi secunda.

VI. Thesis.

Tantum homines sunt hoc sacramento initiandi.

Explicatio.

QVoniā Pontificii baptismi vsum dilatātes campanis & aliis rebus inde consecrationem promiserunt, ideo hæc Thesis exclusiua, cuius quæstio alias in Christianismo superuacanea haberi posset, proponenda fuit.

Confirmatio.

Baptismus est pars ministerii Euangelici, quod constat verbo & sacramentis. Totum autem ministerium Euangelicum duntaxat in vsum hominum institutum, neq; aliis creaturis

tis itidem dicatum est. Ne ergo pars applicetur pluribus, quam totum, ordinarius vsus ministerii prohibet. Hæc doctrina his dictis cōprehenditur, Marc. 1. *Ioannes baptizabat in deserto, & prædicabat baptismum.* Actor. 13. *Ioannes ante aduentum Iesu prædicauit baptismū pœnitentiæ Israeli.* Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, &c.* Act. 2. Petrus ad turbam hominum inquit: *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Item: *Vobis facta est promissio, & liberis vestris, &c.*

VII. THESIS.

Omnes homines, e quibuscunq; parentibus nati, ad baptismum admittendi sunt, nec ab ipso arcendi.

EXPLICATIO.

Thesis hæc opponitur Bezæ, qui licet infantes baptizandos esse statuat, excludit tamen infantes Mahometarum, Iudæorum, & quorumuis parentum non Christianorum, quod est contra aperta scripturæ testimonia.

CONFIRMATIO.

Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes.* Act. 2. *Vobis facta est promissio, & liberis vestris.* Hic diserte omnes gentes appellantur, neque vlla occasio in sacris literis suspicandi præbetur, quod tamen Christianorum liberis baptismus decretus esset, qui etiam dicantur a Petro, μακρὰν ὄντες discatur ex 2. cap. ad Ephesеos, vbi appellantur, tales esse χωρὶς χριστοῦ, & extranei a pactis promissionis, vt Beza reddidit. Tales

autem ſunt Mahometanorum & Iudæorum liberi, & talibus Petrus decretum eſſe baptiſmum, diſerte dicit. Non ergo prohibendi ſunt a baptiſmo, ſi afferantur.

Obiectio.

Si afferri vis huiuſmodi infantes non ſimpliciter illos baptizari iubes, & ſic conſentis cum Beza, qui allatos a fidelibus admittit ad baptiſmũ. Reſpond. Nullibi hoc ſcribit Beza, quod Mahometanorum & Iudæorum liberos a Chriſtianis & fidelibus aſportatos velit admittere ad baptiſmum, ſed eius ſententia ſimplex & plana his verbis proponitur, quæſtione 120. alterius partis quæſtionum & reſponſionum: Neque enim quoſuis infantes admiſero: nam neque Mahometanorum, neque Iudæorum liberos recepero, quia fœderis tabulis non cõprehenduntur. Audis, quod nõ moretur Beza, ſi Chriſtianus eos offerat, ſed ſimpliciter Mahometanorum & Iudæorũ infantes, propter ſeipſos repudiandos eſſe cenſet. Huic opinioni ea, quæ Chriſtus & Petrus docuere, opponi recte certum eſt. Quod autem de afferendis dixi, prohibitionis deſcribendæ gratia feci, qui enim a nemine offeruntur paſtori, prohibentur ſane & ipſi a baptiſmo. Sed de hac ſpecie prohibitionis hoc loco non quæritur. Verum de paſtore vel baptiſta arcente infantes, quos baptizare rogatur: quam circumſtantiam notari oportuit. Quo accedit ratio principalis, quam vnicam ſuæ recuſationi prętendit

tendit Beza, quod nimirum infantes nati ſint ex Mahometanis & Iudæis, ideoq; fœderis tabulis non comprehenſi, quam in ſacris literis expreſſe reprobari nunquam recte negabitur. Attendat autem iudicaturus hæc ꝙ tabulis fœderis comprehendi Bezæ non ſit hoc, quod Petrus dicit, promiſſionem pertinere etiam ad eos, qui longe ſunt. Bezæ non ſufficit, quod omnibus promiſſio offeratur ore Dei, ſed vt promiſſionis tabulas baptiſandus poſſideat & afferat, rigide efflagitat. Sic enim ad quæſtionem, *Quos igitur baptiſandos cẽſes*, quę eſt numero 118. *Omnes*, inquit, *qui mihi fœderis tabulas rite exhibuerint, quibus obſignandis baptiſmus eſt inſtitutus.* Hæc Beza. Certum a. eſt ꝙ multum differant hi, de ꝗbus Beza loquitur & illi, de quib⁹ Petrus.

Cui n. ſecundum Petrum offertur promiſſio, is per ſe adhuc longe eſſe poteſt, allatus autem in hac ipſa conditione reiiciendus non eſt a baptiſmo. Quem a. Beza poſcit baptiſandum, illum cum longe adhuc fuerit, & quidem hanc ipſam ob cauſſam, licet apportatum repellit a baptiſmo, niſi præter id, quod ei oblata eſt promiſſio, ipſe per ſe afferat tabulas, ſeu vt loquitur tabulis iam tũ cõprehendatur. Vbi v. hoc in ſacris legitur, & quomodo ꝑ id ipſum Chriſto & Petro nõ cõtradicitur. Quid ꝙ diſerte ꝓfiteatur Beza, illud a ſe ideo poſtulari, quia baptiſmus inſtitutus ſit ad obſignãdũ tabulas, quas baptiſandus ibi non recipere, ſed

eo afferre debeat, quomodo per baptismum negat quemquã recipi in fœdus, sed iam receptos baptismo saltem confirmari censet, adeo vt si Beza iustam dubitandi causam habeat, nũ iam tum receptus sit, qui afferatur, eum propterea a baptismo arceat. Si porro quæris, *vnde sit illa receptio infantib⁹ ante baptismũ*. Resp. Beza, quia sint nati ex Christianis parentibus, itaq; carnali ꝓpagationi Christianismũ alligat, nõ nomine tenus, neq; tantũ secũdum quendam modũ propinquius oblatæ ꝓmissionis, sed secundũ ipsam realẽ cõphensionẽ in tabulis, præterquã receptione in fœdus nõ sit opus in baptismo, sed duntaxat receptionis obsignatione, cũq; carnalis hæc prerogatiua natiuitatis desit Mahometanis & Iudæis infantibus, ideo eos ait non admittendos ad baptismum. Neq; hanc suam mentem corrigit Beza, quod quæstione 114. pollicetur se admissurum Mahometani vel Iudæi infantem, si afferatur a parentibus suam religionem eiurantibus, qui ipsimet iam baptisati sint, aut baptismũ petentes, soboli suæ baptismum petãt. Sic enim adhuc retinet quod dixit, infantem tabulas fœderis non afferentem, etsi adferatur non esse baptisandum. Si enim parentes Mahometani ab Hungaris Christianis, vt sæpe fit, caperentur, & mulier grauida eniteretur infantem, quem Dominus captiuorum Christianus inuitis parentibus afferet ad baptismum, talem censet Beza non admittendũ.

Quod

Quod vero parentum conditionem mutatã excipit, eo doctrinam suam magis pudendã reddit. Cum n. ex natiuitate carnali si parentes vel alter saltem Christianus fuerit, antea promisisset infanti cõprehensionẽ in fœdere, hoc est, natiuitatis actu infantẽ reuera in fœdus receptum fuisse, testatus esset eandẽ conditionẽ ex mutato animo vel conuersione parentũ in sobolem contra ingenerationis actũ, quẽ antea tantopere vrsit, cõmigrare docet, quo quid minus Christianum sit, vere Christianus & sanus non ostendat. In alia editione Beza explicationis gratia hæc adiecit, si parentes aut cognati, in quorum infans esset potestate, hoc peterent. Cum a. in hac etiam editione retinuerit priorem mentem nimirum nõ esse baptisandos, qui fœderis tabulas rite non exhibuerint, quales eos esse dicit, q ex Mahometanis & Iudæis nascuntur, nihil mitigauit in absurditate, sed auxit eam, qui n. obsecro fiet, vt cognati conuersi conditio istum insignem natiuitatis defectum, quod videlicet infans tabulis fœderis, nisi a fideli genitus non comprehendatur petendo baptismũ suppleat, quẽ alius vel etiã mille fideles præstare nequeant: sic n. Beza subiicit post parentum & cognatorum mentionem. Sin minus, inquit (hoc est nisi quispiam ex parentibus vel cognatis sit conuersus) etiamsi mille adessent sponsores baptismum infanti recusarem. De his vero deliberabunt pii, ac notabunt, quod ius

geniturae non ſolum in tempus alienum, ſed etiã a parẽte in cognatum transferatur, niſiq; ex propinquo ſanguine Mahometano vel Iudaico quiſpiam conuerſus Bezam exoret, mille alios ſponſores ipſi non eſſe æquandos.

VIII. Thesis.

Etiam Christianorum infantes quibus extra ordinaria coditio Ioh. Baptiſtæ ꝙ ſc. in vtero repleantur ſpiritu ſancto, non ſingulariter a Deo contingit iuxta regularẽ doctrinam Chriſtianã, gentes, & non vere Chriſtianos cenſendos eſſe antequã baptiſẽtur. Explicatio.

Circumfertur Epiſtola, qua excuſatur recẽs abolitio exorciſmi in vicina quadã Eccleſia. Neq; ego vlli auctor eſſe velim, vt vel contra ſublatum exorciſmum facile diſputare vel pro reſtituendo eo laborare debeat, qua de re ante annos aliquot, cum ex nobili vrbe de hac quæſtione conſulerer, ſententiam meam hoc ipſo ex loco auditoribus dictaui. In Epiſtola autem excuſatoria Chriſtiani parentes accuſantur, quod ſibi natos infantes, antequã baptiſentur, gentibus annumerent, itaq; errent: quomodo proditur animus auctorum iſtius mutationis, quod cum exorciſmo ſanã doctrinam ſublatam & Caluinianam atq; vna anabaptiſticã ſubſtitutã cupiunt. Probation. doctrinæ vtriuſq; conuenit, quod Caluiniani ſint ſubtiles anabaptiſtę, & hi craſſi Caluiniani, itaq; error in fundamento doctrinæ vtriuſq; cõmunis de inſantũ baptiſmo agnoſcitur, hoc vno excepto, ꝙ Zuingliani & Caluiniani

infantes baptiſent, quàm anabaptiſtæ, donec adoleſcant ſuſpendunt, qua de re auditores relegant pleniorem de baptiſmo tractatũ noſtrũ, vbi & de dictis ſcripturæ, quibus ſacramentarii ſimplicioribus fucum faciunt, reſpõdimus. Quãdoquidem a. aduerſatiua noſtræ theſis eo colore obducta eſt a vicinis, quem in dicta explicatione noſtra non abſterſimus, nunc illud faciemus, atq; ſic cum refutatione diſcentium confirmationẽ noſtrę doctrinę expediemus.

CONFIRMATIO.

Qui in vicinia negant Chriſtianorum liberos pro gentibus reputandos eſſe ante baptiſmum, illi non leue aliquod diſcrimẽ in externa cenſura poſtulant, ſed tale & tantum, quo Chriſtianorum liberi, antequam lauacro regenerationis tingantur, differant a gentilium liberis in cenſura peccatorũ, hoc eſt, negant iſti Chriſtianorũ infantes eſſe æq; peccatores, vt ſunt ex infidelibus gẽtibus nati, atq; huc iſti accommodant teſtimonium Pauli ad Gal. 2. *Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores.* Lutherus/ wir ſind von natur Jüden vnd nicht auß den Heyden ſünder. Atq; ſic putant dicendũ Chriſtianorũ liberos non eſſe peccatores ex gentibus. Quam ſententiam ſi plenius proferre vellent, ſubticere non poſſent hanc partem, Chriſtianorũ liberos eſſe natura Chriſtianos, vt quod in definitione hominum peccatorum negaretur, illud intelligeretur Chriſtianiſmo infantium naturali infarciri. Ad hæc igitur attendat

diiudicans, & integrum locum Pauli expendat Paulus ad Gal.2. cõmemorat, quomodo allocutus sit Petrum non recto pede incedentem, cum inquit: *tu cum sis Iudæus gentiliter viuis & non Iudaice.* Hic primum quærendum est, quid sit natura Iudæum esse, nimirum num idem sit, quod filius promissionis, an v. tantum ex sanguine Iudaico natum & prærogatiuis externis illius gẽtis donatum esse. Manifestum autem est non accipi hic filium promissionis. Paulus enim ad Gal. 3. inquit, *nostis eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahæ*, & ad Ro. 9. *non omnes qui sunt ex patre Israele*: de se autem ad Gal. 2. sic inquit Apostolus, quod in Iudaismo versans summe persecutus sit Ecclesiam Dei, & eam vastarit, & si profecerit in Iudaismo super multos æquales suos, & vt ad Philip. ait: *In lege irreprehensus quod vixerit*, vbi etiam de legali sua iustitia inquit, quod tandem pro stercoribus eam duxerit, vt Christum lucraretur: Et ad Gal. 2. fidem in Christum, qua ex gratia donatus sit, vndeq; cap. 3. filios appellat exclusis operibus legis. Iudæis ergo natura hic non dicitur filius promissionis, sed filius carnis, & licet Iudæorum fuerint promissiones ad *Rom.9.* tamen nõ propter ea censi fuerunt filii promissionis, qui tantum nascuntur applicatione, neque in fœdere sic comprehensi fuere illi, vt carnaliter natis Iudæis obsignatione saltem fœderis sacramentali opus fuerit, sed in fœdus adhuc recipi opor-

oportuit regeneratione per fidem, cũ nemo nisi fidelis censeatur in semine. Cumq; Paulus sibi etiam in religioso Iudaismo versanti fidẽ diu defuisse palam profiteatur, multo minus hanc condictionem polliceberis recens nato Iudęo, atq; hinc intelligitur quid sit quod Paulus dixit, nos natura Iudæi nõ ex gentibus peccatores. Voluit nimirum profiteri, se & Petrũ carnaliter natos Iudæos natura a gentibus discerni, neque quo ad Iudæi & gentes natura peccatores sunt. In hoc vllum discrimen admitti potest, cum disertissima obstent testimonia contraria: nam in hoc ipso 2. *cap. ad Gal.* inquit, *Apostolus quærentes in Christo iustificari, inuenti sumus ipsi quoque peccatores*, certe phrasis καὶ αὐτοὶ ἁμαρτωλοί, nihil discriminis ratione peccati innuit, sed potius æqualitatem, 1. *Cor.* 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*, & 2. Cor. 5 *Statuimus si vnus pro omnibus mortuus fuit, omnes igitur fuerunt mortui*, eã comparationem in summa atrocitate quæ est mortis spiritalis. Sic cum Apostolus Iudæos & gentes comparasset, *Rom.* 2. Iudæis quoque præstantiam præ gentibus concessisset ingẽtem & religiosam, quia ipsis concredita fuerant oracula Dei, adimit tamen ipsis prærogatiuam in hoc quod homines sint peccatores, & inquit: *non est distinctio* (notate hanc expressam negatiuam, qui distinguitis) *omnes peccauerunt & carent gloria Dei.* Sic cum Ephesiis scriberet, se ipsis in quæstione,

nũ natura sint omnes peccatores, nullo modo profert, sed perspicue sic testatur, eramus natura filii iræ, sicut & cæteri. Quibus dictis optime congruit lectio exemplaris Tigurini anno 59. editi: ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοὶ ἰδότες, *nisi tantum ex fide*. Hinc nunc ad Thesin nostram redituris constat, quod sicut manifesta est corruptela doctrinæ Pauli, si quis dicto *ad Gal.* 2. tribuat hanc mentem, Iudæos & gentes in censura num sint natura peccatores discerni. Ita si quis similiter Christianorum infantes a gentium prophanorum liberis in hoc distinxerit, vt illi non tam fœdi existimentur peccatores quam cæteri, is deprauet doctrinam Apostoli.

DE DICTO ACTORVM III.

Vos Israelitæ estis filii prophetarum & pacti, quod pepegit Deus erga patres nostros dicens ad Abrahamum, & in semine tuo benedictionem consequentur.

Hoc dictum coniungitur præcedenti hoc fine, vt natura Iudæus intelligatur filiꝰ fœderis & ꝓmissionis, spirituali ṗrogatiua discretus a peccatoribus ex gentibus, vnde postea colligitur similis cõditio eorũ, q̃ natura Christiani sunt. *Respondeo primũ* nõ ꝓbari cordatis Theologis similẽ certi populi distinctionẽ a gẽtibus in Christianismo institutã esse, qualis Israelitis contigit. His n. ex semine Abrahæ carnaliter prognatis certus locus mundi a Deo decretus certaque politia cum templo Hierosolymis fixo ordinata fuit, quibus externis priuilegiis

ab omnibus gentibus externis diuidebantur, vt cum femini Abrahæ hæ prærogatinæ concessæ essent, Iudæi natura carnis etiã hoc priuilegio differrẽta reliquis populi. Nullibi autẽ in sacris legimus dominum Christiano populo similem externam præeminentiam promisisse, qua cæteris sese gẽtibus natura præferret. Potius autem hoc legitur, vt cum ex vno sanguine Deus condiderit vniuersum genus hominum, vt habitaret per vniuersam superficiem terræ. *Act.* 13. & tamen Israeli suos terminos peculiariter assignarit *Deu.* 32. Tandem per Christum μεσότητα τοῦ φραγμοῦ, & interstitiũ maceriæ solutum & dirutum agnoscatur, *Eph.* 2. Quamobrem nulla amplius est externæ istius diuisionis ratio, quemadmodum Apostolus Gal. 3. inquit, *In Christo Iesu non est Iudaeus neque Græcus.* Indignum igitur est laude Christi, Cristianismum æquare Iudaismo, in prærogatiua natiuitatis carnalis, respectu extraneorum populorum censenda, & sic Christianismum Iudaismum constituere, non solũ præter, sed etiam contra sacrarum literarũ testimonia. *Deinde* notetur prærogatiuam illam Iudaicam, quatenus carnale semen Abrahæ respiciat filios fœderis & promissionis ita cõstituisse sicut Israelitarum, quos Paulus a Deo reprobatos querulatur & dolet, sicut inquam horum fuerunt adoptio, fœdera & promissiones *ad Rom.* 9. Quo tamen iure illos nondum fuisse spirituales filios promissionis cẽsendos,

attestatur ibidem Paulus Apostolus disertissime. *Non omnes qui sunt ex Patre Israele sunt Israel.* Cum igitur præeminentiæ carnalis ius etiam præstantia religionis commendatum, ad Christianos non fuerit translatum, similiter & ius illud non discreuerit inter Iudæos & gentes, quo minus illi, quam hi essent peccatores natura, vt supra demonstrauimus, idemque Petrus repetat, *Actor.* 15. inquiens, *Deus nihil discreuit inter nos & illos fide purgatis cordibus eorum.* Quo doctrinam etiam deducit Paulus *Gal.* 2. superstitiosum profecto & a Christianismo plane alienum est, non solum peculiari carnis sorte filios fœderis constituere inter nos, quemadmodum in Iudaismo, sed etiam eosdem filios cum spirituali adoptione confundere: quod si non est, fidē Christianam omnino tollere, vana erit argumentatio, quod quia oēs sola fide iustificemur, dignitas carnis ad id, vt Filii Dei simus, neque requiri, neque admitti dicatur. Quæ negatio quo spectet & an non fidem totam Christianam euertat intelligentibus deliberandum & statuendum relinquimus. Vt vero res ex hoc textu Petri planior sit, per ius adoptionis, quæ est expromissionis oblatione non necessario intelligi actum receptionis & comprehensionis in fœdere gratiæ, ad quam designandam baptismus faciat, sed filios fœderis dici impiissimos, antequam a suis iniquitatibus sint liberati & gratia Euangelica sanctifi-

cari.

cati. Expendatur primum, quod Petrus illic, quibus loquitur, exprobet, quod principem vitæ trucidarint. Hoc immane peccatū Christus *Matth.* 21. Principibus sacerdotum, & senioribus populi, quos publicanis & meretricibus posthabendos dixerat, parabolice proponit diiudicandū, ipsi vero occisores heredis vineæ, agnoscunt malos perdendosque & vineam aliis elocandam. Quæ ergo sanctæ & gratiosæ filiationis ratio in tanto scelere immanissimæ cædis & parricidii. Deinde huc accommodetur comparatio vos estis filii fœderis; & deniq; explicatio subiecta addatur, *vobis* inquit Petrus, *primum Deus excitatum filium suum Iesum misit, qui benediceret vobis.* Ergo qui in scelerib. a regno Dei & fœdere hærēt excludētibus dicuntur ibi filii Prophetarum & fœderis, itaque non propterea in fœdere actu gratię comprehensi sunt, vt sceleratis gentibus non possit in peccati censura comparari, sed quod etiam huiusmodi possimus, prostet promissio & proponatur, non vt sibi blandientes seque ex numero gentilium peccatorum eximentes, tantum obsignationem promissionis exspectēt, sed in primis, vt agentes pœnitentiam auersionem a sceleribus auferant, sicut Augustinus tractatu 92. in Iohan. inquit, *Christi sanguis sic in rem. peccatorum omnium, sensus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est.* Similis concio Petrina exstat *Act.* 2. Postquā enim Israelitis hunc Iesum

Nazarenum virum a Deo approbatum & apud ipsos præstátibus operibus miraculis cõmendasset, ait hunc ab ipsis sceleratis manib. cruci affixum interemtum esse. Egregia certe definitio filiorum, qui hereditarint gratiam patris. Imo his compunctis corde & quærentibus, quid facere debeant respondet Petrus: *resipiscite & baptisetur vnusquisque vestrum.* Hinc liquet, adoptionem illam populo Iudaico a gentibus distincto propriam, non complecti actum adoptionis gratia, cum illi adoptati ad promissionis participationem inuitati prius iubeãtur pœnitentiam agere, & in remissionem peccatorum baptisari in nomine Iesu. Cum quo nomine prærogatiua & dignitas hominis ex natiuitate carnali contracta nullo modo potest concurrere. Non enim est in alio quoquã salus nec aliud nomen est, sub coelo datum hominibus, per quod oporteat nos saluari præter nomen Iesu Christi. *Act.* 4 Insuper notasse hic proderit, sublata illa prærogatiua, quæ præter gratiæ diuinæ in Christo promissæ actualem fruitionẽ vel legaliter Iudeis peculiaris est ius oblatę promissionis vniuersalis æque gentibus conuenisse atque Iudæis etiam cum primum promissio fieret Abrahæ. Prouidens enim scriptura Deum ex fide iustificaturum gentes, ante Euangelizauit Abrahæ: benedicentur in te omnes gentes *Galat* 3. *Genes.* 12. idemque Petrus. *Actor.* 3. dixit iam cum Abraham natus sit ex parente

Ido-

Idololatra *Iosua* 24. neque postea semini eius ex carnali cognatione alia sit iustificandi & saluandi ratio, itaque nulla præmissa prærogatiua, vt aliter saluentur, sed ipse Pater natus ex Idololatra, tamen fide qua sola ipse iustificatus sit, constituatur Pater omnium vere filiorum, etiam eorum, qui ex gentibus ipsi nasci debeant. *Rom*. 4. *Gal*. 3. Et promissionis illius ius idololatris omnibus accommodatũ sit ab Apostolis gentium Euangelistis, certe ne quidem adoptio illa, quæ etiam extra actum salutaris fruitionis & legalem segregationem Iudæorum ex communi iure promissionis gẽtibus omnibus obtigit nullo pacto ad natiuitatem carnalem restringi potest, quin etiam ex idololatricis gentibus natis simili iuris necessitudine competant, quoniam etiam quidam difficulter credant, tantum errorem foueri a Caluino, & sectatoribus eius qui vniuersum Christianisimum, vt diximus euertat, adscribã verba Caluini ex commentatione ipsius super dictum *ad Gal*. 2. Discrimen enim, quod fuerit inter Iudæos & gentes tale prædicat, quod hæ prophanæ fuerint & impuræ, illi autem sancti, quatenus Deus ipsos in populum cooptauerit. Hoc sane discrimen si de sanctitate legali intelligeretur, non potest negari. Verum Caluinus extendit sententiam suam ad adoptionem spiritualem & ad sanctitatem, quæ est gratiæ Euangelicæ, & opponitur corruptioni spirituali. Etsi n. Dauid filius

Abrahæ confitetur, se ex impuro semine esse genitum *Psal.* 51. tamen inquit Caluinus corruptioni naturæ, cui obnoxii erant Iudæi superueniebat remedium gratiæ, quo sanctificabatur. Hęc Caluinus. Quomodo cum Christianismus etiã hęreditarius statuatur, in quo per remedium gratiæ iustificantur homines, vt corruptioni minus sunt obnoxii: hanc ob causam exorcismus aboleatur: Iudicent pii, an non cum sublato exorcismo veri Christianismi euersionem & commentitii obtrusionem moliantur Caluiniani.

VIV. Thesis.

Baptismus habet promissionẽ annexã gratiæ.

Explicatio.

SAcramentorum κατ' ἐξοχὴν dictorum natura postulat, vt non tantum sint sacra signa, cuiuscumque promissionis diuinæ, verum imprimis & quidem peculiariter sigilla promissionis gratiæ, quæ nõ est generalis, sed illa specialis, quæ omni peccatori in Christo & propter ipsum pollicetur remissionẽ peccatorũ, si credat promissioni. Hanc ergo partem baptismi nunc confirmemus.

Confirmatio.

Mar. 1. *Iohannes baptisabat in deserto & prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Act. 2. *Agite pœnitentiam & baptisetur vnusquisque.* Act. 8. *Cum credidisset,*

set Philippo Euangelizanti, quæ ad regnum Dei & nomen Iesu Christi pertinent, baptisabantur tam viri tum mulieres. Ibidem Eunuchus ad Philippum: *en aquam quid prohibet me baptisari? inquit Philippus, si credis ex toto corde licet.* Act. 19. *Iohannes baptisauit baptismo pœnitentiæ dicens populo, vt in eũ qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est, in Christum. Qui vero audiuerunt, baptisati sunt in nomine Domini Iesu.*

IX. THESIS.

Baptismus ad salutem hominum necessarius est.

EXPLICATIO.

DEo aliquid ordinante quod obseruari ab hominibus velit, necessitas adfertur hominibus per istam ordinationem. Necesse n. est Deo obedire propter Dominum *Rom.* 13. Et oportet Deo obedire *Act.* 5. Talem igitur necessitatem hic intelligimus, quæ ex ordinatione Dei depẽdeat, cui tamen præstandæ largitur Dominus spontaneum Spiritum: Nunquam autem Deus ordinatione quapiam suã liberalitatẽ sibipsi derogauit, verum vt Dominus est omnium, ita super ordinaria reseruauit suo beneplacito extraordinaria. Necessitas ergo hæc non constringit Deum, aut libertatem ipsi adimit, sed obseruationi hominum posita est.

Nobis ergo non licet discedere ab ordinariis, & extraordinaria quærere quãuis manus

Dei nūquam abbreuiata ſit, vt ordinariis mediis deſicientibus extra ordinariis vti nolit vel non poſſit. Quando ergo baptiſmum ad ſalutem dicimus neceſſarium, homines docemus obligari, ne ordinarium hoc medium negligant, vel extra illud negligentibus ſalutem paratam opinentur: interim vero Deo integrum relinquitur, quod etiam citra baptiſmū ſaluari poſſit, vbi & quando ipſe velit, quemadmodum Iohannem antequam in lucem ederetur & ordinario medio circumciſione nimirum in populo in populum cooptaretur, ſanctificauit in vtero. *Luc.* 1. Quo facto Deus ſuum ſupra ordinationes ſuas ius, arbitrium & dominium teſtari & aſſerere voluit. Denique hæc neceſſitas conſideratur in mediis, per quę Deus cum hominibus agit & largitur ipſis ſua dona. Non igitur officit doctrina iſta ſolitudini fidei non admittentis quicquam ad ſalutem ſimiliter neceſſariū in ſuo nimirū foro, quod eſt medii apprehenſionis in hominibus.

Confirmatio.

Primum argumentum iam audiuimus graue & correlatione ordinationis diuinæ obligantis homines ad obſeruationem. Adde nūc quod ſit ſacramentum gratiæ, quæ ſola ad ſalutem neceſſaria, idque ſtabilitur hac ſententia copulatiua Chriſti: Qui crediderit & baptiſatus fuerit ſaluus erit. Altera probatio ſumitur ex doctrina circūciſionis cui reſpondet noſter baptiſ-

baptiſmus: Sic enim Dominus de ipſa Gen. 17. *Circumcidẽdo circumcidetur natus domus tua.* Quæ repetitio neceſſitatis argumentum habet: Quamobrem Pagninus etiam reddidit *omnino circumcidetur*, quodq; Dominus hanc ſententiã verbis his intelligi voluerit expreſſe declarauit ita ſubiiciens. *Incircumciſus autem maſculus, qui non circumcidit carnem præputii ſui vtiq; excidetur anima ipſius de populo ſuo.* Tertia probatio eſt, excluſiuæ orationis Chriſt. Io. 3. *Niſi quis renatus &c.* Etſi vero Caluiniani hic tergiuerſantur, quia tamen mire torquent verba Chriſti, ipſa violentia explicationis arguit vanitatem interpretum, maxime cũ accedant ad eum cũ præiudicio, vt videlicet in ſua præconcepta themata ſenſum cogant, ſe vero ad verba Chriſti non accommodent. Qua de re videatur tractatus noſter de Baptiſmo.

II. THESIS.

Baptiſmus ſi fieri poteſt a miniſtro Euangelii, neceſſitate autem poſtulante, a quouis adminiſtrari debet.

EXPLICATIO.

DE hac theſi minus laborãdum coram eo, cui præcedens bene conſtat. Poſtquam autem non ſolum Anabaptiſtæ craſſiores nimirũ ſacramẽtarii, ſed etiã Cingliani, imo his nonnihil ſubtiliores Caluiniani Theſin bene

ſundatam præconceptæ ſuæ opinionis obti-
nendæ ſtudio nouerunt. Eodem labore neceſ-
ſitatem, quæ præſentiam miniſtri denegat, &
aliorum officium implorat.

Eſtque progreſſus erroris ad veritatis ob-
ſeruationem accuratiorem notatu vtilis. Pri-
mum Zvvinglius omnibus externis ceremo-
niis negauit, quæ ſolius Dei opere fiunt, quaſi
per externa media non præſtaret, quæ nullius
operis egenus ſolus efficere dicitur. Hinc e
baptiſmo ſuſtulit regenerationis effectũ, do-
cens, quod Deus per Sacramentum tanquam
medium rem tantam non operetur, ſed ſi ho-
mo renatus fuerit, tunc baptiſmo hunc vſum
eſſe, vt factum & quod aliunde contigit, obſi-
gnet. Etſi vero alios eius vſus prædicauit, quia
tamen præcipuam fecit obſignationem illi,
ſurrexerunt in eius auditorio, qui inde cõclu-
derent: vanum ergo eſſe baptiſmum infanti,
quibus per auditum, vt adultis fides eſſe non
poſſit, itaq; vel baptiſmum eo vſq; differendū
vel ſi infantibus & pueris, anteq̃ fidem teſtari
queant, collatus fuerit, repetẽdum eſſe. Neq;
poſſunt hæc conſequentia euitari, niſi antece-
dentia e quibus neceſſario emanant tollantur.
Zuinglius autem & poſt eum Caluiniani,
quoniam præuidebant ſibi ex negato bapti-
ſmo infantum, grauiora inter Chriſtianos o-
dia conflari, erroremque minus coram rudi
etiam plebecula palliari poſſe, non fecerunt
quod eſt veritatis amantium, vt cauſas erro-
ris

ris remouerent, sed antecedentia falsa retinuerunt, & sic consequentia intercipere conati sunt. Quandam enim naturalem sanctitatem infantum, qui ex fidelibus parentibus nascuntur commenti sunt, huicque obsignandæ baptismum concesserunt, quomodo & errores hisce aucti fuerunt, & cũ maneret Thesis, non vsque adeo necessarium esse baptissimum aduersus anabaptistas, nullo neruo pugnatum est ab illis, imo baptismus infantum Caluinianis erroribus superstructus, & de sententia ipsorum non potest vanus coargui. Porro ex infirmato baptismi vsu, referunt sacramentarii, huiusmodi necessitatis casum, qui baptismum infantum metu instãtis mortis per quosdam Christianos etiam fœminei sexus recte iubeat administrari. Vnde rursus anabaptistæ pro sua dilatione argumentum haud consequuntur. Quemadmodum vani disputatores solent, vt quando deest e re nata propositi confirmatio, tũ ex vicinia speciem aduocent quam erroribus induant, ita hinc digressi sunt sacramentarii in disputationem nouam, videlicet necessarium esse, vt baptismus, per legitimum ministrum Euangelii cõferatur, neque licere illi, cui munus docendi in Ecclesia publicum demandatũ nõ sit, vt necessitatis p̃textu sibi munus baptisandi sumat aut iniungi patiat᷑. Vtq; hæc cõtrouersiæ particula plus coloris p̃beret aduersariis, arreptus ẽ

locus de mulierum baptiſmo, quem vehementibus declamationibus pudendum perſuaſerunt ſimplicioribus. Hanc vero accumulatorum certaminũ occaſionem nouiſſe vtile eſt, vt partes cõtrouerſiæ non per ſe ſaltem, ſed ſimul in acie aduerſus veritatem inſtructa conſiderate prudentius probari poſſint, quid periculi minentur.

CONFIRMATIO.

Primum fatemur rite adminiſtrari baptiſmum in Eccleſia ab iis, quibus munus publice docendi in eadem ordinarie cõmiſſum fuit. Diſerte enim Chriſtus ad Apoſtolos dicit, *euntes docete omnes gentes*, in hoc ergo non diſſentimur. Verum in eo hæret quæſtio, *num ſolummodo eos oporteat impartiri baptiſmum, qui miniſterio verbi publico in Eccleſia ordinarie funguntur, adeo vt nulla neceſſitate aliis poſſit idem permitti*. Huius excluſiuę affirmationem falſam pronuntiamus. I. Quia nullibi in ſacris literis illa excluſiua legitur. II. Quia Chriſtus docuit, non vero ipſe, verum per diſcipulos baptiſauit *Iohannis* 4. III. Quia Apoſtolus Paulus 1. *Corinth.* 1. ſcribit, ſe a Chriſto miſſum, vt Euangelizaret non vero, vt baptiſaret, quomodo diuiſa eſt copulatiua muneris docendi & baptiſandi, itaque non neceſſaria, cum neceſſaria, quatenus talia ſunt, vniuerſalia ſint exceptionem non admittentia. IIII. Si diſcipuli Chriſti recte baptiſarunt volẽte Chriſto cum

sto cum docendi munus de mandato magistri nõdũ obiissent & Pauli baptismus legitimus habitus fuit, etsi mãdatum baptisandi non accepisset. Confirmatio Thesis nostræ manifesta est, vt nullo iure reprehendi possit. De voluntate autem & sententia Christi, iuxtaque exemplum Apostoli probatus sit baptismus a mero auditore Christiano præstitus, quando inprimis necessitas ordinarii ministri præsentiam & exspectationem excluserit. Semper enim excipimus temerarium ausum, qui ordinem in Ecclesia nulla necessitate immutat aut peruertit. Videantur plura in tractatu pleniore.

XII. THESIS.

Caluiniani Baptismum per obstetrices & mulieres collatum malitiose calumniantur.

EXPLICATIO.

CRiminatio baptismi mulierum sumitur, vel ex reprehensione necessitatis, qua hoc munus ad mulieres, deuolui dici possimus, vel ex definitione ministerii verbi, quod per mulieres profanari fingunt Sacramentarii.

Quandoquidem autem vtriusque argumẽti vanitas ex præcedentibus patet, nouam de mulieribus thesin institui non fuisset necesse, quanquam ex harum personis nouum suo errori pigmentum emendicent aduersarii.

Verum vt dictum Apostolicum, de quo tanquam apposito testimonio illi multum gloriantur, peculiariter explicaretur, mētionem sexus muliebris & calumniæ Caluinianæ hac Thesi singulariter facere volui. Itaque de fallacia per istam auctoritatem commissa potissimum nunc agam.

CONFIRMATIO.

Apostolica vox est 1. Corinth. 14. *mulieres vestræ in Ecclesia taceant.* Non enim permissum est illis, vt loquantur 1. Timoth. 2. *Mulier cum silentio discito cum omni subiectione.* Hinc concludunt Caluiniani mulieres non debere baptisare. Ratiocinatio autem claudicat tum, quod munus docēdi cum munere baptisandi non perpetuo & necessario coniungatur, vt supra demonstrauimus, tum quod munus docendi non simpliciter prohibitum sit, mulieribus, sed secundum quid. Nihil enim hac fallacia liquidius ēst, cum diserte Apostolus loquatur de Ecclesia præsentiū virorum, in quos non liceat mulieri sumere auctoritatem, quæ docendo in discentes vsurpatur.

Sed plenius excutiātur monumenta Apostolica, vt agnoscatur fœdus abusus Caluinianus, huc enim argumentatio ipsorum recidit, *mulier in Ecclesia taceat.* Ergo vbique & sic domi quoque. Quia enim de baptismo mulierum quæritur, de eo quod domi fit agitur

tur, plus ergo est in consequente, quam erat in antecedente. Ac nisi ad mentem Apostoli attendas, plane sermonis vsu interdices mulieri, cum dicat Apostolus mulieri loqui non est permissum, sed esse in silentio: in Ecclesia ergo præceptum istud locum habet, non vbique neque de sermone quouis cohibendo in Ecclesia agitur, quod historia Lydiæ *Act.* 16. & mos priuatæ Ecclesiæ, vbi mulieres antequam baptisabantur, fidei rationem reddebant in Ecclesia, refellit. Accipitur autem solummodo de ratione docendi publice, neque hac tamen omni. Ne enim nunc dicam de extraordinariis exemplis diuino instituto factis Paulus *ad Coll* 3. genus docendi in cantionibus ponit cum inquit: *sermo Christi habitet in vobis copiose &c.* Hoc vero vtrique sexui conuenire etiam in Ecclesia quis prohibet, cum in veteri testamento ordinarii cantores & cantatrices fuerunt 2. *Paral.* 35. Item, 1. *Esdra.* 2. Atque hic de mulierum silentio agens Apostolus diserte rationem adfert, quæ vtriq; testamento sit communis, quia eam fundat in lege, nec Ecclesia genus sub quo domus, vt species subsumatur. Si vero instetur esse etiam Ecclesiam domesticam, fatemur hoc, sed tam late accipi vocabulũ in antecedẽte, prius probandum esset, præsertim cum Ecclesia domestica etiam sit, vbi tantum mater cum liberis agat.

Hanc vero Ecclesiam matri commendatam esse, vt doctrici dubium non est. Liberi enim vtrique parenti lege Dei obligantur ad obedientiam præstandam. Estque inprimis paternum officium persuadere liberis docendo, quod illos nosse & facere velit. Cumque Paulus *ad Ephesios sexto* mandasset liberis auscultare parentibus his præcipit educationem liberorum in doctrina & monitis domini, Patre etiam mortuo viduæ incumbit, illud officii, præcipue sicut 1. *Timoth. quinto* inquit Apostolus: *Si qua vidua liberos aut nepotes habeat, contra has profecto concessu operas allegari non possunt*, Apostolica testimonia de mulierum silentio, imo in Ecclesia etiam domestica, in qua viri sunt, non simpliciter negantur partes docendi mulieri. Non enim vt vitiosum, sed vt laudatum opus recitatur. *Actorum decimo octauo*, quod Aquila & vxor eius Priscilla Apollum in Synagoga docentem adsumserunt & exquisitius instituerunt. His ergo consideratis & exceptis excipiendis mulieri in Ecclesia publice docere, non est ordinarie permissum, additurque ratio, ne auctoritatem vsurpet in viros. Si ergo ratiocinentur isti mulieri in Ecclesia docere permissum non est, propter legem subiicientem mulieres viris. Ergo omnino vetitum est publicum docendi munus mulieribus. Hic rursus plus concluditur quam præmissum fuit. Indefinita enim

oratio

oratio constituitur vniuersalis citra necessariam rationem. Causa enim vna simplicem prohibitionem non reddit, & ea, quæ datur, quasi exceptionem non admittat allegatur, cum tamen sint extraordinaria exempla diuina. Quod si adieceris, ordinario modo id permissum non esse, tum in adiecto necessitatis erit concessa exceptio. Ordinarius n. modus legē accipit a necessitatibus, ordinario excludentibus, pſertim cū res cui ceremonia destinata est, sine salutis humanę dispendio nullo tēpore quo fieri possit omitti debeat, qualis est vsus verbi ministerialis in necessitatibus. Si n. tempore belli in vrbe aliqua omnes mares interficerentur & solis mulieribus ciuitas relinqueretur vel alio casu cogerentur mulieres, quibus adesset vir nullus, quemadmodum, *apud Eusebium libro.* 1. De Constantino legimus, Licinium imperatorem lege prohibuisse mulierum cum viris congregationem, tum certe commonefactiones publicæ ad preces, doctrinæ item & consolationes maximopere tum necessariæ recte in Ecclesia illa peragerentur a mulieribus idoneis ad docendum. Neque hæ necessitate solum excusarentur, verum etiam in legem Dei non peccarent, cum hanc tantum ob causam interdictum sit mulieribus publico docendi munere, ne auctoritatem sibi in viros sumant, vel legem de dominio virorum & subiectione mulierum violēt, id quod

in illa necessitate nõ fieret. Quod si etiã viri interessent infantes tamẽ, ipsi in cõfessione fidei & inepti ad docendum, vel Hæretici, mulier v. fundamenta sane doctrinæ calleret, & docere posset, audienda hæc esset in Ecclesia potius, quam omittendum studium synceri verbi necessarium. Ideo n. Deus interdum Prophetissam excitauit, ne id muneris mulieribus omnino etiam necessitatis tempore illicitum putaretur. Et præterea hoc officium prioris tabulæ Decalogi opus est, cui cedit lex posterioris tabulæ. Non n. minus lex Dei est, coram cano capite assurgere *Leuit.* 10. quã præceptũ de viro superiori ætate, & tamen senes doceri possunt a iuuenibus. Et si hoc fieri potest a iuuenibus salua reuerentia in senes, quemadmodum Timotheo in priore Epistola *cap.* 5. dicitur: *senes honorant patrem*, ita mulier in cœtu virorum non temere, sed quadam necessitate adacta modestiæ & reuerentiæ viris debitę simul studere potest, cuius rei eximium exemplum præbet oratio Abigael dehortantis Dauidem a cæde, ad quam faciendam Nabalis morositate commotus cõtendebat. 1. *Sam.* 25. Vt quæ plena sit doctrinæ grauissimæ, genere a. docendi modestissimo & muliebri decoro maxime insignis, de qua ipse Dauid sic statuit, benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum. Hactenus ergo didicimus non simpliciter vetitum esse, ne mulier doc[illegible] etiam in

in Ecclesia , id est, publico adhibeatur vnquã, sed demonstratæ sunt exceptiones necessariæ. Etsi ergo immotum esset Caluinianum thema, baptisandi munus nulli concedendum esse, nisi cui partes docendi in Ecclesia legitime demandatæ essent, tam baptismi tamé administratio mulieribus committi deberet quam partes docendi. Itaq; contra necessitatis exceptionem nostram temere & impie debacchatus fuit Beza, qui ne de satana non tam proterue statuit atq; de mulieribus, siquidem illi cui docendi munus omnino non competit hypothesin largitus est, vt si in cathedra ministerii sedeat Sathan, legitimum & verum baptismum eum administraturum censeat. De muliere autem indignum putat causam antecedẽtis in Hypothetica affirmari vt defendatur consequens, hoc est, permittere mulieri aliquando ministerii docendi partes, vt baptismum legitime administrare posse obtineatur. Verum supra etiam hoc euicimus, nõ necessario munus baptisandi cum munere docendi coniungendum esse, adeo vt ei non liceat baptisare, cui ministerium docendi commissum non sit, multo ergo magis verox censura Bezæ est contemnenda & propter necessitatem baptismi quam ipsam ipsam probauimus indubitanter statuendum est, licere mulieribus, vt moribundis infantibus, tum, quando minister Ecclesiæ vel mas præsto esse nequit, baptismum impertiant.

The-

XIII. Thesis

Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & purgationis, non ſignando tantum ſed etiam efficacia.

Explicatio.

HÆc theſis primarium offendiculum ſpectat quod Cinglium præcipitauit in errores ſacramentarios, qui vltra ſexaginta annos Eccleſiam vehementer exercuerunt, quia nim. indignum putabat ſpiritualia beneficia exſpectare ex ceremoniis in oculos incurrentibus & circa res terrenas verſantibus, idque in inſtitutis humanis, quæ tam ſacra Chriſtiana per vniuerſum orbem auctoritate Papæ Romani obruerant iuſtiſſime reprehendebatur ritibus a Deo ordinatis, vt ſunt baptiſmus & cœna Domini, eandem cenſurã adhibuit. Etſi enim ſignandi & obſignandi quoddam ius ſacramentis a Deo inſtitutis largiebatur, itaq; hæc ritibus mere humanis præferebat, efficaciã tamen diuinã earũ rerũ, quarum ſigna venditantur, audacius inde ſequeſtrabat, ſpecioſo prætextu falſus & fallens, q; ſolus Deus regeneraret, iuſtificaret, purgaret & ſaluaret homines. Nos vero hanc Theſin, & ipſi amplexantes efficaciam illam, diſertiſſime negamus creaturarum δύναμιν & proprietatẽ eſſe vel fieri, quacunq; etiam ſanctitate a Deo prædita, adeo vt nequidem humanæ naturę Chriſti quæ tamen perſonali vnione cũ λόγῳ coaluit arctiſſime, tantum tribuamus,

mus, vt quæ Dei propria ſunt, ſua venditet Idiomata. Interim vero hanc ſolitariam rationem, qua Deus ſibi ſua tum proprietate naturali, tum naturalibus actionibus ſoli aſſerit & perpetuo ſolus ita retinet vt nulli creaturæ ne quidem ſic carni a λόγῳ perſonaliter aſſumtæ eadem ſimiliter communicet. Hanc inquam rationem ſuo ſic loco conſtanté non concedimus tollere communicationem, quæ originis & inſtrumentis ſine violatione præmiſſi ſingularis modi conuenit; ſicut κύριον αἴτιον ſua definitione incommunicabili conſtare poteſt, vt ſolitarium ſit, etſi per inſtrumentum agat, & ſic inſtrumentalem efficientem admittat præter violationem ſuæ rationis. Sic igitur de ſacramentis negamus ea quicquam ſpiritualium donorũ conferre, vt κύριον αἴτιον, ſed ꝙ vt inſtrumenta per quæ Deus ſua agat cauſæ efficientis rationem in illis nullam obtineant, & hoc pernegamus, monemus tamen vt cum inſtrumentorum phyſicorum modi, quibus ad efficiendum communicent, ſint varii: ita in his ſacris inſtrumentalibus certum aut vulgarem phyſicum modum non inſtituamus, ſed myſticum & imperſcrutabilem agnoſcamus. In diſtinctione ad hoc vnice attendentes, ne gloria Dei creaturæ ita tribuatur, vt modo proprietatis immutabilis ſoli Deo debita ſtatuatur communicabilis. Et hæc quidem traduntur hoc loco, vt noſtra ſententia de efficacia baptiſmi oſten-

datur, abstinere a violatione honoris, qui Deo soli debetur. De Cingliana autem opinione monemus, quod simpliciter neget, Deum operari regenerationem per baptismum, itaq; sacramentum hoc, ne quidem organum regenerationis permittat, cui doctrinæ opposita est thesis nostra nunc confirmanda.

Confirmatio.

Marci. I. *Vocatur baptismus resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.* Et *ad Titum* 3. appellatur *lauacrũ regenerationis & renouationis Sp. sancti* De his testimoniis queritur, num hoc velint, Deum per baptismum ista opera efficere, an v. solummodo obsignare, cum extra & præter baptismum a Deo efficiantur. Primum a. affirmamus & sic probamus, Christus diserte inquit Ioh. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit introire in regnũ Dei.* Et ad *Tit.* 3. *satis aperte dicitur: saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ad Eph. 5. dicitur *Christus purgare Ecclesiam lauacro aquæ in verbo.* Hæc perspicue loquuntur de actu & opere, q; in baptismo fiant. Obsignationis quoq; actus nullus est, vbi res obsignãda nõ est. Si ergo circũcisio fuit sigillũ iustitię fidei vt Paul. *Ro.* 4. docet & fides & fidei iustitia cõcedenda est iis, quos dicemus circũcisione vsos, vt sigillo iustitiæ fidei. At infantes carnali propagatione illã iustitiam nõ obtinuerunt, cum etiam Israelitarum liberi fuerint

filii

filii iræ vt cæteri, *ad Eph. 2.* Et circumcisi tamen. Aut igitur circumcisione operatus est Deus in ipsis fidem, vt constaret iisdem fidei iustitia: aut alius modus a Deo ad collationẽ istorum bonorum ordinatus monstretur circumcisionem antecessisse. Christus certe circumcisionem inter opera sanationum hominum recenset. *Ioh. 7.* At corporalis non fuit facta sanatio. Ergo spiritualis. Id quod Paulus iustitiæ fidei commonet mentione. Sicut ergo in circumcisione Deus operatus est regenerationem ita in baptismo, qui circumcisione successit effectus huiusmodi derogandus non est, præsertim cum verbum Dei illum de actu baptismi prædicet. Huc pertinet dictum. *Rom. 6. Sepulti ergo sumus cum Christo per baptismum Christi in mortem, vt sicut Christus &c.* Ad Coll. 2. *In Christo circumcisi estis in circumcisione &c.* Hic circumcisio spiritualis seu mortificatio veteris hominis & resuscitatio noui, hoc est, regeneratio, qua nascitur fides ad iustitiam, diserte dicitur fieri per baptismum, non quod aqua & externa ministri actio sua vi illud agant, sed quod fides a Deo efficiatur per baptismum tamen ipso efficaciter agente, vt per medium sacramentale a se ad hoc opus ordinatum.

XIIII. THESIS

Neq; regeneratio si in baptismo fiat, sacramentum facit neq; si desit sacramentum tollit.

EXPLICATIO.

POstquam signandi ratio in sacramentis religiosior haberi cœpit, quam a verbo Dei diserte edocti sumus, inter omnes quęstiones, quæ de baptismo mouentur, difficilima exsistit, quæ sit natura eius sacramentalis. Ac si quis ad naturam signandi attenderit, aquam signum reperit, quę autem res signata sit, quęrit: cui cum institutio non succurrat, & tamen mens semel digressa extra metam retro pedem ferre nesciat, tandem ex eo, quod baptismus lauacrum mundationis est, vago inquisitori occurrit sanguis Christi, per quem homines mundantur a peccatis, quomodo aqua putatur signare sanguinem Christi primario modo sacramentali & ad modum sacramentalium locutionum panis est corpus Christi, & vinum est sanguis Christi, confit prædicatio in verbo Dei non ita exstās aqua baptismi est sanguis Christi. Cumque de præsentia sanguinis Christi in vel cum aqua non sit prompta similis probatio, qualis in verbis cœnæ datur de præsentia sanguinis Christi in vel cum vino, ideo astute conducitur baptismi ratio ad explicationem cœnæ Domini, vt sic vnum per alterum diluatur & adulteretur. Quoniam autē hæc intricatio aliunde non est, quam quod multi naturam signorum præsupponunt naturam omnium sacramentorum, eamque non accessoriam, sed essentialem & formaliter genuinam exsequente æstimare licet, quę sit antecedentis probatio:

Etſi vero nō eſt ſacramentū, cui natura ſignorum tandem non poſſit aptari, hinc tamen ſacramenta originaliter, & ſecundum mentem Dei formaliter cofinci, id verbo Dei probari nequit, atq; huc colliniet veritatem inquirentis oculus. Deinde in examine vel doctrinæ baptiſmi conſideratione liquebit, iſtam rationem eſſe fallacem. Si enim ſignandi natura eſt id, quo baptiſmi ſacramentum primario conſtat, neceſſe eſt illud ex inſtitutione demonſtrari poſſe, vel generali vel ſpeciali. Aut enim generalem hanc doctrinam a Deo præcipue traditam fuiſſe, oportet demonſtrare, omne videlicet ſacramentum ſignandi ratione primario ſacramentum eſſe: aut in ſingulis id neceſſe eſt, certo declaratum eſſe, cum in doctrina Chriſtiana maxime, vbi myſterium latet, nihil poſſit recte affirmari, quod perſpicuo verbo Dei deſtituatur, ſed neque generalis illa doctrina vllibi a Deo promulgata legitur, neq; in ſingulorum ſacramentorum inſtitutione apparet, cum tamen neceſſe ſit ex inſtitutione ſacramenti naturam eius agnoſcere, & quidem, vt in baptiſmi doctrina nunc pedem figamus, non reperimus in inſtitutione eius ſignandi rationem ſacramentum primario conficientem. Ioannes quidem prædicauit pœnitentiæ baptiſmū, ſed ſi hinc ſubſtantiam baptiſmi confeceris, ordinata baptizandi actio accipietur pro parte ſacramenti, nimirum pro ſigno, vt pœnitentia ſit altera

pars rei nimirum signata, quomodo bapti-
smus non erit sacramentũ integrum, nisi pœ-
nitentia adfuerit. Verum Ioannes suum ba-
ptismum, qui aqua fiebat, & si Christo tribue-
ret, quod igni & spiritu baptizaret, prædica-
bat nihilominus vt baptismum, itaq; inter sa-
cramentum baptismi & fructum eius distin-
guebat, & secundum Christum definimus a-
ctionem baptizandi, quod fiat aquæ affusione
seu intinctione in aquam, atq; recitatione ho-
rum verborum: Ego baptizo te in nomine
patris, filii, & Spiritus sancti. Apostolica quo-
que Ecclesia vocauit hanc actionẽ baptismi,
qui etiam sacramentũ est, quatenus ita ad præ-
scriptum Christi peragitur, quod vero poste-
actionis huius analogia quædam est ad fructũ
baptismi, nimirũ ablutionis similitudo, ibi i-
ne fatemur signandi rationem, & huiusmodi
sacramentum tum agnoscimus. Verum vt fru-
ctus non constituit arborem, ita hæc ratio po-
sterior nõ constituit baptismum, quatenus e-
primario sacramentum actione certa circa e-
lementum applicandum peragendi a Christo
definitum, itaq; in substantialibus integrum
citra fructum, licet huius ipsius fructus gratia
sacramentum hoc ordinatum sit. Christus
baptizatos diuidit in saluandos & damnan-
dos, cum inquit: *Qui crediderit, & baptiza-
tus, &c.* At fieri non potest, vt, qui non cre-
dant, damnentur, baptizati dici possent, ni-
fides a natura sacramenti & substantia bap-
tismi.

mi distinguenda foret, quandoquidē signandi ratio, quæ posterior est in sacramentis, ad substantiam eorū nō pertineat, ideo regeneratio, & quicunq; fructus baptismi, quos similitudine externæ actionis signari intelligimus, siue fiant, siue nō, neq; cōstituent, neq; tollent baptismū & sacramenti rationē vel naturam primariam. Hac etiam explicatione expediri potest similis intricatio in doctrina de cœna Domini, vbi sacramentū nō, sicut actione sua primaria definitur, sed quemadmodū tota illa externa actio ἀναλογίαν habet cū interno vsu, præsentiā suppeditat corporis & sanguinis Christi, quæ est in spirituali cōmunicatione cum fideli pectore, quam tanquam ad negandā alteram illam, q̄ cum pane & vino disertis verbis Christi statuitur, subministratam allegant Caluiniani, & ad speciē sacramentalem priorē simulandam venditant aliquod simulacrum præsentiæ, signandi respectu ad vsum externū, quo tamen simulacro primariam & genuinā substantiam sacramenti cum posteriore non constituente, sed consequente vitiose permutant. His sic cognitis, siuaque confusione, quæ manifesta est, laborantibus moueamur, vt in censura veritatis sacramentorum pendeamus potius ab institutionis forma, quam a suggestione humana. Natura ergo sacramentalis primaria baptismi hæc est, quod sit actio sacra, a Deo instituta, constans immersione hominis in aquam, vel aquæ aspersione, & horum

verborum recitatione: *Ego baptizo te, &c.* At licet hic signandi ratio ante omnia non ostendatur, sacramentum tamẽ hoc inde integrum agnoscatur, quia sic a Christo describitur. Quod si signi rationem hic omnino desideras, noli effectum baptismi ascissere, vt naturam primario sic dicti sacramenti, hinc demum conficias, neq; digredere extra descriptionem substantiæ, sed potius actionem illam externam a Christo ordinatam credas, esse præsentiæ sacrosanctæ Trinitatis symbolum, quemadmodum verba eius institutionis meminerunt, vt in substantia sacramenti, quod quæris, inuenias, neq; tamen ex symbolica istantione, sed ex ipsa pręsentia naturam sacramenti primariam cense, sicque ordinatum hoc sacramentum scias, vt antequam signi ratio locum habeat, inprimis pręsentia Dei realis pręstetur. Postquã autẽ res inuisibilis cum visibili realiter præsentari docetur, vnde sacramentum natiua natura primario constat, tum demum res inuisibilis potest dici signum & symbolum inuisibilis, neq; erit hic signandi vsus institutioni fraudi, quamdiu illum subordinati loci obtinuerit, perdet autẽ sacramenti naturam, si originalem constitutionem, seu primario constituentis causæ partem sibi sumserit. Atque hinc rectius intelligitur, quomodo sacramentum integrum & bonum etiam infideli recipere possit, in quo alias multum sudatur, & nisi ad institutionem disceptatio reuocetur,

tur, longe a veritate aberratur. Atq; hinc discitur, non necessario affirmari, omnes baptizatos regenerari, item agnoscitur hoc modo perperam dictum, quod baptismi sacramentum violetur, nisi omnis baptizatus necessario etiam renatus credatur. Qui porro sacramentariis hoc bellum inferunt, nondum intelligunt neruum erroris sacramentarii, cum in confusionem substantiæ sacramenti & fructus eiusdem descendant, illud docendo, ex quo fonte multi sacramentarii errores manarunt certe, sicut per verbum, ita etiam per sacramenta libere agit Deus, licet ista sint conuersionis & obsignationis hominum ordinaria media, & retinent organa suam sanctitatem atque vim, etsi Deus effectum salutarem suspendat pro libitu suo, contra cuius arbitriũ disputare non licet, non tamen hominis iudicium facere de indiuiduis baptizatis, maxime infantibus, quænam regenerentur, quæ non. Hoc enim est eius, qui corda probat. Huc pertinent nobiles sententiæ Augustini, non solũ generales, sed etiam speciales: in genere enim de sacramentis & verissime dictum est: non interest, cum de integritate sacramenti & sanctitate tractatur, quid credat, aut qua fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest, *lib.* 3. *de baptismo contra Donatistas, cap.* 14. & *lib.* 6. *cap.* 44. sic scribit: *Potest fieri, vt aliquis peior*

sit Ethnico, & tamen in eo Christi sacramentum non solum sit, sed etiam non sit peius, quam in homine sancto & iusto. Etsi enim, quanto in illo homine est, nō ipsum seruauit, sed animo & voluntate violauit, tamen, quantum ad ipsum attinet sacramentū, & cum contemtore & repudiatore integrum permansit. Et lib. 6. *Salus propria bonis, sacramenta communia bonis & malis.* In specie vero accommodat hæc Augustinus ad doctrinam baptismi. Sic *in Psal.* 76. scribit: *Omnibus in nomine patris, filii, & spiritus sancti baptizatis, commune est lauacrum regenerationis, sed ipsa gratia, cuius sunt sacramenta, qua membra corporis cum capite suo regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam hæretici habent eundem baptismum, & falsi fratres in communione nominis Catholici.*

XV. THESIS.

Renatus in baptismo per eundem inseritur Christo.

EXPLICATIO.

QVæri solet, num Christus, tam in baptismo, quam in cœna præsens sit corpore & sanguine suo. Ad quod respondemus, in cœna duplicem esse præsentiam, sacramentalem nimirū & spiritualem. Sacramentalis est, quod corpus Christi cum pane benedicto, & sanguis Christi cū vino benedicto porrigitur ore vescentibus & fruentibus. Similem præsentiam de baptismo nō possumus docere. Sicut enim in sacra cœna illud credimus, quia Christus dixit:

xit: *Accipite comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus*: ita, cum in baptismo non soli manducationem & bibitionẽ sacramentalem non instituerit Christus, sed etiam de baptismi aqua non dixerit, quod sit corpus vel sanguis ipsius, constanter profitemur dissimilitudinem. Quod vero credens in sacra cœna insuper spiritualiter edit corpus, & bibit sanguinẽ Christi, itaq; Christus non spiritu solum, sed etiam corpore & sanguine suo vnitur cũ credente, & sic in ipso habitat, illã præsentiam & baptismo & nudo ministerio verbi, h. e. per sacramenta nõ vestito cõmunem statuimus, cũ verbum Dei hoc diserte doceat, vt de baptismo nunc ꝓbabimus. Collationẽ autem hanc simul hic instituere voluimus, vt adolescentes diiudicare discant Caluinianorũ declamationes, quas in æquandis his sacramẽtis cõsumunt, vt eandẽ præsentiam sanguinis Christi in cœna vrgeant, quę sit in baptismo, in quo tamen decipiuntur cõfusione diuersarũ quæstionum, quarum prior de substantia, altera de fructu sacramentorum agit, vel confusione sacramentalis & spiritualis præsentiæ.

CONFIRMATIO.

Rom. 6. *Sepulti ergo sumus vna cum Christo, &c.* Nam si insititii facti sunt illi σύμφυτοι (Beza, si cum eo plantati, coaluimus) per similitudinem mortis eius, nimirum etiam resurrectionis similitudine coalescemus, Gal. 3. *Quotquot in Christum baptizati estis, &c.*

OBIECTIO.

Ex dicto *ad Galat.* 3. apparet, omnes baptisatos inseri Christo. Ergo omnes etiam, qui baptizantur, regenerantur, cum nemo Christo inseratur, non renatus, itaque destruetur Thesis XIV. Respond. Substantiam & fructum sacramenti necessario discerni certum est: quemadmodū & hoc liquet, fructum baptismi non esse ex opere operato, vt tanquam naturaliter agens, efficax sit, sed pendere a liberrima efficacia Dei, quam libertatem ordinaria media necessitate allata nequaquam tollunt. Discretum etiam iudiciū Christi, *Matth.* 16. reprobandū non est. Constabit ergo thesis nostra. Ad dictum vero Pauli respondeo, quod Erasmus & Lutherus ita ibi legant, *quotquot baptizati estis*, quomodo simpliciter de omnibus baptizatis agi videretur. Vetus autem versio habet: *quicunq; in Christo baptizati estis.* Et testatur Beza in omnibus vetustis codicibus, quas viderit legi, ὅσοι εἰς χριστὸν ἐβαπτίσθητε, *quotquot in Christum baptizati estis*, quam lectionem habent regium Parisiense, Tigurinum, item & Benedicti Aretii Plantinum, quæ hodie inspexi. Iam si attenderimus ad phrasin, *quotquot in Christum baptizati estis*, quæri potest, num phrasis hęc baptismo communiter conueniat, & certe, si in Christum baptizari, est, quod ad *Rom.* 6. dicitur: *Sepeliri cum Christo in mortem, & resurgere*, tum effecti mentionem & realem rationem proponit Aposto-

Apoſtolus, itaq; non omnes baptizati ſimpliciter, ſed tantum eos appellari conſtabit, qui baptiſmum vna cum fructu percipiant: quotque velit hoc Apoſtolus, monet verſus præcedens, cum inquit: *omnes filii Dei eſtis*, neq; Christus fruſtra hac oratione vtitur: *qui crediderit & baptizatus fuerit*. Vtiq; hic planum fit, baptiſmum ſine fide eſſe poſſe, & damnari baptizatos, qui non credant. Si quis vero dictum ad *Galat.* 3. de quibuſuis baptizatis acceperit, hunc in illo ipſo dicto diſcernere oportet, ſicut fecit Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo cap. 24. *Induunt*, inquit, *homines Chriſtum aliquando vſq; ad ſacramenti perceptionem, aliquando vſq; ad ſanctificationem. Atq; illud primum & bonis & malis poteſt eſſe commune, hoc vero alterum proprium eſt bonorum & piorum.* Hæc Auguſtinus. Vnde cognoſcitur, quamcunque acceperis interpretationem, conſtare Theſin XIV. noſtram, non obſtante Apoſtolo.

XVI. THESIS.

Etiam infantes recte & ſalutariter baptizantur.

EXPLICATIO.

QVod infantum baptiſmus in dubium vocatus eſt, hoc inde euenit, quod baptiſmo derogatum fuit effectum regenerationis, & cum obſignatio baptiſmo competeret, nec in infantibus res ſignanda appareret, aut ſperaretur, euacuatores ſacramentorum ſciſſi ſunt:

quibusdam infantibus baptismum prorsus denegantibus, & in infantia baptizatis alium in adulta ætate baptismum decernentibus, vnde Anabaptistæ dicti sunt, qui, vt plures ex plebe fallerent, negarunt mandatum in verbo Dei baptismum infantum, quo, antequam inquireretur accuratius, plurimi perturbati sunt & præoccupati. Quibusdam tanto paradoxo nō commotis, vt antecedens desererent, sed pertinaciæ studio, & vt fratribus suis apertius agentibus cum specie resisterent, varie quærentibus in recens natis aliquid sanctitatis ex parentibus Christianis promanantis, & natiuitate carnali cōmunicatæ, vt sic duobus præcipuis argumentis nixi fuerint Anabaptistæ. 1. Sine mandato. 2. Frustra baptizari infantes. Zvvingliani vero, etsi vtrumque velint videri refutare, salutarem tamen baptismum reuera negant cum Anabaptistis. Itaque hactenus frustraneam eius collationem in infantibus reuera coarguunt. Contra duo ista argumenta, quorum posterius etiam Zvvinglianorum & Caluinianorum dogma cudit, Thesis nostra duo asserit, recte nimirum & salutariter baptizari infantes.

CONFIRMATIO.

Primo de mandato Dei baptizari infantes, itaque recte: *deinde* salutariter istum baptismum conferri probabimus. Sic enim argumentamur de primo, Sacramento, quod de manda-

mandato Dei ad omnes homines ſine diſcrimine ætatum pertinet, recte etiam initiantur infantes. Baptiſmus eſt ſacramentum, quod de mandato Dei ad homines nullo ætatũ diſcrimine habito pertinet. Ergo infantes baptiſmo recte initiantur. Minoris probatio exſtat, Matth. vlt. *Euntes, docete omnes gentes, &c.* Sicut ergo infantes non communicant menſæ Domini, quia Paulus dixit: *Probet vnuſquiſq; ſeipſum, &c.* 1. Corinth. 11. Ita infantes, aiunt, non eſſe baptizandos, quia non poſſint doceri, hocq; ſolummodo adultis competat. Non vero iam dicam, quod diſtinctæ ſint partes officii Apoſtolici, docere & adminiſtrare ſacramenta, vnde tamen diſtincta vſurpandi ratio emergit, ſed copulatiua, quaſi neceſſario propoſita, vt videlicet non baptizetur, niſi qui doceri poſſit, vrgeo non haberi in textu, docendos eſſe tantum adultiores, neque ad hos ſolum docendi rationem & fructus pertinere, ideoque ætatis diſcrimen iſto verbo non neceſſario importari, ita quidem vt baptiſmum adultioribus duntaxat permittat. Eſt enim *docere* etiam de miniſterio Euangelii vſurpatum infantium & adultorum ſimul, & ſi adulti tantum auditu percipiunt doctrinam, & actum quendam intellectus afferant, non vero eſt in auditu & intellectu hominis naturali poſitum, vt doctrinæ miniſterialis fructum faciat, etſi Deus in adultis vtatur illis externis, per quæ tanquam media per ſe

inefficacia iuxta beneplacitum suum operari constituit. Certe verba, quæ adultis videntur ἀπειλῆσ(?), i. e. quasi deliramentum, a nō percepto nec intellecto, quale habetur verbū apud infantes, parum distat. Docentur autem demum adulti mentis apertione & perceptione per Christum facta, *Luc.* 24. Quid ergo impedit, quo minus infantes iam doceat, cum humanitus semper difficilius doceantur, qui præ conceptis opinionibus, & quidem veritatem pro nugamento ducentibus præoccupantur.

Neque hic pendemus a posse Dei, vt audire cogamur, a posse ad factum non est necessaria consequentia, sed quia de voluntate constat, posse Dei allegamus, & idem in adultis etiam solidam laudem obtinere vrgemus. Ieremias enim 31. vnde Christus *Ioh.* 6. citat: *Omnes erunt θεοδίδακτοι, docti a Deo.* De tempore noui testamenti sic vaticinatur Iehoua: *omnes cognoscent me a minimo, &c.* quod citatur ad *Hebr.* 8. Et de puellis ad se asportatis inquit Christus, Matth. 19. & Marc. 10. *Sinite paruulos venire ad me.* Et Matth. 18. *Paruuli dicuntur, &c.* Sic de infantibus scriptum est, Psal. 8. *Ex ore infantium, &c.* Et Matth. 21. Quod etiā futurū prædictum erat, Esa. 49. *Ecce leuabo ad gentes manum meam.* Ex hoc Petrus, *Act.* 2. ad baptismum inuitat, vt sub vtroq; verbo: *docete nimirum, & baptizate*, infantes recte subsumantur. De adultorū porro habilitate considere-

ſideretur, quod nemo miniſterio docēdi fungatur, niſi adultus & doctus prius ipſe, & tamen ætatis conditioni non debetur, quod aliquis ad miniſterium verbi aptus reddatur, ſed Paulus 2. *Cor.* 2. præclare inquit: *Non quod idonei ſimus ex nobiſmetipſis ad cogitandū quicquam.* Quod ſi ergo in eo, quod adultorum tantum eſt, ἱκανότης ætati hominis tribuenda non eſt: multo minus allegabitur idoneitas ad ætatem, vbi ætatum diſcrimen non expreſſe a Deo exigitur, neque baptiſmus ſine miniſterio verbi peragitur, cum Chriſtus iuſſerit baptizari in nomine patris, filii, & Spiritus ſancti, & mundet Eccleſiā lauacro aquæ in verbo.

Retinemus ergo copulatiuam, ſed ea ratione, qua infantibus verbum docendi in ſacris li[illegible]is communicatur, atq; contra offendiculum, quod infantibus loquens, ſurdis loquatur, cohibemus cenſuram noſtram, quia Chriſtus, *Marc.* 2. ſurdo locutus eſt, vt vim audiendi reciperet, citra notam abſurdi auſus. Atque ſic minoris probatio immota eſt reddita. Mandato autem inſtitutionis hæc addi poſſunt:

Cui ætati diuinitus conceſſa fuit circumciſio in ſelecto tantum populo: inſtituta, & maſculis ſolummodo mandata, iis baptiſmus circumciſioni ſuccedens Colloſſ. 2. *& omnibus gentibus ſine ſexus aut ætatis diſcrimine oblatus, rectiſſime etiā confertur.* Sed, *circumciſio populo Iſraelitico tantum maſculis præcepta nominatim infantibus*

a Deo decreta fuit. Ergo, *baptismus illi succedens, omnibusque gentibus sine exceptione sexus vel aetatis propositus, rite conferatur, etiam infantibus.*

Porro exempla Apostolicę Ecclesiæ requirenti, quanq̃ hæc citra declaratam Dei voluntatem minus sufficiant, prostant tamen hæc: ex historia, quæ *Actor.* 16. legitur, præfectus carceris cum omnibus suis domesticis baptizatus, 1. Cor. 1. Paulus Stephanæ familiam baptizasse scribitur. Quis ex familiis excludet infantes? Præsertim cum Apostolis dictum fuit, ne infantes a Christo arcerent, nullibi legatur, quod infantes a baptismo reiecerint. Deniq; Origenes *in cap. 6. ad Rom.* commentans testatur: *Ecclesiam accepisse ab Apostolis traditionem, ut baptizaret infantes.*

Atq; haectenus de confirmatione eius, quod baptismus rite conferatur infantibus. Quod vero Thesis eundem iisdem salutariter conferri affirmat, eius rei firmamenta ex præmissis sunt repetenda. Primo, quod Thesi XII. & XV. effecta salutaria baptismo, ut medio Dei ordinario asserta sunt. Si ergo infantes rite baptizentur, ut docuimus, consequitur effectum baptismi, illis non esse denegandū. Deniq; XVI. Thesi evicimus: infantes ætatis ratione non obiicere obicem Deo per baptismum operanti, quo inprimis spectat, quod ad infantes etiam pertineat promissio salutis. A huius ergo participatione non sunt exclu-

di, neque medium Dei ad salutis collationem ordinatum contra Dei promissum ab effectu euacuandum est.

XVII. THESIS.

Baptismus vnicuiq; vnus sufficit.

EXPLICATIO.

CVm non sit de natura generis sacramentorum, vt semel a singulis tantum vsurpentur, sed quædam de mandato Dei repetenda sunt, non temere quæritur, quid de baptismo hac in parte statuendum sit.

CONFIRMATIO.

Cum nihil de sacramentis statuendum sit: nisi explicate a Deo traditum fuerit, idque nobis sufficiat, quod diserte mandatum est, ideo iteratio baptismi nullibi a Deo præcepta, nullius hominis auctoritate constabit, sed baptismus sine vlla repetitionis indicatione mandatus sufficit vnus, in quo omne firmamentum theseos consistit. Quæcunque enim præterea afferunt, vt quod circumcisio vna singulis suffecerit in veteri testamento, cui successit baptismus, quod baptismus in singulari numero appellatur, quod disertius vnum baptisma dicitur, *ad Ephesios* 4. quod pactum gratiæ in baptismo initum æternum est, *Esaiæ* 1. & quod Apostoli ad consolationem ex baptismo petendam reuocat, 1. *Corinth.* 6. hæc omnia eiusdem testis habent, ne per vnius baptismi sufficientiam concludant. Obiectiones autẽ & ex-

ceptiones omnes hoc vno retundentur, quod repetitio baptiſmi mandata non ſit. Quamobrem in hoc præcipue deliteſcit confirmatio, neque hic locum habet, quod alias argumentum auctoritatis negatiue in ſuſpenſo relinquit, quid ſit, quid non: agitur enim hic de expreſſo mandato baptiſmi, quo vnius affirmatio conſtat, & cum Deus nequaquam iuſſerit repetere baptiſmum, nihilq; in ſacramentis citra verbum Dei a nobis ordinandum ſit, tutiſſime acquieſcitur in affirmatiua nude expreſſa.

XVIII. THESIS.

Baptiſmi meditatio ſingulis baptizatis ad incrementa & exercitia fidei vitaque Christianæ perutilis eſt.

EXPLICATIO.

DE effectis baptiſmi, quæ Deus promiſit, ipſoque vſu & actu collati ſacramenti ſecundum ſacroſanctum beneplacitum ſuum operatur, ſupra eſt dictum, nunc de vſu eius, quod actum præteriit, agitur, quomodo nimirum homo fidelis, piis meditationibus ſuis recurrens ad præceptum baptiſmi, inde doctrinas fidei vitæ petere debeat.

CONFIRMATIO.

Omnis baptizatus firmiſſime colligere poteſt, ſe ideo magis obligari ad fidem in Christum, quia non ſolum generaliter vocatus ſit

voca

voce Dei in cœtu promiscue sonante, sed singulariter ex genere humano exceptus, & nominatim ad promissionis participationem vocatus, baptismo initiatus sit Christo. Hoc argumentum multum ponderis inde habet, quod sacramentum hoc non hominum voluntate, sed sancto Dei consilio institutum, eiusque admiranda prouidentia ac cura ad colligendam Ecclesiam, vbicunq; ipsi placuerit, conseruatum, & ad hoc ordinatum sit, vt quæ vniuersalis edita est promissio Euangelii, auctoritate diuina singulis in baptismo applicetur. Sitque hæc mens baptisantis & dicentis: *Ego baptizo te &c.* hoc est. Ego iussu Dei sancte testificor te, vt certo nomine appellatum, ita singulariter a Deo vocatum illum ipsum esse, quem Deus promissione Euangelii vniuersali diserte complexus est. Ingruente ergo tentatione indignitatis, iudicium Dei de natura indignum per gratuitam misericordiam suam dignum censentis & nominatim vocantis intuere, itaque baptismi tui recordatione, teste formula verborum a filio Dei Baptistæ præscriptorum, cum certitudine promissionis ad te pertinentis, tum dignitatem tuam explicata de te ipso gratia Dei constantem concipe, tene, foue. His inuoluta sunt solatia ablutionis, iustificationis, adoptionis, sanctificationis, saluationis, omnium beneficiorum spiritualiũ. Deinde expende, ꝙ baptisatus fuisti in nomine

patris filii & spiritus sancti, hoc est, non solum sacrosancta trinitate lauacrum illud instituente, sanctificante, in eoque operante, quæ promisit per baptismum effecta, sed etiam perpetuum vsum eius tibi stabiliente sub nominis sui oppignoratione, vt huius sacramenti, ad formam testimonii, quod os filii Dei prohibuit, meditatio Deum baptisato sistat, sic ipsi loquentem: *viuo ego, seu ita nomen meum æternum sit, vt ego ex animo te mihi vendito, tu vere recipio, tibiq; me totum dedo & dico.* Atque hinc æstimandum venit, quod 1. *Pet.* 3 baptismus dicitur ἐπερρότημα, *stipulatio.* Non enim illud constat, respectu sponsionis hominum, sed mutua confœderatione Dei, & hominis pactum reciprocum initur: itaq; non solum fidei nostræ, manus Christum apprehēdit, sed Christus vicissim nos manu sua, quæ inuictum robur est fidei credentis, prehendit sibique asserit, imo sibi inserit & incorporatos sibi membra sua facit, quæ vt seipsum diligit *Eph.* 5. Hæc omnia complectitur, nomen trinitatis, & vt pignus maxime confirmat, huc pertinet quod Paul. *ad Philip.* 3 agnoscens, quod nondū apprehenderit perfectionē, se tamen persequi dicit, vt apprehēdat, & hāc suæ fidei studiiq; rationem subiicit, cuius etiā rei causa apprehensus sum a Christo Iesu, neq; Christi manu, vt separata manu a manu patris & spiritus sancti apprehēdimus, sed vt sacrosancta trinitas vnius æterni & omnipotentis Dei nō scindimus

ditur neq; diuellitur, ita virtus patris, filii & sp. sancti ideoq; minime deficiens, sed absolute fortissima nobis in baptismo spōdetur, vt cōiūctio illa sit singularis solatii & roboris docēte sic Christo. Ioh. 10. *Ego vitam do ouibus meis &c.* III. Obsignādi ratio vim cōfirmationis adauget plurimū, vt tētatus in has assurgere possit cogitationes minime fallentes, *nō solū mihi De⁹ locut⁹ est, dū me nominatim vocauit, mihiq; ipsi pmissionē gratiæ æternæ applicauit neq; solum nomē suū mihi oppignorauit sācte vt in fide perstē, imo nō solū manu sua me suffulcire pollicitus est, verū hæc omnia, quæ sunt verbi illi⁹ diserti & sacrosancti pignoris insuper sacrosancto sigillo baptismi mihi obsignauit, cur g. hæsitabo de salutē mea, & fidē meā tot diuinis firmamētis stipatam mēdaciis satanæ & delirametis carnis meæ moueri & couelli patiar, opponā poti⁹ verbū Dei obsignatum tabulasq; fœderis cū diuino sigillo tentantibus obiiciam.* IIII. Baptismus est irritamentum ad alacre nouæ obedientiæ studium, cum enim sepulti simus vna cum Christo per baptismum in mortem *Rom.* 6. sancte stipulati sumus nos spiritu, quem arrabonem Christus promisit & dedit actiones carnis mortificaturos *Rom.* 8. & in nouitate vitæ ambulaturos *Rom.* 6. Hanc fidē ne fallamus baptismus tabulis & sigillo fœderis cū Deo pacti ostensis nos cōmouet grauissime. V. Patiētię in cruce pstātissima fomenta suppeditat duplici ratione: qa n. nō aliter cū Christo pacti

ſumus, niſi vt Chriſto conformatióne mortis
conglutinaremur, & ſpes certa nobis facta
ſit, fore, vt reſurrectionis etiam ſimilitudine
cum ipſo coaleſcamus *Rom.* 6. næ dulcescit
hic patientia Chriſtiana, cui debitores ſti-
pulatione facti ſumus, & Deus ſe viciſſim ſti-
pulando obligauit. VI. Lapſis in peccata mor-
talia ob promiſſi baptiſmi pactum a noſtra
parte ruptum, dolendum ſane eſt ex animo,
ſed quia ſepties in die cadit iuſtus, & re-
ſurgit. *Prouerbio.* 24. & Deus etiam ſanctis
continuam pœnitentiam ſuadet. *Prouerb.* 32.
& Matth. 6. Iohannes etiam conuerſus ſic lo-
qtur. *filioli mei hac ſcribo vobis, ne peccetis &c.*
Ideo pœnitentiam repetentibus, & in Chri-
ſtum credentibus, non ſolum patet aditus ad
gratiam, ſed quæ in baptiſmo agnita ſunt, eius
monumenta pignora & ſigilla ea, ad reſipi-
centiam grauius adhortantur huiuſque viſum
denuo ſic firmant, quod Deus a parte ſua fœ-
diffragus non exiſtit, incredulitas enim ho-
minum fidem Dei inanem non reddit ad *Rom.*
3. Etſi increduli ſumus, ille fidelis manet. 2. *Ti.*
2. Præterea gaudet de reperta oue perdita
Luc. 15. ipſumq; baptiſmum ſigillum fecit iu-
ramenti ſui. *Ezech.* 33. *Viuo ego, nolo pecca-
toris mortem, ſed vt conuertatur & viuat.*

LOCVS XXVII. DE SACRAMEN-
to cœnæ Dominicæ.

Tho-

I. THESIS.

Sacra vel Dominica cœna dicitur etiam mensa Domini, sacramentum corporis & sanguinis Christi, εὐχαριστία, sacrificium λειτουργία, sacramentum altaris, sacra σύναξις communio, ἀγάπη.

EXPLIC. ET CONFIRMATIO.

Coenæ appellatio tum ex tempore primæ celebrationis, tum ex vsu primario huius sacramenti petita est. Cœna autem, quam Christus cum discipulis, post esum agni paschalis, antequã moreretur vltimum sumsit, pacta hæc sacra actio in mẽsa instituta fuit, & quidem ad comedendum & bibendum. Sacra vocatur ad distinctionem a cœna communi κατ᾽ ἐξοχὴν tamen, cum piorum etiam cœnæ, in quibus esculenta & poculenta precatione sanctificantur, sacræ sint. Dominica vero ab auctore mensæ Domini appellatio Paulina & apostolica est. 1. Cor. 10. Sacramẽti nomen generis & supra explicatum. Hic corporis & sanguinis mentio additur quasi specifica differentia, quod rerum illarum pretiosissimarum exhibendarum & percipiendarum singulare sit mysterium. εὐχαριστία primario dicitur a voce εὐχαριστήσας in institutione hac peculiari phrasi vsurpata. Non enim vulgaris gratiarum actio, sed talis edita tum fuit a Christo, quæ corpus & sanguis Christi pane & vino mystice vniret, & hæc oris dominici vis institutioni huic testamen-

tariæ vſque ad extremum diem adeſt & efficax eſt in vſu ſacramentali diuinitus inſtituto. *Deinde* hoc ſacramento ſingulariter excitamur & obligamur ad gratiarum actionem erga Deum benefactorem. Sacrificium dicitur ſacra cœna, quia memoria mortis Domini, qua ſemel ſe pro nobis æterno patri obtulit, ſancita eſt in hoc ſacramento iuxta ſententiam 1. Cor. 11. *Quotieſcunq; ederitis panem &c.* Abuſum huius appellationis pontificium, quod ſacerdos ibi Chriſtum offerat pro viuis & mortuis, grauibus de cauſis reiicimus & exſecramur. λειτουργία publicum dicitur miniſterium. De cœna autem Domini tanquam proprium nomen vſurpatur ꝓpter excellentiã, quia eſt pars miniſterii in Eccleſia publici ſpectatiſſima. Sacramentum altaris interdum pro ſacra cœna, interdum pro elementis ſacris accipitur. Adiectum *altaris* inde eſt, quod cum in templis Chriſtianorum humana inſtitutione aræ exſtructæ fuerint, in altari fiat conſecratio, & iuxta illud diſtributio ſacramenti. Etſi vero pontificii aras idololatrico ſacrificio aptant, nobis tamen ſine vlla nota ſuperſtitionis, quæ non in materia lapidea vel lignea, ſed in mente hominis reſidet, remãſerunt altaria, & nomen ſacræ cœnæ inditum inde ſeruatur, vt quædam alia ex papatu retinentur libera a ſuperſtitione. Sacra σύναξις & communio potiſſimum a fine ſacræ cœnæ ſummo dicitur

Fideles enim ſumto illo ſacramento communicant corpori & ſanguini Christi ſpiritualiter Chriſtoq; incorporantur & magis magisque inuicem coaleſcunt perfectius coagmentati ad corpus Christi q; eſt Eccleſia, cōmunio vero externa, & q; omnes cōmuniter hoc ſacramento vtentes congregantur in vnum cœtum Chriſtianum, qui ex dignis & indignis conſtat, vel quod in conuentu celebratur hæc actio, hæ, inquam, rationes, vt non negantur, ita poſthabentur tamen. ἀγάπη dicta fuit cœna Domini, quia collectos in vnū corpus & conuiuas vnius menſæ dilectione magis obliget multis de cauſis, & quod in celebratione S. cœnæ Eleemoſinę dilectionis ſingularia teſtimonia liberalius erogarētur pauperibus. De miſſa cum incertæ ſint Etymologię & diuinationes requirat, de quibus alibi commodius, quam hic diſſeratur, nunc nihil dico.

II. THESIS.

Sacra cœna eſt actio ſacra, externa partim adminiſtrantis, partim communicantis.

EXPLICATIO.

COena hæc ex pluribus conſtat actionibus, & vna tamen dicitur q. ἀποτέλεσμα pluriū. Dicitur externa, quia agitur de conſtitutione ſacramenti, ad quam nihil facit interna, quæ eſt fidei, & ad ſubſtantiā, vt vocāt, ſacramētalē, cū hęc etiā in vſu indignorū integra eſſe poſſit,

non pertinet. Probe etiam notandum est ministri celebrantis & alterius communicantis partis connecti, vt illa actio non nisi in illa cõiunctione habeatur integra contra pontificios, qui consecratione ministri sacramentum confici fingunt sine cõmunicante, quod idolum fit, circumgestatur, monstratur, adoratur, quod vnũ est ex pręcipuis fulcris Antichristi & collapsum a Iacobo Andrea vel inuito erigetur, quia nouo modo suffulcitur, cum praesentiam corporis Christi cũ pane etiam extra vsum sacrae cœnę asserendũ esse cõtra Lutheri vrgeat.

CONFIRMATIO.

De ministri & communicantis partibus seorsim dicã, iam vero sufficit Christum omnibus, quae agenda sunt expeditis dixisse, hoc *facite*, & quanq; bis ponatur hoc *facite*, semel de agendis circa panẽ, & semel de faciẽdis circa vinum, tamen in vnam haec actionẽ colliguntur, cum Paulus post geminationem illã repetito eodem sensu coniunctim inquit: *quotiescunq; panem hunc ederitis & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis.*

III. THESIS.

Partes ministri sunt, quae fuerunt Domini in actione externa nim. accipere panẽ, benedicere, frangere, dare accedenti & dicere, accipe, comede, hoc est, corpus Christi quod pro te traditũ est, similiter accipere poculũ vini dare & actis gratiis tade cõmunicanti & dicere, hic est sanguis noui testamenti qui pro te effusus est in rem. peccatorũ.

Ex-

EXPLIC. ET CONFIR.

QVidnam a ministro, qui Domini vicem subit, fieri debeat, planum est ex institutionis præscriptione, & sic confirmatio pronta est. Quæstiones quædam autem inde ortæ sunt explicandæ. *I. An seruanda sint omnia, quæ institutionis descriptio indicat?* Respond. Non simpliciter omnia, sed quæ ad institutionem cœnæ faciunt. Fit enim in descriptione mẽtio noctis & vesperæ. Item peractæ cœnæ, item Christi tradendi, quæ circumstantiæ sunt historicæ obseruationes, non quidem superuacaneæ, ipsam tamen cœnam non spectantes, vt perpetua adiacẽtia. Cum n. Christus ait, *hoc facite*, non temporis, loci, singularitatis, personarum & similium circumstantiarum, quæ mutabiles sunt, sed tantum eorum, quę ipse tũ fecit, vt quæ sit dans & accipiens. Horum inq̃ rationem haberi voluit. Elementa sacramentorum cum sint pars constituens, semper sunt religiose tenenda, neque probatur piæ menti in tam seriis & sacrosanctis mysteriis a verbo expressi mandati tantum pendenti, si quis deficiẽte vno aliud analogon sumere suadeat, aut surrogari permittat. Ad constituentia n. sacramentorum pertinet, quod Apostolus Paulus correcturus ea, quæ Corinthii in vsu sacræ cœnæ perperam & male agebant, de se, nobis autem ad imitationem scripsit: *ego*, inquit, *a Domino accepi, quod & tradidi vobis.* 1. Corin. 11. 2. *Num fractio panis in ipsa actione*

ministri necessario sit seruanda: Respond. In fractione panis, quæ est diuersitas excusari potius, quam accusari potest: sed placuit sacramentariis hic nobis quoque litem mouere: necessarium quidem est, vt panis frangatur, alias distributio & communicatio seu participatio, sine qua cœna non est, fieri non potest, num vero citra hanc necessitatem per se fractio peculiaris sit ritus huius sacramenti, hic status est alius, & ad hanc quæstionem tāquam scopum reuocanda sunt, quæ hic in controuersia vocantur. Qui aiunt & dictam necessitatem vrgent, hanc afferunt rationem, fractionem illam esse symbolum & figurā passionis Christi: symbolicam autē rationē, naturam esse sacramentorum, nullo ergo modo fractionem in ipsa sacra actione esse omittendam, equidē symbolicas rationes a sacramentis plane tollēdas non censeo. Naturam a. sacramentorum hinc constitui non recipio, & alibi huius sententiæ causas attuli, cumque ideo fractionem vrgeant Caluiniani, vt istud thema infirmum nunquam satis probatum, & quidem tantū ad significationem tāquam præcipuum λόγον sacramentalem naturā sacramenti alligans, stabiliant, ideo minus necessariū fuerit, nos illorum præscripto & postulato conformari. Nihil n. etsi alias licitum ad firmandū errorem in doctrina abutenti cōcedi potest, præterea nōdum allegata necessitas est demonstrata. Etsi n. vt dictum est, necessario frangendus est panis

nis, vt fiat distributio inter plures, tamẽ ad hoc vt pars sit sacramentum constituens, quanquã in ipsa sacramentali actione prætermissa, etsi antea facta sit, vitietur substantia sacramenti. Hoc, inquam, ab aduersariis nullis constantib. argumẽtis persuasum est. Speciosissimum est, quod Christus fecisse hoc scribitur: sed hic hęret quæstio, num fecerit necessitate tantum distributionis an vero necessitate naturæ sacramentalis hac fractione cõstituendæ. Prius certum est, posterius adhuc probandum. Hic vero quod fidem faciat nihil video proponi. Necessitatem autem posteriorem sic satis fortiter a nobis negari intelligunt omnes cordati. Si enim fractio in pane ritus esset substantialis sacramenti, quia dicitur, *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, tum fusio quoq; in vino similiter obseruãda fuisset, quia Christus, inquit, *hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur*. Verum huius nulla fit mentio in formula institutionis. Ergo illius etiã tanta nõ est necessitas, vt ad integritatem sacramenti tanquam pars constituens requiratur. Cumque vini natura talis est, vt a singulis bibi queat, non præeunte singulari partitione, causa patet, quare fusionis ritus in prima cœna non sit adhibitus, vt fractionis. Ita fractionis necessitas hinc quoque manifesta est, ex distributione nimirum deducta, ac sicut vinum, quia fuit in poculo, cum Christus acciperet illud benedicendum, infusum

fuit antea, & tamen ad sacramétum idoneum, ita panis ante hanc actionem fractus ad sacramentum habebatur idoneus. Vbi vero nunc necessitas a natura sacramenti allata? Cogitent etiam isti, qui nostras Ecclesias propterea reprehendunt, & fractionem ex symbolica causa morosius vrgent, qua fronte papistarum immolationem, qua Christum denuo crucifigunt, cum Tragœdorum more se istum in cruce factam mactationem repræsentare dicunt, accusare, quaque specie refutare possint. Orthodoxus sane cõsensus satis proterue perstringit nostrates, quasi dissentientes a voluntate Christi, quod in ipsa actione ritum fractionis non seruant: qui tamen zelus ex prædictis æstimatus, præsertim si coniugatur cum contorsione verborum Christi de præsentia & corporis & sanguinis eius, cũ pane & vino (qua violentia temere & pertinaciter vtuntur) religionem istorum arguit merũ lusum, qua homines ad vera peccata excusanda, ad ficta autem exaggeranda instituuntur, sed his nunc satis. Tertio, si de transsubstãtiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi quæritur, ex verbo *fregit*, ordineque descriptionis istud commentum grauiter refutatur. Quod enim Scholastici sensuum probationibus, nimirum quod ex visu, tactu, gustu, elementa immutata manere deprehendũtur, obiiciũt figmentũ de accidentibus supstitib. sine essentia corporis panis & vini: illud fortissime refutatur, quod

Christus

Christus panem & quidem post gratiarum actionem coram oculis discipulorum fregisse legitur: non enim accidentium, sed substantiæ corporeæ est frangi.

VI. Si quæritur, num liceat diuellere, quæ Christus fecit, sicuti Pontificii consecratione, quam appellant, facta, quæ post verbum *fregit* sequuntur, omittunt: non enim semper dát aliis comedendum, sed repónunt panem. Contra hos vrgendum est, quod scribitur: *fregit & dedit discipulis suis*, &c. cuius copulatiui mandati neglectionem accusat Lutherus in libro de abroganda missa priuata *Tomo 2. Germ. Ienensi pagina* 24. Quod tamen orthodoxus cõsensus pro sua commentitia fractionis necessitate, quam natura sacramenti postulet, ita sophistice allegat. *Lutherus*, inquit consensus, *vt exemplum & institutum Christi recte imitemur, omnino necesse ait panẽ εὐχαριστίας frangi, & inter multos distribui per sacerdotem, alias celebrationem communionis nulla ex parte cum instituto Christi conuenire.* Hæc consensus. Verum inspiciatur libellus Lutheri & Caluinianis contrarium dici deprehendetur. Diserte enim ait, fractionem a missatoribus retineri, qui tamen in ipso missæ actu non faciunt hoc, id quod Caluiniani volunt: distributionem autem omitti, inquit, ex qua actionis mandatæ abrogatione culpat priuatam missam, non vero ex eo, quod desiderant sacramentarii.

IIII. THESIS.

Communicantis in actione externa qua in- gra definitur cœna Domini, est accipere bene- ctum & porrectum panem, atque poculum & vinum & comedere atque bibere.

EXPLIC. ET CONFIR.

EX descriptione institutionis omnia pla- sunt, quod vero hic a Caluinianis postula- tur, vt communicās manus adhibeat prius a- prehensandum, quam comedat & bibat, & quia hoc apud nos non obseruatur, vitiosa- arguūt celebrationem sacræ cœnæ, his pauc- respondetur, quod acceptionem Christi spe- ciatim definiat comestione ac bibitione. C- ralis ergo expressa & necessaria est sumti- neque potest dici non accepisse, qui come- dit & bibit. Vtrumq; ergo cum fiat a nostr- communicantibus, temeraria est eorum re- prehensio.

V. THESIS.

Inusitata sunt prædicationes, panis sacræ c- est corpus Christi, & vinum sacræ cœnæ est s- guis Christi.

EXPLICATIO.

DE hac Thesi multa a nobis disputata c- stant & nuper repetita sunt contra Pis- torem. Eo ergo remittimus auditorem, ne- ctum agamus. Illis tamen, quæ ex doctoru- scriptis antea recensuimus, testimoniis adi- gite domini Hemmingii sententiā, quá an- inser-

inseruit suo Enchiridio impresso Vuitebergæ anno 69. viuo adhuc domino Philippo. Sic enim in illo: *verum si de prædicandi modo quæris, scito non esse Philosophicum, sed sacramentalem & diuinum, quales sunt isti: Columba erat Spiritus sanctus: flatus Christi dicentis, accipite, est Spiritus sanctus: linguæ dissectæ sunt Spiritus sanctus in his prædicationib. naturarum veritas manet, præsertim in duabus posterioribus, & sub appellationibus rerum visibilium & sensibilium res inuisibilis intelligenda manifestatur, quæ adest & veraciter cum rebus sensibilibus.* Proinde sacramentalis prædicatio est, cum subiecti natura manet, quæ vocabulo significatur, & per illud prædicati veritas, quæ est inuisibilis, præsens cum subiuncta re adesse creditur. Si quis ergo synecdochen dicat, non errat, nec hoc pugnat cum eo, cũ supra dixi, nullum tropum esse in verbis singulis. Proprie enim panis & vinum & corpus & sanguis & verbum est accipiuntur. Sed quia oculis non apparet corpus & sanguis, quæ vere adsunt, adesse per externa signa intelligũtur. Cum enim panis & corpus vinum & sanguis, sub appellationibus panis & vini intelligũtur res inuisibiles, corpus & sanguis Domini, quæ certo & veraciter adsunt, & cum pane & vino manu ministri porriguntur dignis & indignis.

Hæc sobrie de modo prædicandi sacramentali sufficiant, sed de his plenius alii, vnde has Theses excerpant iuniores. Aliud

esse τὸ ῥητὸν verborum Christi, aliud modum prædicandi, quemadmodum natura docet simplex a composito & discernendū II. τὸ ῥητὸν extremorum subiecti & prædicati declaratione Christi astrui: sicut enim de panis proprietate testatur verbum *fregit*, quo etiam pertinent comedendi & bibendi de pane & vino accepto, & quod Paulus panem benedictum adhuc *panem* appellat. Sic Christus corpus definiuit suum, quod pro nobis sit traditum, & sanguinem suum noui testamenti, qui in remissionem peccatorum fusus sit. Quod vero de copula a ῥητῷ deflexa fingitur, salua proprietate extremorum, cum contra omnē veram Philosophiam, ad quam tamen aduersarii hanc controuersiam, tanquam ad iudicem, remittunt, tropo, qui in partibus prædicationum locum non inuenit illa, substernatur: hoc argumētis, quæ in dictatis proximis repetita & defensa sunt, refutetur. III. Thesis sit de inusitatæ prædicationis necessitate, quæ ex collatione sacramentalium multarumque aliarum sacrarum enuntiationum cum regularib. & figuratis, quæ Philosophorū in scholis vsitatæ sunt, emergit. Quod enim ad neutrum modum vsitatarum conuenit, inusitatum vt sit, necesse est. Sacramētales autem locutiones non congruunt ad aliquem modum ex quinq; prædicabilibus, vnde regularis cognoscitur prædicatio, neq; etiam Tropum admittunt, cum τὸ ῥητὸν seruent. Ergo restat

vi-

vt, cum tamen veræ ſint enunciationes, ſingulariter cenſeantur, quomodo, cum ex ordine vſitatarum eximantur, inuſitatæ recte dicuntur, alias ſingulares vel ſimiles. Hæc porro neceſſitas reductione illuſtretur & confirmetur. Cum enim omnis figurata & tropica ſpecifico ſuo ſenſu (generali enim, quæ eſt alicuius coniunctionis diſparatorum ſine peculiaris ratione modi indicatio, figuratum aliquid dari & explicari poſſe non negamus) congruat ad aliquem modum ex regularibus: talis vero reductio in ſacramentalibus aliis huius generis diſtinctis nec ſuccedat, cum modus vnionis panis & corporis, vini & ſanguinis Chriſti formaliter explicari nequeat, inuſitatus ergo prędicandi modus ita magis ſtabilitur. Hæc paucis nunc repetere volui, vt tum iuniores haberent, quæ ex cumulo diſputationum colligerent, tum adultiores hac συνόψει ad prolixiores diſputationes dexterius adferrent iudicium.

VI. THESIS.

Panis & corporis Chriſti, vini, item & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna vnio eſt ſacramentalis & arcana.

EXPLICATIO.

VNio ſacramentalis ideo omnibus nota eſſe debet, quia in Formula concordiæ Vitebergenſi, anno 36. non ſolum a noſtrarum Eccleſiarum præcipuis doctoribus, ſed etiam ab aduerſæ partis tunc temporis Anteſignanis

vſurpata & approbata ſit, qua etiam vna ſalua omnes Caluiniani errores concidunt. Sicut enim ſacramentum dicitur, quod eſt arcanum & minime perſpicuum atque explicabile, quia nimirũ interpretatio τῦ μυστηρίου: ita ſacramentale originem illum ſequens, negat modum planum & menti humanæ obuium. Cumq; omnia, quæ de tropis & modo præſentiæ ab aduerſariis diſputata ſunt, quibus cætera omnia, quæ hic in controuerſiam vocantur, inſiſtunt, primo ſtatim ortu inania demonſtrentur, ſi ex ignoto notum elici, hoc eſt, futuræ præſumtionis ſtudium & ignorantiæ pro ſcientiæ iactantia arguatur, manifeſtum eſt, hac in parte, vt diligenter cognoſcatur, multum eſſe ſitum.

Confirmatio.

Vnionis appellatio ex his fundamentis emerſit. Primo: Quod Chriſtus dixit, panem corpus ſuũ, quo ſimplicibus primo ſtatim ſono ſuggeritur, iſta duo vnum eſſe. Porro autẽ veritas ita demonſtratur, nihil de alio affirmatiue & vere prædicari poteſt, quod in veritate nulla ratione cum iſto cõiungatur. Vt enim in quauis oratione plus veri non eſt, quam quantum in re, de qua conſtat, dicitur, ita niſi inter duo diſparata aliqua erit, in rei veritate coniunctio, nunquam erit vera vnius de altero affirmatio & prædicatio. Sit ergo hæc iſta probatio: *Quicquid de alio affirmatiue & vere prædicatur, id cum ipſo vere, cum aliquo modo con-*

coniunctū & vnitum esse oportet. Corpus Christi de pane, & sanguis de vino vere & affirmatiue prædicatur. Christianus enim non est, qui verā prædicationem non agnoscat, quā Christus edidit. Ergo, *necesse est, inter panē & corpus Christi, inter vinū & sanguinem Christi constare quandā coniunctionem & vnionem.* Alterū argumentum pro vnione est dictum Apostolicum, 1. Cor. 10. Quod ex verbis institutionis panis est corpus Christi, & vinum est sanguis Christi, colligit κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi, eamq; pani & vino seu poculo aptat: non autē est κοινωνία, vbi nulla coniunctionis ratio, vnde κοινωνία sæpe pro coniunctione accipitur. Tertio: Hinc nata est phrasis veteribus etiam recepta, quamque inter alias omnes minus ꝓbare ausus, imo reprobare coactus fuit Caluinus, & vsurpauit ipse, vt dicatur: *Corpus Christi cum pane, & sanguis Christi cum vino,* quæ particula *CVM* manifesta est coniunctionis & vnionis indicatio. Quarto: Idem probatur a fine instituti sacramenti. Vnio enim sacramentalis inter res terrenas & cœlestes est symbolum vnionis spiritualis credentium Christo, vt sicut corpus Christi cum pane, & sanguis Christi cum vino in vsu sacræ cœnæ, ita credentes cum Christo vniantur. Nisi enim sacramenta similitudinem habeant eorū, quorum sunt sacramenta, negantur vera. Similitudinem igitur vnionis panis cum corpore, & vini cū sanguine Christi concedi

necesse est, vt analogia ad vnionem spiritualem constet. Quinto: Collatio similium scripturæ locutionum & aduersariorum consentiens nobiscum explicatio firmat Thesin nostram. Non enim Lutherus solum & Bucerus, imo & Caluinus sæpe vsi sunt hac comparatione. Sicut columba visa a Ioanne super Christum, dicebatur Spiritus sanctus: sic panis in sacra cœna dicitur corpus esse Christi, & vinum sanguis Christi. Estq; Domini Philippi explicatio verissima cum illa, videl. visibili vera aderat Spiritus sanctus, quemadmodum etiam Caluinus, nedum Bucerus istas locutiones interpretatus est. Vera ergo est coniunctio & vnio corporis Christi cum pane & sanguinis eius cum vino sacræ cœnæ. Probata vnione probetur etiam, quid sit sacramentalis, hoc est, mystica, arcana, inexplicabilis. Quicquid Deus dixit, & in actione sacra æterna hominibus commendauit, sensibus autem qualiter sese veritas habeat, probandum non obiecit, neque verbis explicauit, sed solummodo, quod vere sit, credi voluit, id sacramentũ est, hoc est, mysterium, secretum & arcanum hominibus inexplicabile, panem esse corpus Christi, & vinum esse sanguinem Christi, vnione quadam ex ore Dei accipimus, eademque in sacra actione Ecclesiæ Christi in hac terra commendata, quæ tamen sensibus humani, qualis sit, probari nequit: neque verbis Domini exponitur, sed simplici fide

Christia-

Christianæ creditur, quod vere est. Vnio igitur sacramentalis illa non modo rationi nostræ obuio, perspicuo, & plano, sed mystico, arcano, & ineffabili definienda est.

VII. THESIS.

Corpus Christi esse præsens cum pane, & sanguinem eius præsentem cum vino in actione externa sacræ cœnæ hac in terra.

EXPLICATIO.

ETsi præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna testimoniis Caluinianorum constat, tamen cum hi actionem sacramentalem in cœlum vsq; extendant, vt eo euolanti fidei constet præsentia derogata elementis & actioni externæ in terra celebratæ. Zvvingliani autem & Anabaptistæ, ex quorum nuper numero deprehensus fuit Ioh. Piscator, præsentiam a Caluino verbis institutionis cœnæ liberalius concessam, potiusque plane negandam esse dictitent, ideo firmamenta nostræ sententiæ proponenda sunt.

CONFIRMATIO.

Verba institutionis vnionē corporis Christi cum pane, & sanguinis Christi cum vino tradidisse, modo demonstrauimus, certa est ergo præsentia corporis & sanguinis promissa pani & vino. Quæ enim vere inter se vniuntur, eorum vnum alteri vere præsens est. Hæc ergo pars probationis non indiget noua dedu-

ctione. Hæret autem Thesis hac in parte, quod præsentia sit corporis & sanguinis Christi cum pane & vino in actione externa sacræ cœnæ hac in terra. Huic ergo parti quærenda sunt firmamenta. Instituam autem deductionem ab exordio, id est, a generali promissione eiusmodi præsentiæ, hancq; ad speciales certas accommodabo, & in istis promissionem, quæ huic sacramento cœnę debetur, contineri demonstrabo. Reductione demũ ad destructionem certo præsuppositorum falsitatẽ aduersantis sententiæ euincam, & sic ad conscientiæ πληροφορίαν conciliandam & probandam indicabo viam expeditam. Fundamentum ergo ponimus in generali promissione, quæ Exod. 20. his verbis proponitur, dicente Domino: *In omni loco, in quo meminisse fecero nominis mei.* Hæc promissio semper Ecclesiæ constitit, neque in historia sacra præcedentiũ seculorum exceptio demonstrari potest, neq; in nouo testamento desiit, cum repetita sit a Christo Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint, &c.* & Matth. 28. hæc promissio dicitur duratura *vsq; ad consummationem seculi.* Perspicua vero hic est indicatio, memoriam sanciri præsentis cōtra vitiosum vsum regulæ memoriam tantum esse absentium, itaq; eius in loco præsentiam non cogitandam, cuius memoria eodem sanciatur. Regula vero Aristotelica loquitur de absentia temporis, quia memoria tantum sit præteriti, neque propterea res præ-

præsentem in loco negat, cuius sit memoria, quapropter pondera sunt notanda hæc: I. Quod præsentia promittatur. II. Quod non obstante modo Physico locali, qui nequaquã hic concipiendus est, diserte tamen dicatur: *in omni loco*, in quo meminisse fecero. Item, ὅπου *vbi*, ἐκεῖ *ibi*. Quandoquidẽ autem Deus præsentiam sui ordinarie offert, vel per verbum simplex, vel per verbum vestitum, quando videlicet verbum Dei accedit ad elementum, vt fiat sacramentum, neque in præsenti, quam tractamus doctrina de promissione simplici verbo Dei facta, sed de ordinatione sacramentali agatur, quæratur regulæ datæ conuenientia ad huiusmodi species, & quidem explicatio huius momenti tanquam primarii nerui hic firmandi respectu exigatur, num videlicet in loco, vbi fecerint sensibilia elementa, in vel cum ipsis præsentia sit promissa. Huc ergo assumantur patefactiones, qualis est, cum Angelus seu ipse Iehoua missus, filius nimirum Dei apparuit Moysi in corde, hoc est, in intimo: ignis in medio Rubi, *Exod.* 3. Vere ergo fuit Iehoua in medio ignis & Rubi ardentis, itaque in loco, vbi symbolum istud exstitit, in & cum symbolo præsentia eius credenda fuit: Sic Exodi 25. Iehoua ad arcam fœderis suam alligauit præsentiam, inquiens: *Conueniam illuc tecum, & loquar tecum.* Ex his manifestum est per generalem istam promissionem in loco,

in quo sint symbola sacramentaria ipsis symbolis spondери præsentiam Iehouæ. Et hactenus quidem aduersarius vere Caluinianus nõ repugnabit, quanquam Zvvingliani, ex quibus sunt etiam Anabaptistæ & Stenckfeldiani, Deum creaturis illis præter sanctos homines iungi & vniri morose inficientur: sed manifesta contradictione sacram scripturam abolente. Porro autem & hoc coguntur fateri Caluiniani similes esse locutiones, *Arca est rex gloriæ:* hanc enim ipsi eliciunt ex Psal. 24 *Columba super Christum a baptista visa erat spiritus sanctus.* Matth. 3. Ioh. 1. *Flamma in ore Apostolorum erant spiritus sanctus.* Actor. 2. Et quidem similitudinem in hoc constare oportet, vt sit in symbolis istis thessera præsentiæ, quemadmodum Caluinus loquitur in 11. cap. 1. ad Corinth. Et quidem realis, quoniam in illo loco, vbi visibiles illæ res conspectæ fuerunt cum istis rebus visibilibus vere & realiter adfuit Deus, & quidẽ singulariter secunda persona cum arca, & tertia cum columba & flammis, sicut verba Domini peculiariter testantur, id quod probe notandum est, vt præsentiam discreta ratio cogat intendere ad verbũ Dei, quo specialiter indicatur, cuius præsentiam in singulis singularẽ polliceatur. Præterea nec hoc negari potest, sed concessum est a Bucero, Caluino, & aliis multis, quod præmissis locutionibus conformes sint hæ sacramentales: Panis cœnæ est corpus Christi, & vinum

vinum cœnæ est sanguis Christi. Sic ergo constit præsentia corporis Christi in vel cum pane, in loco, in quo panis ille benedictus porrigitur, accipitur, & comeditur, & præsentia sanguinis Christi in vel cum vino in loco illo, in quo vinū benedictum præbetur, accipitur, & bibitur. Diserte enim & vniuersaliter Deus ad locum, in quo memoriam sui ordinauit, nos remittit. Et hactenus quidem omnia plana essent, nihilq; nobis litis restaret cum Caluinianis, si vel Christus de pane vel vino dixisset, hoc est spiritus vel Deitas mea, vel si nos in verbis institutionis pro corpore & sanguine spriritum Christi præsentem intelligeremus. Postquam autem de corporis & sanguinis Christi præsentia agitur, & hoc minus credibile putatur, quam quod de præsentia Deitatis dictum est, hac inquam ratione sola oritur certamen, idque tale, vt Caluiniani, quod hactenus concesserunt nobis, speculationibus adimere & reprobare non vereantur. Hic ergo fidelis anima hoc expendat, cum deductio explicationis præcedentis manuductione sacræ scripturæ, fide nimirum interpretis, vsque ad offendiculum a corporis natura petitum, & ab hominibus obiectū, prona & indubitata fuerit, qua conscientia, & qua huic satisfaciente πληροφορίᾳ aliquis non solū in articulo offendiculi incipiat disputare, sed etiam pro arbitrio suo statuat id, quod omnia præcedentia tam grauiter demonstrata destruat, nimirū

vnionẽ corporis Christi cum pane & sanguinis Christi cum vino. Et in loco symbolorum ibiq; cum ipse præsentia statuat ea, quæ indicatione Dei expresse vnita sunt, itaq; non solum comparationem sacramentalium locutionum, quam certam agnouerit, & professus sit, iterum vrget, sed etiam speciebus in generali proprietate distinctis generali regulæ vim adferat, itaque totum systema promissionum Ecclesiæ præstantissimarũ demoliatur. Quod si igitur in Philosophicis disputationibus credimus, firmiter conuinci aduersarium errores ex cõtrouersię opinionis cõsequentibus euertentibus κριτήρια, & ex his demonstrata, licet alias opinio speciose blãdiatur rationi, quid faciendum putet pius animus, cum videat declinando a præsentia reali corporis & sanguinis Christi in loco panis & vini certissimæ promissioni, & veræ eius deductioni contradici & repugnari? Hæc, vbi in timore Domini consideraueris, quisquis hic a nobis dissentis certus sum, quod nullibi quiescere possis, nisi cum redieris ad nostram sententiam, vtque huius pietatis aliud, & ad persuadendum fortissimum argumentum adhuc subiiciam, obsecro, vt hac in parte hæsitans, vel a nobis dissentiens, suam mentem exerceat tali examine: *Deus est substantia infinita, & vniuersaliter vbique perpetuo, itaque in omnibus rebus creatis.* Quomodo ergo salua fua

sua infinitate & vbiquitate essentiali, nimirum immutabili atque æterno idiomate erit in loco, & quidem ita, vt eadem præsentia suæ essentiæ nequaquam sit vbique, sed duntaxat illo in loco, in quo sui memoriam instituerit? Hic recte sane cogitaueris præsentiam in loco credendam, sed non localem seu localis inclusionis, qualis est Physica corporum circumscriptio.

Verum hoc nihil emollies idipsum, quo mens humana præcipue offenditur, nimirum de præsentia essentiali Dei infiniti in loco quodam, & tamen ita non vbique statuenda, licet hac ratione essentiæ infinitas non tollatur. Hæc conciliet, qui potest: equidem nondum quenquam audiui, qui hoc explicando rationi credibile fecisset, & philosophice persuasisset demonstrando: sed fideles serui Dei seposita omni disputatione rationabile simplice fide rationem in obsequium captiuante, tam præsentiam illam in loco citra inclusionem singularem, nec vniuersalem, seu vbiquitariam, tum infinitatem perpetuam, vere crediderunt. Hanc fidem in Iacobo Patriarcha obseruauit & laudauit Caluinus, quod testimonium propter eos, qui citius Caluino, quam nobis aures præbent & obtemperant, multo auro dignum iudico. Cum enim Iacob in discessu a socero, iussu Dei, reuersus in Bethel, ædificaret ibi altare,

vocauit locum ElBethel, id est, Deum domus, Gen. 35. Hic Caluinus adscripsit, quod loco nomen imponit Deus Bethel videtur quidem nimis crassum esse, & tamen hoc quoq; elogio laudatur sancti viri fides, idq; iure, quandoquidem intra fines se diuinitus præscriptos continet, hoc est vere sapere, vbi Deum amplectimur, prout se ad modulum nostrum accommodat. In hunc modum Iacob non argute disputat de essentia Dei, sed ex oraculo percepto Deum sibi familiarem facit: quia vero sensus suos ad reuelationem dirigit, grata balbuties hæc & simplicitas Deo est. Hæc Caluinus præclare sentiens & loquens. Quibus in examine curiosæ mentis, quod institui, diligenter ponderatis, multæ peribunt cogitationes humanæ, quas ipse Caluinus & sectatores eius substrauerunt suis negatiuis, doctrinæ harum Ecclesiarum de præsentia corporis & sanguinis Christi cum pane & vino sacræ cœnæ oppositis. Notetur etiam hæc circumstantia, quod in Genesi Iacob componens se ad reuelationem balbutiendo locutus, & tamen admirationi fuit, atque tantopere in hoc ipso a Caluino laudatur, quod Deum essentialiter in ipso loco credidisset singulariter præsentem. Quid ergo putabitis deberi verbis Christi, qui non solum sanctissimus hominum, sed etiam filius Dei, quando testamentū condidit eruditissima sua lingua panem suum appellauit corpus, vinumq; suum sanguinem?

Ac

Ac si mittenda fuisset disputatio de essentia Dei, & simpliciter infinitas salua credenda, quando essentia infinita quodam in loco singulariter præsens, neq; ita omnipræsens fuit, an non simpliciter recte prædicetur, & separetur disputatio de corporis essentia, & veritas atq; finitas eius salua crederetur, etsi nec includatur in pane, nec vino solú, sed pluribus in locis cum pane sacræ cœnæ credatur præsens? Omnino enim, sicut se habet vnitas loci ad infinitatem essentiæ Dei, ita se habet pluralitas locorum ad finitatem essentiæ corporis. Hic sese probet animus, qui hactenus reluctatus est nostræ confessioni, & si adhuc dissentit, ingenue & explicite indicet, quomodo & qua graui de causa, quaque πληροφορίᾳ in verbo Dei fixa fundamenta in præcedentibus a nobis iacta euersa arbitretur. Atque hæc de discursu curiosæ mentis inter tentationes in gyrum pietatis coactæ proponere volui prolixius, vt auditores intelligerent a nobis, serio hæc agi, & gestire me cognoscere, vbi confessionis nostræ iactata stabilitas ariete pietatis moueri queat. In institutione vero sacræ cœnæ hoc expendatur, quod, vbi de vino agitur, poculum, in quo vinum erat, multoties appellatur, vt nimirum cognoscerétur symbola in illo loco, in quo sint consideranda venire & præsentiam corporis Christi tam in loco panis, quam sanguinis præsentiam in loco vini credendum esse maxime, postquam tot ar-

gumentis edocti sumus, non crassum, sed simplicissimæ fidei laudatissimum opus esse in loco symbolorum præsentiæ promissionē, quæ certe a Deo facta est, esse censendam, sicut Iacob, *Genes.* 32. locum appellat faciem Dei, in quo Deum a facie ad faciem viderat, hoc est, inuisibili facie Dei symbolo vnita, & per huius faciem visibilem illo in loco conspecta. Vtque rursus testimonio Caluini vtamur, & quidem de generali obseruatione confirmanda memorabile est, quod in institutionum lib. 4. cap. 17. distinctione 10. ita scripsit: *Omnino pijs isthac tenenda est regula, vt quoties symbola vident, a Domino instituta, illic certæ rei veritatem adesse certe cogitent, & sibi persuadeant.* Addamus tandem, quod ex fructu sacræ cœnæ resultat, ad probandam præsentiam corporis & sanguinis Christi in actione externa sacræ cœnæ cum pane & vino interna: vt tamen hinc constet probatio, duo sunt præcognoscenda & firmanda. Primum, num spiritualis vnio fidelium cum Christo faciat, eum corporaliter in iisdem habitare. Deinde, num in sacra cœna ipsius corporis & sanguinis Christi cum symbolis perceptio oralis verbis institutionis constanter doceri possit, quam altera spiritualis consequatur in fidelibus. Vtrumq; autem postea suo loco affirmabimus: vnde tandem spiritualis illa præsentia Christi euincet præsentiā corporis & sanguinis Christi in homine, qui in terra militat Deo, & qui fru-

fructus est sumti sacramentaliter corporis & sanguinis Christi præsentiam horum in actione sacræ cœnæ in terra constabilit.

VIII. THESIS.

Modus præsentiæ corporis & sanguinis Christi in sacra cœna non est modus omnipræsentiæ & vbiquitatis vniuersalis.

EXPLICATIO.

NOn negligenda est hæc Thesis, inprimis hoc tempore, quo subinde pluribus incautis contrarium persuadetur, cum tamen pestis sit totius doctrinæ de Christo & de sacra cœna, Lutherus etiam tanto errori patronus aduocetur, etiam præter culpam vna cum nostris confessionibus publicis horrendarũ hæresium reus agatur. Quæ causæ, si in his Ecclesiis non suffecerint ad piæ contradictionis necessitatem demonstrandam, tum neque fuit vnquam, neque est, neque erit certaminis illius in religione Christiana probata necessitas. Sed quidam doctorum & pastorum Ecclesiæ securi, & tantum suauis otii captatores, ad agnoscendum quidem causas illas pigri, ad iudicandũ autem & reprehendendum eos, qui pugnando gratam ipsorũ quietem turbare videntur præcipites & impetuosi, dum iustissimum bellum detractant, iniuriosissimis contra fideles litibus & iurgiis implicantur & occupantur. Nõnulli vero, qui imprudentia istorũ errorũ patrociniũ aliquod susceperunt, etsi

nunc videant malefactum, plus tamen suo honori, quam gloriæ Christi velificantes silentio malunt controuersiam abrumpi, quam legitima disceptatione finiri. Quamuis hac ratione nec præsenti Ecclesiæ, nec posteritati recte consuli intelligant. Isti etiam studiose abstinent a publica reprehensione Vbiquitariorum, quos tamen & rixarum & corruptelarum auctores, indefessosq; comperendinatores sciunt, & in cubiculis suis pro libidine insectantur, bonos vero, quos suæ propriæ fidei testes & defensores norunt, coram omnibus carpunt, rodunt, mordent, quacunq; occasione & oppressione eorum huiusmodi studia parata & commoda iudicauerint. Neque vllus inter istos censores pacis nomen semper crepantes, & promta eius consilia vbiq; venditantes, vel extremum digitum veritati in pace seruanda adhibere, & si ad traducendum fideles, eorumque labores augendum nulli parcant operæ: sed his querelis in sinum bonorum depositis in certamine hoc animose perstemus. Vobis autem adolescentes, quibus committenda erit posteritas, si quæ futura est hæc, nunc proponũtur, ideo vt, in quod tẽpus ætas vestra hæc inciderit, in timore Domini expendatis, improbos vulgatos mores caueatis, & ad accuratam veritatis illustrationem nobiscum collaborare nõ defatigemini.

Confirmatio.

Docetur in his Ecclesiis, quod corpus & san-

sanguis Christi cũ pane & vino S. cœnæ spiritualiter adsint. Si ergo huc omnipræsentia accommodatur, attendite quid fiat. Aut n. omnipræsentia corporis Christi essentialis erit aut non: si fuerit cõueniet præsentiæ in S. cœna, si vero vbiquitatem istam essentialem negaueris, non congruet, itaque accommodatione mutabit confessionem disertam harum Ecclesiarum de S. cœna.

Rursus si omnipræsentiam corporis Christi essentialem dixeris, hæretica fuerit, omnipræsentia enim hic vocatur idioma Deitatis. Certum autem est nullum idioma Dei communicari assumtæ naturæ essentialiter, vt videlicet hæc secundum essentiam vel omnipotens vel viuificans vel omnipræsens vlla ratione dicatur, neq; vllo modo ista cõmunicatio dabitur, nisi vel cõfusio vel exęquatiò vel abolitio naturarũ statuatur, quæ portenta omnia, vt hæreticissima ab orthodoxis semp sunt damnata, cum exsecratione etiam exploduntur a formula Concordiæ nostra. Huiusque sententia disertissime statuatur necessaria consequentia prænominatę communicationis, ac nisi hæc decreta simpliciter ac sine vlla exceptione concedantur, omnia anathemata probatissimorum conciliorum in Arrianos, Eunomianos, Aetianos, Anomæos, Manichæos, Nestorianos, Eutichianos, & similes veteres hæreticos, nostrò etiam seculo in Stencfeldianos scripta & pro-

mulgata infirmabuntur & quantum firmitatis orthodoxæ Ecclesiæ sententiis decedet, tantum roboris hæresibus istis accedat, necesse est. Quamobrem detestanda est Iacobi Andreæ impietas, qua non est veritus Anno. 85. contra Bremenses pag. 386. sic scribere: *Quod illi malitiose committant fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, qui humanitatem Christi negent per se infinitam & omnipræsentem, cum id non sit pure sed cum certo moderamine certoq; cum modo negandum.* Hac Iacobi opinione recepta & constante, nihil certitudinis remanebit, vel astruendi aliquid pro fide orthodoxa de Deo & Christo, vel destruẽdi illius hæretici deliria. Cũ g. modus omnipræsentiæ corporis Christi Iacobi Andreę sit hæreticus, corrũpetur etiã modus omnipræsẽtię corporis & sãguinis Christi in S. cœna ad illũ conformatus, ideoq; detestandus potius quam docendus in Ecclesia Dei erit. Cũ n. iste modus cum veritate corporis Christi nobis consubstantialis pugnet, sicut Ia. Andreę lõge aliam rationem, veritatem & definitionem corporis Christi in cœna præsentis constituit, quam sit nostrorum corporũ in refutatione orthodoxi consensus pag. 328, quæ carnem Christi spiritualem faciat ob proprietates spirituales, qua ratione & non alia præsens sit in S. cœna pag. 554. manifestũ est detestationi iam dictæ locum esse datum, certũ etiam hinc est, Caluinianorum accusationem velificari, quod qu-

quidā docentes præſentiam corporis Chriſti. Cum enim noſtrates ſemper vnice cauerint, ne huius facinoris rei extiterent & conuinci poſſent, cogitate quæſo, quanta ſit neceſſitas omnipræſentiam Iacob Andreanam a cœna Domini plane ſequeſtrandam. Cum ſacramētarii clamoribus de vbiqtate illicitis, ſe oblectent, & ſontes atq; inſontes criminentur, huiusq; portenti Luth. auctorem faciant, vt inuentione iſtius paradoxi ſanctum illum virum & eius geminos diſcipulos omnibus exoſos reddant. Notabile eſt & ad confirmationem propoſitæ noſtræ theſis magnum pondus robusq; affert, quod illa ipſa exſecrabilis vbiquitas ſit in ſacramētariorum ſchola nota & horum diſciplina educata: in ſchola autem Lutheri ab initio damnata (multum prodeſt ſi quis nouerit hiſtorias. Lutherus enim tum contra Caroloſtadium, tum contra Cinglium docuit corpus Chriſti verum eſſentiale naturale eſſe cum pane S. cœnæ præſens, hoc Caroſtadius ſe primum & vehementer offenſum eſſe.

Cum autem Cinglio placere videret, vt pro creaturis diuina, pro corporalibus ſpiritualia in myſteriis ſubſtituerentur. (Hoc enim fuit primum fundamentale exordium diſputationū Cinglii, quod res cœleſtes cū etiā per res creatas ſenſibiles aut corporales, diſpēſari abominandū cenſeret) Ipſe vbiq; pro carne ſpiritū ſonans & cum Anabaptiſtis cōſociatus

causam præbuit Luthero, vt contra cœlestes prophetas librum conscripserit, in has disputationes incidit Stenckfeldius, & corpus spirituale Christo induit, quod per sessionem ad dextram Dei sit plane cœlestis & diuinæ essentiæ & vbiq;, itaq; id ipsum in cœna adesse spiritualem cibum: nulli autem creaturæ, preterquam homini fideli vniri scripsit, & primum eius scriptum Tiguri euulgauit typis Cinglius, ipse Carolostadius literis scriptis ad Stenckfeld. & Kranvualdum in Silesia istud portentum edentes confessus est, se cum istis facere. Hæc ergo origo vbiquitatis istius hæreticæ in Germanias Ecclesias inuectæ per ipsos Cinglii fratres & socios imo opera ipsius Cinglii. Contra vero Lutherus semper verum naturale corpus præsens esse in cœna, idq; ex professo Carolostadiano & Stenckfeldiano spiritui opposuit, cumq; anno 40. Smalcaldiæ damnatus esset error ille Stenckfeldii, & Dominus Lutherus hanc ipsam doctrinam Eutichianam appellasset, ideoque vehementi zelo pro veritate commotus Stenckfeldium cum omnibus participantibus siue asseclis satanæ tradidisset anno 43, tandem in minori sua confessione ait, se omnes habere pro sacramētariis & phanaticis, siue dicatur Stenckfeldius, siue Cinglius, siue alius quispiam sit, qui neget panem Domini in cœna esse naturale corpus Christi.

Hæc

Hæc quæso obseruate tum propter Caluinianos tum propter Iacobũ Andreæ. Hæc enim Historia verissima, Caluinianos & sacramentarios contra nos ob dogma vbiquitatis triumphantes confundi, & Iacobum Andreę Stenckfeldii discipulum sacramentarium & phanaticum de sententia Lutheri conuincit & constituit, & quod potissimum huius loci est mentes a Lutheri confessione pendentes multum corroborat & edocet, quod sinceritas Lutheranæ doctrinæ istorum portentorum vbiquitariorum damnationem disertam postcat. Sed ad rem immotum est omnipræsentiã corporis Christi essentialẽ seu κατ' οὐσίαν simpliciter in cœna & extra cœnam execrabilem & hæreticam, non posse præbere modũ præsentiæ in cœna, qui verus & a Christianis credendus. Iam vero si ad Lutheri vbiquitatem respexeris, quam ipse personalem appellans, simul expresse negant essentialem, rursus constat, non posse hanc esse præsentiæ corporis Christi in cœna, quæ essentialis a Luth. credita fuit, fundamentũ. Grauis ergo est & veritate subnixa sententia, cum Dominus Lutherus 8. tomo Ienensi suã vbiquitatẽ a doctrina de cœna separauit inquiens, *longe aliam ratione esse in cœna*, cũq; is qui Lutheri vbiquitatem fundamentum præsentiæ in cœna statuat, tollat veram præsentiam in cœna a Luthero assertã corpus nimirum & sanguinem Christi essentialem, videre est, quanta

necessitate cogamur, vt hanc thesin tueamur nullo modo omnipræsentiam corporis Christi fundamentum iacere præsentiæ corporis Christi in S. cœna.

IX. Thesis

Aliquid totum essentia sua simul & semel in pluribus locis præsens esse non est promiscua idioma Dei.

Explicatio.

DIximus supra de offendiculo rationis respuentis veri finiti corporis simul & semel in pluribus locis præsentiam, id vero nunc reponitur, sed nouo argumento & fulcro, quod a Beza subiectum mirarer, nisi eum cognouissem nonnunquam eruditionis doctrinæ data opera negligentem, vt minus putetur in sua sacramentaria opinione offendere. Promisit ille de omnipresentia corporis Christi, nihil amplius dubita, si saltem hoc doceatur vnum corpus totum simul & semel esse tantum in duobus locis. Huius sui liberalis promissi rationem vt ostendat, inquit, necessario fatendum esse vbique esse & pluribus siue paucis, siue multis locis simul totum esse vnius & eiusdem esse naturæ & virtutis, nec certe humanæ, nec etiam Angelicæ, sed vnius diuinæ. Etsi vero eius hæc pompa ratio apud præstantissimos tum Theologos tum Philosophos claudicat, tamen Iacobus Andreas

dreas hic Bezæ in sua confessione ad stabiliendum suum Stenckfeldianum dogma impudenter abutens esse gaudet nec animaduertit nihil certius esse, quam vt probata sententia Bezæ præsentia veri corporis cum pane & carne a Domino Luthero asserta plane & firmissime negetur. Omnipotentia enim teste ipso Andrea corpus non reddit naturale vel nostris non consubstantiale, & tale tamen quod nostris consubstantiale sit tantum, vere hominum est, quod vero alterius sit rationis, veritatis & definitionis, quale Iacobus in refutatione orthodoxi consensus pag. 461. communicitur & pag. 328. Ratione substantiæ diuersum a nobis esse fatetur, illud verum corpus hominum non erit, nisi Stenckfeldii monstrosa opinione delectemur, qui corpus Christi essentia deificatum, verum totum corpus credi voluit. Sanis a. hominibus nedū Doctoribus, nostris antecessoribus fidelibus persuadere haud potuit. Etsi sic quidem Iacobus adhinniendo siue attingendo Bezę verā doctrinam de Christo & S. cœnæ Domini, sicut illa in Ecclesiis August. confessionis sincere addictis huc vsque tradita est, prodit & prodere laborat. Quia vero hic multæ bonæ mentes suspensæ hærent, nescientes quid statui debeat, aliquanto fusius explicabo hanc partem nostram negatiuam vt spero Dei beneficio egregie munitam.

Confirmatio.

Consideraturus hanc disputationẽ rectius non patiatur sese in quasuis speculationes distrahi, sed diligẽtissime inhęreat huic quæstioni, num vt õnipræsentia ita p̃sentia in pluribus locis simul, si de vno toto accipiatur, sit vnius Dei proprium, non vero aut humanæ aut angelicæ naturæ. Hic vero primum respondeo, proprium sane Dei creaturis nullo modo cõmunicari, vt illa etiã ipsa humanitas Christi essentialiter sit õnipotẽs, õnip̃sens, vel in vno simul tem sit præsens illa ipsa ꝓprietate. Similitudinem autem suorum propriorũ Deus suis creaturis large est dispertitus, adeo vt etiam essentialiter quandam similitudinem obtineãt, vt q̃ angeli & animę humanę sunt spiritus simplices, inuisibilis essentiæ, intelligentes, immortales. Rursus tamẽ moneo, ne quis vel hęc spirituũ ꝓpria Dei idiomata, vel sp. inde partes Dei essentiæ cogitet, sed sunt hę tã essentiæ ꝓprietates creatæ, finitæ, ideoq; a creatoris essentia & idiomatis toto genere diuersę, etsi similitudinẽ quandã excellentẽ referant. Deinde quæratur singulariter de eo, num ad similitudinem eius, quod Deus essentia sua vbiq; & in singulis locis tota sit, Deus quoq; simile in creaturã fecerit: si non constaret huius vlla assertio, hoc profecto argumentum non esset contemnendum, Quod cum essentiæ similitudinẽ õnibus essentia gaudẽtibus cõmunicauit ãgelis, & animab⁹ hominũ cõcesserit,

vt substantiæ sint spirituales, intelligentes, inuisibiles, immortales, profecto necessario fatendum est, quoduis essentiale idioma, Dei similitudine quadam communicari creaturis, non esse Deo impossibile. Verum eius, de quo singulariter quæritur, natura peculiaria nobis suppeditat exempla, cognoscatur primum proprium Dei. Iustinus in expositione fidei inquit: τὸ εἶναι πανταχοῦ κατ' οὐσίαν ἴδιόν ἐστι τοῦ θεοῦ. Dicta scripturæ, ex quibus Thesis hæc confecta est, sunt potissimum hæc: Psal. 134. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo fugiam a facie tua.* Ieremię 23. *nunquid Deus de propinquo ego sum, inquit, Iehoua, & non Deus de longinquo.* 3. Reg. 8. *cæli cælorum non possunt te capere seu te non continent.* Horum dictorum pondera hæc potissimum obseruanda sunt de proposita doctrina, quod de Spiritus vbiquitate dicitur, vt essent ę non potentiæ solum omnipræsentia notetur. 2. Quod sit communis tribus personis, quoniam facierum, id est, personarum facit mentionem, vnde essentialis idiomatis probatio. 3. Quod nullibi includatur, vt cum in hoc sit, vel illo loco, non tamen sit extra vbique, vel cum sit, extra aliquid non sit, etiam in eodem, quia & de propinquo & de longinquo Deus esse dicitur. 4. Quod vbique sit potenter: illuc manus tua deducet me, & apprehendet me dextra tua. 5. Quod hæc essentiæ & potentiæ præsentia cœlum & terram impleat, vnde modus plentiæ huius repletiuus dicitur. 6. Quod

vbiquitas vniuersi non metiatur vbiquitatem vel potentiam Dei, quin extra & vltra terminos vniuersi non extendatur, & quidem sine mẽsura, ideoq; cæteris dictis semper est addẽdum *Salomonis* 3. *Reg*. 8. Atq; hic immensus & infinitus Deus dicitur, & vbiquitas Dei ipsa infinitas & immensitas statuitur. His ad muniendem proprietatem solius Dei addatur dictum Esa. 42. *Ego Iehoua, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.*

Talia momenta datorum testimoniorum notata in meditatione huius doctrinæ dirigũt iudicium, & certitudinẽ subiiciunt, ne ex humanis lacunis, tanquam placitum quoddam Philosophorum peti existimetur. Prodest etiã ad intelligentiã conferre vbiquitatẽ vniuersi, & vbiquitatem Dei. Totũ corpus vniuersi etiã vbiq; recte dicitur, quia extra vniuersum locus nõ ponitur, & quia natura vacuum nõ recipit, ita tñ vniuersum est vbiq;, vt vbi ipsum desinat, locus cesset, & vbi locus cesset, vniuersi corpus desinat; itaq; finita vbiquitas licet perampla. Dei aũt vbiquitas immensa est. Deinde vniuersum nõ est totũ in quolibet loco, sed secundũ suas partes. Deus a. in vniuerso & extra vniuersum, itaq; infinite, vbiq; imo & in singulis & minutissimis locis totus est, cũ partes nõ habeat, nec diuisibilis simplicissima essentia. Hinc Scholastici & metaphysici disputatores hanc elegantẽ habent distinctionem, totum duplex est, aliud totalitate quantitatis.

huius

huius totius quãtitas cõmẽsuratur, vt loquũt illi, loco, in quo existit, & ideo hoc totũ vbi ẽ, nihil eius est extra illum locũ: Est & aliud totũ ꝙ definitur totalitate essentiæ, hoc non cõmensuratur totalitate loci, & quod est totũ hac totalitate, non oportet, vt si est in aliquo loco, nullo modo sit extra illum. De ea distinctione scite monet Matthias Aquarius Romæ Professor in suis dilucidationibus in 12. lib. primæ Philosophiæ Aristotelis, dilucidatione postrema *lib. 1. pag. 68. Alteri autem speciei totalitatis essentiæ definitæ non solum subiicit doctrinam, quod totus Deus sit in omnibus rebus, & totus in singulis, sed etiam diserte de anima nostra statuit, quod eodẽ pertineat, & sit quoddam totum totalitate essentiæ ac rapiatur tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis* parte. Hæc ille excellentissimi acuminis Physicus & Metaphysicus. Etsi vero hæc ipsa sententia multis de caussis displicere posset Physico, quia tamen simplicissimam essentiam Dei & animæ rationalis partibilẽ facere absurdissimum est, quomodo ad mortalitatem deduceretur opinio? Priusquã hæc cõfinxerũt, illud docere voluerũt doctissimi inter Philosophos. Quæsitũ n. fuit de animæ exordio & qñ in Aristotele non legitur, ꝙ anima essentia sua sit in toto corpore & in qualibet parte tota, multo minus accepta fuit sentẽtia. Et sane Aristoteles de animalium generatione scripsit, existimandum est animatum constare tanquam ciuitatem legibus bene constitutam: nam in ciuitate quando ordo semel

çonſtitutus eſt, nihil opus adeſſe ſingulis, quæ geruntur, ſed pro ſe quiſque ſuum munus, vt ſtatutum exſequitur. Hinc eſt ſententia, quam dominus Philippus recitat: *ſpiritus finiti*, inquit, *quamquam non ſunt res diuiſibiles, vt corpora, tamen non ſunt in vno loco, ex quo agunt ad certam diſtantiam.* Sed quia quantulocumq; in loco aliquid ſit, niſi omnibus in loci eius partibus & ſingulis totũ ſit, partem extra partẽ habere neceſſe eſt, itaque partibile erit, q̧ & dominus Philippus negauit. Quamobrem ad ſententiam alteram reditur neceſſario, hac tamen diſtinctione, vt omnibus conſtet, quod vbique ſit anima, totalitate eſſentiæ tota ſit, nec vllibi partem extra partem habeat, id quod etiam orthodoxus conſenſus Caluinianus aſſerit 134. Deinde vero ſiue ex corde, ſiue ex cerebro agat, ſiue totum corpus eſſentiali περιχωρήσει, & penetratione animet, diſcrimen oritur quidem ſententiarum, ſed quod datæ Theſi fundamentali noſtræ deroget, hoc eſt, etſi quidam negant animam in toto corpore & qualibet parte eius eſſe totã, iſtud tñ, quod non niſi totalitate eſſentiæ tota ſit, vbicunq; ſit negare nõ audent; cumq; nullum animæ poſſit dari ſpatium, quod localiter non diuidatur, in illo agnoſcendum erit, quod reſpectu totius corporis non cõceditur. A multis porro cum Philoſophis tum Theologis cõprobata eſt ſententia. Exſtat apud Auguſtinum *lib. 6. de Trin. cap. 3. Item in epiſtola fundamenti*

cap. 1.

cap. 16. & de agone Christiano cap. 20. Itē apud Hilariū in enarrat. Ps. 118. & hic quidem Dei vbiquitatē cum isto modo pſentiæ animæ cōparat. Est etiā Auerroes in 8. Physicorū. Sic Gabriel Biel postremus, sed vnus e probatiſsimis inter scholasticos *in lib. 3. sententiarum distinctione sexta.* licet anima replicetur sub partib. corporis, tñ anima in pede non est pars animæ informantis totum corpus, quia ipsa anima, quæ est in pede, ipsa eadē est in capite, & manu, & toto corpore. Thomas Aquinas in disp. de anima *quæst.* 10. *ad* 18. argumentū idem dicit de angelis: *sicut*, inquit, *angelus est in toto loco, vt non dici poſſit, pars est in hac parte, sed in qualibet totus est ita, & anima est in corpore.*

Hac sententia nixus Lutherus in initio statim suæ disputationis, de præsentia corporis Christi cōtra Carolstadium in sermone nim. cōtra Phanaticos An. 26. habito collegit, Deū hoc ipso in natura exemplum proposuiſſe potentiæ suę, vt impoſſibilitas in corpore minus offenderet naturæ scrutatorē. Eādem sentētiā sequitur dominus Chemnitius *in lib. de 2. naturis in Christo. pag.* 331. *Zanchius item de natura Dei, & diuinis attributis Dei pa.* 118. & 123. vt plures taceam. Cū ergo angelis & animabus hominum datum sit, vt sint totum totalitate essentiæ, ideoq; essentiæ illæ totæ sint in plurib. locis simul: His certe instantiis destruitur Thesis Bezæ, q; plurib. locis simul totū esse sit vnius Dei propriū. Etsi n. manet Deo

vni & soli sua infinita increata vbiquitas propria, neq; cōmunicetur vlli creaturæ, vt eadē sit vel in omnibus, vel in vno, vel in plurib. locis, tñ hæc ita accipent, q. simile quid creatum & finitū in creaturis existere impossibile ducatur, & ne Dei quidē potentiæ possibile relinquatur propositis exēplis refutatur. Quod si vero corā indocili & moroso dubiæ relinquēdæ fuerint ἐνστάσεις veterum, tamē ex recētiori doctissimo calculo gaudemus & vti possumus ad retundendam simplicem affirmationem impossibilitatis, poteruntq; rudiores auctoritatibus illis moueri, qui infirmitate ingeniorum rationum capaces nō sunt. Quod si vero in spirituali substantia possibile agnitū fuerit negatum in corporea, fateor sane discrimen spiritus & corporis naturali cōsiderationi discretionem afferre, & in applicatione dictorū difficultatē obijcere. Verum si ad possibilitatē Dei reditur, ad q̄ reuocanda est cōparatio vtriusq;, tum minus pendebit animus antea in comparatione Spiritus & corporis nō temere dubius. Potentia n. Dei non impedietur naturæ obstaculo, sed cū in natura exempla sint rē creatam ad similitudinem vbiquitatis diuinæ, totalitate essentiæ totum esse in pluribus locis promtum est, naturam pro potentia Dei testē producere, & hoc ipso naturæ impedimētum negare. Hec si prætermittere noluerit aduersarius, cogi potest reducta eius pertinacia ad hoc absurdum, possibilitatem videlicet istam

De

Dei iuxta mētē refractarii a naturæ spiritualis habilitate pendere, adeo vt nisi ista aptitudo naturæ daretur, potentiā Dei in præstādo illo, quod effecit, deficere oportuisset; quod quàm paradoxum sit, Deum videlicet naturæ subiiciēs, & naturam a Dei subiectione eximens, existiment ii, qui expedito sunt iudicio. Reuocetur etiā huc, quod supra de Deitate, licet essentia simplicissima, infinita, in vno tñ loco ita præsente, vt similiter non sit vbiq;, protulimus, & sic exerceatur ingenium morosi, themati Physico pertinaciter prius adhærescentis, quā rationibus immotis ipse firmatus sit. Porro expendatur, quod humanitas Christi finita sit in λόγῳ, & quanquam corpus circūscriptū sit in λόγῳ, quia a λόγῳ assumtum creditur, modum tamē essendi in λόγῳ non esse localem, vnde Thesis certa, quod corpus circumscriptum possit esse in alio per modum incircumscriptum, neque hoc solum, sed quod duæ naturæ, finita & infinita, in vnum ὑφιστάμενον coierunt simul, consideratur, de quo Matthiæ Aquarii Physici celebratissimi institutionem proponam. Sic enim ille in Metaphysicis suis dilucidationibus pagina 153. *diuina virtute factum est, vt duæ naturæ completæ, quarum qualibet est apta constituere proprium suppositum, vel personam sint simul in vna persona. Igitur diuina virtute fieri poterit, vt duo corpora sint in eodem loco. Consequentia patet, quia sicut se habent plures tales naturæ ad vnitatem suppositi, ita plura*

corpora ad vnitatē loci, quandoquidē sicuti quilibet natura constituit suum suppositū, ita quodlibet corpus occupat suum locū. Hæc ille. Cuius & collationem meditari operæ pretium fuerit, si modo obseruetur, quod menti curiosæ non satisfiat, quoniam vnionem personalem τοῦ λόγου cū assumta natura expenderet citra persuasionem, quæ est religiosæ auctoritatis & catholicæ fidei Christianæ. Quam primum n... supponit animus reuerentiā deberi, & fidem sacræ scripturæ & Ecclesiæ orthodoxæ, tūt... cilius expeditur disputatio, ideo potissimum, quia contra fidem Christianam mens suis argutiis minus indulgeat aut permittat, vnde apparet, nihil magis detinere disputatores in hac nostra quæstione, quam quod verba Christi plane seponit, neq; ad ea regressum instituit, nisi prius modū commodū excogitarit, ad quem illa inflectat, ipse ad eadem inflecti nolens. Quantus consensus est sanctorum patrum de corpore Christi salua veritate suæ substantiæ penetrante clausas fores? videns istam nubem Petrus martyr, non ausus fuit negare factum, neque tamen hinc veritatem corporis Christi sublatam statuit, sed Augustinum imitans, cedentibus etiam in iis, quæ ingressum impedire possunt, modo videlicet quantitatiuo & pondere, salua tamē substantia corpus penetrasse agnoscit. Patres certe substantiā & veritatē corporis Christi sine corruptione credētes, id simul crediderunt esse... corpo...

corporis Christi penetrasse clausas fores. Quis
vero Philosophorum argumentis hoc aptum
naturæ demonstrabit, cum tam sit rationi ab-
surdum, duo corpora esse in vno loco, vt fit in
ista penetratione dimensionum, quam vnum
corpus esse in duobus locis. Postquam autem
ad illud impingimus naturam & essentiã cor-
poris Christi mutari, si κατ᾽ οὐσίαν sit in pluribus
locis simul, in quo fateor tandem controuer-
siam hærere: cogitemus tam hoc per Deum
præstari posse sine mutatione essentiæ, quam
illud. Et quemadmodum in cæteris fidem ad-
hibemus Deo, deficientibus imo aduersanti-
bus rationibus Physicis, ita hic eo vsque non
defatigemur disceptando, donec ratione no-
stræ planè assistat: sed quod alibi pie facimus,
hic quoque religiosum ducamus. Responde-
bo etiam tamẽ aliquid ad hoc offendiculum,
& quomodo nimiorum mentes sese hic expli-
care queant ostendam breui duorũ argumen-
torum solutione. Primum tale est: *Cui essen-
tialiter tribuitur proprium aliquod, eidem essen-
tiam tribui necesse est. Sed humanæ Christi na-
turæ tribuitur essentialiter proprium Dei, nimi-
rum esse totum in pluribus locis.* Ergo, *eidem
naturæ humanæ essentiam Dei tribui necesse est.*
Respondeo ad Minorem: Aliquid totum esse
in pluribus locis, non est Dei proprium, quia
& animæ humanæ & angeli tales sunt, & tamẽ
non sunt diuinæ essentiæ. Porro sic: *Cui tribui-
tur attributum propriũ essentialiter, eidem essentiam*

ſpiritualem eſſe oportet: ſed corpori Chriſti in præſentia ſacramentali tribuitur proprium ſpiritus. Ergo, *corpus Chriſti facitis eſſentiam ſpiritualem.* Reſp. Iterum nego Minorem: Nequaquam enim conceſſi, proprium ſpirituum corpori Chriſti communicari, ſed iſtud propriũ ſpiritibus conſtare dixi, non violato proprio Dei, vt ſi corpori etiam a Deo ſimile concedatur, id ſine violatione proprii ſpirituũ intelligatur. Cum enim Deus ad ſimilitudinem ſui proprii creaturis quibuſdam cõmunicarit, vt ſint totæ totalitate eſſentiæ in pluribus locis ſimul, neq; tamen ſuo proprio ipſas donarit, vt ſint diuinæ eſſentiæ: poterit etiam ad ſimilitudinem proprii ſpirituum præſtare aliquid cum corpore, vt tamen proprium ſpirituum non communicetur corpori, vnde ſit eſſentiæ ſpiritualis, ſed rationem inueniet, vt corpus maneat corpus, nec fiat ſpiritus, ſicut anima finita manet creatùra, nec fit creator infinitus, etſi ad ſimilitudinem creatoris aliquid obtineat. His reſponſionibus adoleſcentes commonentur, quomodo regula de proprio, quã in dogmatibus fidei orthodoxæ aduerſus hæreticos immotam aſſeruerunt: Hic etiam conſtet, vt neq; diuinum, neq; angelicum, neque animarum humanarum, hoc eſt, ſpirituũ proprium corpori Chriſti induatur, ſed collatione infiniti ſpiritus Dei & finitorum creatorũ, res eo deducatur, vt Deo tam in corporibus, quã in ſpiritibus poſſibile, credatur, quod ad ſimi-

similitudinẽ vbiquitatis diuinę alicubi præstitit, saluis naturarum distinctis essentiis & veritatibus: quæ disputatio, cum infra de spirituali nim. vnione fidelium cum Christo ita finiatur, vt res miraculo inuoluta, & mysterio plena plane & plene nõ euoluatur, conducet huc quoq; meditatio illa, sed in suum nunc locum reseruata, vsus eius hic est, si ibi credi oportet, quod hic refugit ratio, fastidium huius non tanti est faciendum, vt hic fidelem commoueat.

X. Thesis.

Corpus & sanguis Christi in sacra cœna cum pane & vino realiter præsentia, in comestione & bibitione huic sacramento ordinatione Christo destinata, & oraliter cum pane & vino vere accipiuntur.

Explicatio.

IN hac disputatione sacramentaria istud labores multiplicat, & contentionem auget, quod singulæ theses a multis sigillatim censentur, & separatim adeo, vt quod in vna expeditum est, in aliis, quoties eius vsus est, tanquam ignotum ab ouo, vt dici solet, repetatur, quomodo mens a singularum quæstionum statu ad plurium propositionum vagam & confusam censuram distractam peregrinatur, & vbi habitare debent, nescit, vnde constans decisio nunquam exspectanda est. Sic delati ad hanc quæstionem,

num corpus & ſanguis Chriſti oraliter in ſa-
cœna percipiantur, impediti ſunt animi & in-
certi ſtudii, niſi quæ in præcedentibus expe-
ta ſunt, obſeruent, & huc adferant. Inprim-
vero huc pertinent, quæ theſibus VI. & VI
probauimus, de vnione ſacramentali & re-
præſentia corporis & ſanguinis Chriſti cu-
pane & vino in vſu ſacramentali externo. H-
ergo pręcognitis, diſputatio pręſens minus la-
borioſa erit. Quæſtio, quæ hic explicanda v-
nit, a calumnioſa interpretatione liberet-
Non enim dubitamus, quin Capernaita-
intellectus prophanus ſit & impius, quo pu-
runt, carnem Chriſti dentibus terendam
lacerandam eſſe, ſi comedi debeat, neque ta-
men ſic de ſpirituali manducatione & bibitio-
ne, de qua *Ioh. 6.* agitur, quamque fides
Chriſtum excipit, ſed de ſacramentali, qua-
actione externa ſacramento huic a Chriſto
ſignata fuit, quærimus, num videlicet in ma-
ducatione & bibitione benedictorũ elemen-
torum, quæ ore fit, tanquam in actu ſimul-
neo fiat etiam corporis & ſanguinis Chriſti
cramentalis perceptio, & os ſumentis ſit m-
dium ordinarium ſacramentalis iſtius per-
ptionis, etſi modus carnalis non ſit, quo c-
pus & ſanguis Chriſti ſumantur. Hic reſpo-
dendum ſumtionem ſacramentalem a Ch-
ſto diſerte definiri orali manducatione & b-
bitione, id quod etiam ſacramentarii fate-
tur. Verum ad panem duntaxat, & vinum

ferun-

ferunt, cui ſpiritualem poſtea iungunt, quæ fidei ſit, & corporis atq; fidei participationem ſingulariter præſtet. Iam ſi verba, *accipite, comedite, bibite*, ſimultaneo actu, licet diuerſo modo, tam corpus ac ſanguinem, quam panem & vinũ ſpectare probauerimus, id quod controuerſum eſt, expeditum fuerit. Ad hoc igitur attendatur.

CONFIRMATIO.

Poſtquam Chriſtus benedixit pani & vino, dedit illa diſcipulis ſuis, dicens: *Accipite, comedite, bibite* [illegible] *eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus:* iuſſit ergo panem comedere corpus ſuum, & bibere vinum ſanguinem ſuum, neque hic vlla eſt violenta explicatio, ſed verbis Chriſti promta, id quod etiam aduerſarii agnoſcunt, dum fatentur, corpus Chriſti comedi, & ſanguinem Chriſti bibi ſacramentaliter, hoc eſt, ſignotenus, vt ipſi volunt. Hoc vero modo largiuntur in genere, quod noſtræ præſentiæ multũ commodat: ea enim ratione dicunt, corpus Chriſti cum pane, & ſanguinẽ eius cum vino ſacræ cœnæ comedi & bibi, qua ratione res ſignatæ ſignis coniungantur. Niſi ergo, quæ de ſacramentali vnione panis & corporis vini, item & ſanguinis Chriſti, *ſupra Theſi VI. & VII.* docuimus. Itaque realem ſignatorum cum ſignis preſentiam verioribus rationibus negauerint, quam nos affirmauerimus, realem participationem corporis & ſanguinis Chriſti, in orali manducatione &

bibitione panis & vini ſacræ cœnæ coguntur admittere, cum ad modum vnionis ſacramentalis perceptionem ſimultaneam corporis & ſanguinis Chriſti reducant ipſi. Itaque præter fidei rationem, quæ ſacramentum non facit, ſed ad illud integrum affertur, ſumtionem ſacramentalem corporis & ſanguinis Chriſti conſtituant, id quod obſeruatum facit ad declinandam intempeſtiuam rationem manducationis fidei, quæ vt extra ſacramenti λόγον & definitionem, ita aliena eſt a ſacramētali ſumtione, itaque pro hac, nec erudite nec pie ſubſtituitur. Quod vero obiicitur, Paulum verbo comedendi tantum panem, & verbo bibendi tantum poculum aptare, indeque colligitur, quod verba illa, ſcilicet *accipite, comedite, bibite*, ſolummodo ad res viſibiles externas pertineant, vt hæ ſolum orali ſumtione percipiantur. Ad hoc reſpondemus, Apoſtoli ſermonem praue allegari: dicit enim, *quotieſcunque comederitis de pane hoc, &c.* Palam ergo per demonſtratiuam particulam adiectam & repetitam, hoc eſt, inculcatione ſingularis ponderis vocem oſtenſam ad verba Chriſti mentem reuocat, ne panis & vinum ſimpliciter, ſed ille panis, qui dictus fuit, eſſe corpus Chriſti, illudque vinum, quod dictum eſt, eſſe ſanguinem Chriſti. Itaque vtrumq; ſimul intelligatur, & hoc quidem non negant Caluiniani, quod particula, *panis ille & poculum iſtud*, diſcernantur a communi cibo &

poton

potu, sed vnionem eam, quam supra docuimus sacramentalem, refugiunt, ideoque vrgendæ sunt demonstratiuæ particulæ, quod repetant non humanam æstimationem huius cibi & potus, sed Christi indicationem, qui *panem* dixit *corpus suum*, & *vinum* vocauit *sanguinem suum*. Vnde certum est, non disiuncta, sed vnita illa appellari, cum hic panis & hoc poculum nuncupantur, imo vt probe notaretur, cum pane corpus & cum vino sanguinem Christi distribui, dixit Apostolus: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne est κοινωνία sanguinis Christi.* Hæc locutio non potest saluari, si fidei κοινωνία duntaxat, & non potius atque prius sacramentalis perceptio accipiatur. Non enim fides pani vnit corpus Christi, sed credentem Christo incorporat. Aut ergo panis, quem frangimus, non erit illa κοινωνία, aut vnio illa sacramentalis inter panẽ & corpus Christi, cuius ratione panis, qui frangitur, sit κοινωνία corporis Christi, diuersa erit ab vnione spirituali, quæ est inter Christum & credentem. Quod autẽ sacramentalis vnio non solum signandi ratione finiatur, sed realem præsentiam recipiat, supra probauimus. Hinc ergo κοινωνία dependet, quemadmodũ sacramentarii eam ad signationẽ reuocant. Notãda est & hęc phrasis, ꝙ Paulus *manducare* & *bibere* in hoc sacramento dicit, esse μετέχειν τραπέζης κυρίου. Mensa autem Domini non restituitur pane tantum & vino, sed

ſimul corpore & ſanguine Chriſti, adeo vt panis ſit corpus Chriſti, & vinum ſanguis Chriſti, extra quam vnionem menſa non eſt Domini, hoc eſt, ſingularis, ſed communis. Vt ergo de menſa Domini participetur, oraliter manducando & bibendo (de his enim μιϐχις ſpeciebus in inſtitutione Chriſti definitis loquitur Apoſtolus, cum dignos & indignos appellat) neceſſe eſt, vnite ſumi, quæ vnitæ in menſa proponuntur. Atq; hoc facilius concederent ſacramentarii, ſi tantú fideles menſę huius conuiuæ eſſent, quoniam increduli etiam accedunt. Vnde oritur ipſis nouum ſcandalum, quo moti ſimultaneam illam perceptionem, licet diſtinctorum modorum plane reſpuunt, id quod ideo indico, vt auditores obſeruent, aduerſarios noſtros non duci verbo Dei, ſed ratione carnis: & priuſquam hanc ad illud inflectunt verbum Dei, rationi cedere iubent. Quod vero illis eſt retrocedendi prophaſis & prætextus, id nobis eſt firmum argumentum, ipſos refutandi. Poſt ergo de dignorum & indignorum manducatione agemus, illud tantum hic ſubiicientes, quod Paulus etiam in typo manducationem & bibitionem oralem aptarit cibo & potui ſpirituali, qui erat Chriſtus, 1. *Cor.* 10. Id quod in illis illuſtrius argumentum habet, qui non placuerunt & proſtrati ſunt. Vbi enim fides deeſt, vt in non placentibus, ibi perceptio ſpiritualis fidei locum non habet, & facta tamē eſt manducatio

ducatio & bibitio Christi: sacramentalis ergo, quæ est oralis manducatio & bibitio a corpore & sanguine Christi non est sequestranda, cum de cœna Dominica quæritur.

XI. THESIS.

Digni sunt credentes, siue firmi, siue infirmi, indigni sunt increduli.

EXPLICATIO.

ANtequam de discrimine manducationis disparium cõuiuarum dicamus, diligenter primum disquirendum est, quomodo digni & indigni hoc loco definiantur. Si enim immediata oppositio fiat fidelium & infidelium, aduersarii sentiunt, se indignorum manducatione pressissime vrgeri, cum his ipsis textus Pauli κοινωνίαν & participationem corporis Christi tribuat. Quapropter in gradibus fidei oppositionem finxerunt, dignosque fecerunt firmos in fide; indignos vero infirmos in ipsa. Hæc deflexio a sensu Paulino Apostolico, nunc demonstranda est peruersa, neque tantũ arguenda falsitatis, sed etiam argumenti loco reponenda, quod aduersarii agnoscant explicatione Apostolica veram & realem perceptionem corporis & sanguinis Christi, qualem fidelibus contingere statuunt, dignis & indignis communem esse. Ideo enim dignos & indignos fidelium species faciunt, vt quod a Paulo dictum, suis antecessoribus palam aduersum animaduerterunt, hoc declinent.

Confirmatio.

Doctrinam de dignorum & indignorum discrimine Apostolus Paulus ex his institutionis verbis deducit: *Hoc facite in mei commemorationem*. Summus autem consensus est, postulari his verbis fidem in Christũ pro nobis passum & mortuũ. Fides ergo hæc discriminis istius nota est. Dignorum autẽ & indignorum oppositio est contrariorum, quorum medium in scriptura non datur. Aut ergo credentes & non credentes definiat dignos & indignos, aut mediũ horum oppositorum demonstrandum erit, idque verbis textus contentum. Etsi autem firmi sunt & infirmi credentium, singuli tamen credentiũ classe comprehenduntur, neque infirmi non credentibus aggregantur, & quidem dignitatis ratio, si æstimata fuerit, illa nec a firmitate fidei pendet, neque ad gradus huius incrementa vel decrementa cadit, sed sicut fides, non vt qualitas & opus, verum correlatiue per & propter Christum apprehensum iustificat, & iustificando dignos reddit, itaque dignitas ad firmitatem & infirmitatem fidei, quæ qualitatiue exsistit, non est affirmanda vel neganda, neque rei gradus inde erunt, vnde res ipsa non constituitur. Patet ergo, quod firmitas & infirmitas fidei oppositionem dignorum & indignorum non reddat mediatam, & quidem dignitatis respectu, firmitatis vel infirmitatis æstimatio nulla est. Idcirco grauiter pec-

peccant, & principales partes Christianæ doctrinæ destruunt, qui dignos & indignos firmitate & infirmitate distinguunt. Neque in fundamento distinctionis horum graduum ratio innuitur: iubet Christus commemorare mortem suam: digni ergo sunt commemorantes illam mortem, indigni vero sunt non commemorantes. Non enim graduum commemorationis vllum fit indicium. Expendatur enim indignorum censura in iudicio Dei: qui enim indigne manducant & bibunt, rei fiunt corporis & sanguinis Christi, item iudicium sibi manducant & bibunt. De credentibus autem *Ioh.* 1. dicitur: *Quotquot receperunt eum*, *&c.* Ioannis 5. *Qui credit, non venit in iudicium.* Ioh. 6. *Quicquid mihi dat pater, ad me veniet.* Hic nullo modo locus erit exceptioni & distinctioni firmitatis & infirmitatis fidei. *Marci* 9. Pater obsessi petens, vt si Christus possit, commotus succurrat filio. Hoc aufert responsi, *si potes hoc credere.* Pater vero pueri statim clamans, cum lacrymis dixit: *Credo Domine.* His dictis, Iesus spiritum obiurgauit, & ei imperauit, vt egrederetur, nec amplius ingrederetur in eum. Hæc historia infirmos in fide credentibus annumerans, quibus omnia sint possibilia, iisdem infirmis misericordiam Christi largissime probans, vetat imbecillis fidei homines, tanquam reos corporis & sanguinis Christi statuere.

& condemnationi ſubiicere. Sic Paulus ad Rom. 14. diſerte loquitur: *Deum infirmum in fide aſſumſiſſe*, inde concludit, *talem non condemnandum eſſe*. Hæc vero omnia tolluntur aut deprauantur, ſi indignos hic dixeris, *imbecilles in fide*. Hic etiam expendatur phraſis Apoſtoli: *Probet autem homo ſeipſum, &c.* Eſt autem probare ſe idem, quod *in ſe deſcendere, & examinare ſe*, & quidem probatio iſta hunc finem ſpectat, num aliquis ſit dignus conuiua huius cœnæ. Dignus vero per ſe nullus eſt, niſi præparatus ſingulariter, dicit enim Apoſtolus: *homo probet ſe*: ergo probando, quod homo ſit, ad indignitatē ſuam primo agnoſcendam deducitur, cum *omnis homo mendax ſit*, Pſal. 116. *Et omnes peccauerunt, & carent gloria Dei*, Rom. 3. Ideoq; per ſe indignus quiſque eſt, ſub cuius tectum ſubeat Chriſtus, *Matth.* 8. ἑαυτὸν, inquit, *ſeipſum probet*, vt nimirum ſe quiſq; probe excutiat, quo ſe hominem, & non niſi indignum Deo habeat ſui reſpectu. Hac agnitione & humiliatione, quā Deus per verbum operatur, præparatio incoatur. Baptiſta enim miſſus, vt paret viam Domino, hac doctrinæ ſumma iſtud facit: *Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.* Per pœnitentiam ergo ex indignis Deus dignos facit, & ſicut ſe hominem probare eſt de ſua propria dignitate nihil præſumere, ſed ſe coram Domino abiicere, ita credere Euangelio nihil eſt, niſi mortem Chriſti, obedientiam & dignitatem

tem huius ſolius ſaluatoris commemorare & prædicare, vt hæ phraſes hoc loco iunctæ, nimirum probet ſeipſum homo, & meminerit mortis Domini, integræ pœnitentiæ deſcriptionem proponant, qua Chriſtus, qui dat reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorũ, *Act.* 5. ſuos conuiuas ipſe præparet, vt digni ſint. Quod ſi vero firmitatis hic, & infirmitatis fidei ratio infarciatur, vnde dignorum & indignorum diſcrimen ſit, manifeſtum eſt, dignitatem æſtimatione hominis cenſeri, in quo fidei robur qualitas eſt & opus. Itaque illa probationis parte non humilitatem, ſed ſuperbiam ſuadere, & credentem eſſe, qui ſibi etiam fidat, non ſoli Chriſto, & beneficium ſuæ dignitatis partiatur cũ morte Chriſti, cui tantum derogabitur, quantum homini arrogabitur. Quomodo fides in probatione deridetur iuxta pœnitentiæ membra, & tam in priore parte, in homine eſt cognitio ſuiipſius, quam in poſteriore, quæ Chriſtum æſtimat, hoc eſt, fiducia ſui & Chriſti cõſtituetur. Tanto vero dignior erit & firmior fide, quanto plus Chriſto ſubtraxerit, quod ſibi ſumat: infirmus autem tanto indignior, quanto ſibi minus, Chriſto vero plus tribuerit, hoc eſt, euertetur totus Chriſtianiſmus, & digniſſimus nõ tam ex Chriſto, quam ex ſe appellandus erit. Contra vero, cum fides Chriſtiana dignitatem noſtram coram Deo probatam tantum ex morte ſeu traditione & merito Chriſti re-

missione peccatorum & imputatione iustitiæ in eos redundare profiteatur, & partitionem illa non recipiat, vt Paulus Rom. 11. positis sic operibus nostris gratiam perimi & tolli dicat. Indignissime vero ille erit firmissimus in fide, qui firmitatis, hoc est, qualitatis & operis sui æstimatione dignitatem Christo detractam sibi suffuratur, cum etiam perfectio fidei, quæ nihil infirmitatis habeat nulli sanctorum in Ecclesia Christi militanti vnquam concessa sit, dignus conuiua nullus exspectandus esset, cum in hac tantum vita cœna hæc vsurpanda, Christo autem ad iudicium comparente cessatura sit. Vana ergo & maxime impia, atq; in Christum saluatorem blasphema est opinio Grynæi: *dignos firmitate, indignos infirmitate fidei definiens & discernens.* Opponimus etiam ipsi Caluinum, qui ad verba Pauli (*probet seipsum homo*) ita ascripsit: *Neq; vero perfecta aut fides aut pœnitentia requiritur, sicuti quidam, perfectionem, quæ nusquam reperiri potest, nimirum vrgendo vniuersos mortales in perpetuum a cœna arcent. Verum, si serio animi affectu ad Dei iustitiam aspiras, & miseria tua agnitione humiliatus totus in Christi gratia recumbis & acquiescis, scito te dignum cõuiuam, qui ad hanc mensam accedas. Dignum intelligo, quem Dominus non excludit, etiamsi aliqui nonnihil in te desideretur. Fides enim etiam incoata ex indignis, facit dignos.* Hæc Caluinus.

XII. Thesis.

Digno-

Dignorum & indignorum vna est & eadem manducatio & bibitio sacramentalis, constans tam corporis & sanguinis Christi, quam panis & vini orali perceptione.

EXPLICATIO.

NOn est superuacanea quæstio indagans, quod indigni in sacra cœna percipiant, tum quia Spir. sanctus hanc non repudiauit, sed receptam explicauit, tum, quia vsum eius fecit alimentum timoris Dei apud dignos, & contra indignos argumentũ constituit ad dehortationem ab impia securitate graue, cum reatus & iudicium in perceptione illa fundentur. Inprimis vero hoc tempore nobis illa quæstio est vtilissima, cum fortissime refellat sacramentarios præter præsentiam, quæ fidei offeratur, nullam realitatem & veritatem pręsentiæ corporis & sanguinis Christi in sacra cœna admittentes. Itaq; a pane & vino benedictis elementis huius sacramenti veri corporis & sanguinis realem præsentiã sequestrantes. Hoc enim, si verum est fideles tantum & digni vere participabunt corpus & sanguinem Christi in hac cœna. Indignorũ autem & infidelium κοινωνία & μετοχὴ seu participatio ad realem sumtionem corporis & sanguinis Christi non pertinget, sed hanc negatiuam falsam & contrariam euincit scriptura, vt iam probabimus. Sacramentorum ergo Thesis exclusiua falsa.

Confirmatio.

Differentia dignorum & indignorum, seu fidelium & infidelium participantium hanc mensam ex tabula huius institutionis, huius cœnæ petenda est, & illa in parte minime statuenda, vbi Christus discrimen nullum fecit, sed potius communionem: ast vbi de perceptione sacramentali, hoc est, de manducatione panis, qui est corpus Christi, & de bibitione vini, quod est sanguis, in institutione agitur, nullum a Christo editum est differentiæ indicium, sed omnibus communicantibus eadem ratio percipiendi delata & attributa. Ergo religiosa obseruatione institutionis Christi, prohibemur differentiam in loco isto instituere. Quod vero digni & indigni perceptione sacramentali adeo nō discernantur, aut etiam eadē conueniant & participent, pariter illud manifestum est, cum Christus vna tantū forma loquendi vtatur: etsi non solum Ioannes & cæteri digni, sed etiam Iudas, in quem Satanas intrarat, cœnam illam sumserit. Qui hic negant, Iudam ad hanc cœnam admissum fuisse, & euincere laborant, quod, antequam ea incoaretur, disruperit, illi nostræ probationis neruum firmant. Vnam enim & perceptionem sacramentalem, nullamq; huius distinctionem in dictis verbis Christi contineri agnoscunt, cum alias inde Iudam non segregent, in cæteris vero dignorum & indignorum rationem non reperiant. Deinde vrgeri possunt

possunt in tentatione Christi, quod cœnā instituens non præsentium tantum rationē habuit, sed qualem illam semper in Ecclesia sua celebrari & haberi vellet, ordinauit. In Ecclesia a. mixtam cōmunionem agnouit, & vsq; ad finem mundi talē futurā prædixit ipse *Matt*.13. Saltē ergo posterorū ratione mentio discriminis in descriptione perceptionis sacramētalis faciēda fuisset, etsi ex discipulis tunc indignus nullus fuisset cōuiua. 3. Apostolus Paulus, qui post ascensionem Christi ab hoc repetitā accepit institutionem, nihil in ista parte immutatam cognouit, ipse quoq; ad promiscuū cœtum cōmmunicantium eandem repetens, etsi in hoc indignorum sortē tum singulariter æstimare cōstituerit, nihil tñ discriminis inserit dicto loco, qui de sacramētali agit perceptione. Ergo quod de absentia Iudæ obiicitur, & si sine cōtrouersia cōstaret, quod tñ ne veteres quidem patres oēs cōcedent, nihil tamen prodest ad infirmandū hoc argumentum, quod Christus ad dignos & indignos eadem forma verborum perceptionem sacramentalem definientium vsus sit.

Omnino autē hoc sermone perceptio corporis & sanguinis Christi asseritur, *accipite, comedite*, hoc est, panis *benedictus est corpus meum*. Item, *bibite hoc vinum benedictum est sanguis meus*, cuius affirmādi gratia Thesin 10. dedimus. Præterea Paulus diserte docet, discrimen dignorum & indignorum a Christo tra-

ditum non esse quærendũ in parte institutionis continente substantialia sacramenti, sed in his verbis, *hoc facite in meicommemorationem*, quod quale discrimen præbeat Thesi II. dictum est. Porro ab hoc discrimine argumẽtum petiturus quibus indignos moneat, quãto cum peccato ad hanc mensam accedant, studiose cauet, ne aliter de indignis, quam de dignis loquatur, quoad perceptionem sacramentalem. De dignis enim, inquit, *quotiescumque ederitis panem hunc & item probet homo seipsum & sic de pane illo edat, &c.* De indignis vero, *itaque, quisquis ederit panem hunc & biberit poculum hoc.* Item, *qui edit & bibit indigne damnationem sibi edit & bibit non discernens corpus Domini.* Hic notentur particulæ demonstratiuæ ad istam partem institutionis nos remittentes, quæ de perceptione sacramentali tradit: deinde quod eadem demonstratio dignis & indignis adhibeatur, & sic in ista parte discrimen negetur: Communio vero æqualis statuatur: videtur tamen nobis obiici posse quod in parte institutionis, quæ substantialia sacramenti proponere dicitur ita legatur, *hoc est corpus meum*, *quod pro vobis traditur.* Et quod Lutherus in Catechismo ait, *hoc verbum PRO vobis requirit omnino corda credentia.*

Probabile ergo putatur, dignis solũmodo sanciri hanc cœnam, & istorum duntaxat sit definita perceptio veri corporis & sanguinis

Christi

Christi. Respond. Illa sunt descriptio veri corporis Christi, sicut etiam sanguini additur similis, & requiritur omnino vt fides, ita & corpus & sanguinem Christi intueatur, sicut proponitur. Neque tamen illa oratio corpus & sanguinem Christi totaliter describens, & hac ipsa determinatione dignorum rationem præbet, cum pro iis etiam Christus mortuus sit, qui pereunt. *Rom.* 14. *Et* 1. *Corinth.* 8. vtque corpus & sanguis Christi dignos faciat, singulorum fide opus est, de qua inter substantialia sacramenti nulla fit mentio, sed in parte definiente vsum postulatur, cum dicitur: *hoc facite in mei commemorationem.* Estque aliud de obiecto fidei agere singulariter, aliud de fide in obiectum illud delata, idque apprehendente & tenente illud, licet pro omnibus oblatum, non tamen hac ratione tantum efficit, vt dignitas, quæ hic flagitatur, singulis constet, sed præter id, quod tradito Christo factū est, fide opus est, quo solo medio fit satisfactionis applicatio. Vtque hinc tantum dignitatis, quæ hic definitur, ratio manat, ita in descriptione obiecti fidei nuda, qualis est in his verbis; *corpus quod pro vobis traditur*, eandem dignitatem definitam statuere vanum est.

XIII. THESIS.

Christus carne sua non necessario, sed libero viuificat, simulque iudicii & condemnationis potestatem habens.

EXPLICATIO.

Hanc Thesin pono, vt offendiculũ remoueatur, quod doctrinæ explicatæ obiicitur, quasi necesse sit impios & incredulos viuificari, si corpus & sanguinem Christi in sacra cœna realiter participent. Neque vero hoc consequens firmum erit, nisi firmato antecedẽte hoc, quod caro Christi, ceu naturale agẽs, necessario viuificet omnia, quibus realiter adsit, veluti cum ignis necessario comburit admotam stipulam, nec potest suspẽdere actionem illam. Talis necessitas de carne Christi cogitãda non est. Vere quidem dicitur & est viuifica, sed nõ naturaliter, essentialiter vel etiam formaliter. Vis enim viuificãdi proprietas Dei est, neque fiet proprietas creaturæ in æternum, nequidem assumtæ massæ Christi, seu humanitatis Christi. Et quanquam Deitas naturaliter viuificet, & essentialiter, qualiter caro Christi neque viuificat: agens tamen & ipsa est liberum, cuius proprietate sine confusione communicat caro Christi, quia facta est τοῦ λόγου propria caro, essentia quidem & essentialibus proprietatibus nequaquam viuifica, sed perpetuo a Deitate distincta, in persona tamẽ τοῦ λόγου caro illa ὑπόστασιν & subsistentiam habens organum simul exsistit, per quod persona illa viuificet secundum beneplacitum suũ, non sicut Deus per Eliam 3. *Reg.* 17. vel per Eliseũ 4. *Reg.* 4. vel per Petrũ *Act.* 9. vel per Paulũ *Act.* 20. mortuos resuscitat, qui sane sunt instrumenta,

strumenta, per quæ diuinitas illa opera efficit, qualeque organum Nestorius in humanitate Christi fingebat, sed modo organi plane singulari, & non habente exemplum simile, quia nimirum caro hæc personaliter vnita est τῷ λόγῳ, eiusque propria facta & medium constituta, per quod Christus libere agat, quæ velit, essentiæ carnis humanæ veritate plane salua, & nobis per omnia consubstantiali manēte, organum, inquam, proprium & proximum euasit, indeque & ita caro Christi viuifica dicitur. Diligenter etiā notetur aliud esse, quod caro Christi τοῦ λόγου sit propria, propter personalē vnionem, & quod sit organum huius, vel illius operis diuini. Illud n. semel factum, perpetuo vnum & idem est & permanet, neq; personalis vnio magis magisq; firmatur, vel aliquando infirmior, nonnunquam firmior fuit aut erit, neque caro aliquando magis propria τοῦ λόγου dici potest, aliquando minus, nihilq; eius vnionis & appropriationis, siue ex toto, siue ex parte tolli, aut suspendi potest, quasi res esset ad libertatem voluntatis intendenda, vel remittēda, siue exserens, siue cessans. Organi vero ratio ad hanc, vel illam actionem secundū liberam voluntatem Christi disposita & composita est ad illam. Etsi enim caro, seu humanitas Christi propria organum est singulare, & per appropriationem distinctum ab omnibus aliis creaturis, quib. mediantib. Deus aliquid agit & perficit, & hoc respectu nullā diuersita-

tem iuxta discrimina volentis & nolentis admittit & recipit, diuersimode tamen, iuxta velle & nolle Christi adhibetur ad agendum & diuersimode agit. Modo enim ad vitæ opus, modo ad opus mortis, modo præsens, modo absens, non quidem a λόγῳ, cuius præsentiam in æternum nō deseret, a creaturis tamen, in quas per hoc organum agitur, absens vsurpatur, ideoq; libertas nō tantum efficaciam, sed etiam præsentiam essentiæ organi istius, cuiuscunque etiam sit modi & gradus, etiamnū moderetur, vt sicuti nō est necesse, vt semper per illud vnum & idem fiat, quin suspēdi possit ἐνέργεια, ita necesse non est si esse efficax debeat, ibique præsens sit caro, vbi Christus per eam operatur. Quamuis ergo in data Thesi nostra de viuificationis actu & suspensione contrariique operatione potissimum quæritur, libertatem tamen præsentiæ simul notasse non solum proderit contra imaginationes vbiquitarias, sed etiam Caluinianorum ratio pudefaciet, qui data præsentia efficaciam dari præsumunt cum tamen & præsentia & efficacia a libertate voluntatis pendeant, id quod in exemplis, de humanitate adhibita ad operationes miraculosas historia Christi diserte monet, ideoque hoc obseruatu dignum ostēdi. Cōsideretur etiam, quod cum in Thesi fit mentio viuificationis, agatur dumtaxat de illa spirituali, quæ tantum est credentium, cui necessario præsentia carnis & sanguinis Christi

conce-

concedēda est, nō quod personalis vnionis necessitas hoc flagitet, neq; vel physica vel personalis, sed plane alia & singularis, ideoq; solūmodo, quia Christus ita voluit, & voluntatem hanc suam declarauit immutabilem *Ioh. 6.* cū inquit, *Amen dico vobis nisi ederitis carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem* (edendi autē & bibendi Metaphora inprimis Emphasin recipiendi præbet, vt etiam Beza fatetur) *non habetis vitam in vobis.* In viuificatione autem corporaliter mortuorum & aliis operibus innumeris illa necessitas adeo non habet verbum, quod sit constantis voluntatis declaratio, vt diuersimode exemplis, itaque libertatis vsu refutatur.

CONFIRMATIO.

Expendatur 1. Deitas ipsa, quæ est naturaliter viuifica, neq; tamen vbicunq; est, ibi etiam viuificandi vim opusque exserit, editq;. Quis enim ambigit: Deum essentialiter præsentem esse omnibus morientibus? Si ergo necessario eius præsentia viuificaret, nemo moreretur, si necessario resuscitaret mortuos, quia præsens nemo maneret in morte, cū Deitas semper sit omnipræsens digitus inscripsit 10 verba lapideis tabulis Moysi in monte traditis. *Exodi 31.* neque tamen lapides illi propterea viuificati sunt, multominus vita spiritualis præsentiæ Deitatis necessarium erit effectum, neque in sacramentali præsentia necessario fit operatio iuxta vim necessario Deo propriā. Nō

enim præsentia Dei igne & rubo singulariter exhibita Moysi *Exod.* 3. viuificauit & ignem & rubum, vel istas creaturas spirituali vita donauit, sicæ arc substantia, cui suam præsentiã admirandam & sacramentalẽ promiserat Deus. *Exod.* 25. non fuit inde viuificata. Cum vero viuificatio carnis Christi sit effectum Deitatis, eadem libertate censebitur in carne, qua per se, nisi carnem constrinxisse Deitatem & vim illi attulisse dixerimus, vt necessario agat. Quis de corpore Christi somniabit, quod viuificauit terram & mare, quia super illa ambularit, aerem, quia Christus illum percusserit sono vocis suæ viuificæ? corpus quidem tactum vim emisit. *Marci* 5. *Matth.* 9. Sed non in omnes, a quibus contingebatur. A turba enim circumfusa comprimebatur, & tamẽ tantum in mulierculam sanguinis profluuio laborantem operabatur non necessario. Christus filiam Archisynagoge, prehensa eius manu, resuscitauit, *Matthæ nono.* Filium viduæ, intactum vitæ restituit, neque pheretro vitam dedit, quod tetigerit, *Lucæ septimo.* In resuscitando Lazaro tactu nullo vsus est, sed, lapide per alios amoto, mortuum verbo e sepultura euocauit, qui sic vitæ redditus prodiit. *Iohannis vndecimo.* Fidem etiam centurionis hanc, quod Christus, licet corpore absens curare posset, vid. ægrotos solo verbo cũ admiratione dominus p̄dicat *L.* 7. neq; mystica p̄sentia corporis Christi necessario viuificat.

Etsi

Etsi autem cum pane & vino sacræ cœnæ adest corpus & sanguis Christi sacramentaliter, non tamen illa elementa etiam a Christo benedicta, ipsiusq; manu præbita viuificata sunt. Omnino ergo hinc friuola apparet argumentatio aduersariorum sic statuentium: Si infideles oraliter perciperent corpus Christi, viuificarentur, sed hoc absurdum. Ergo & illud. Est n. fallacia consequentis, cum non sit necesse, dato illo antecedente, dari hoc hoc Hepomenō, *filius quos vult viuificat Ioh.5.* Ergo non necessario. Viuificationem autem carnis suæ promisit duntaxat credentibus in se, & sic recipientibus carnem illam, necessario credenda illa viuificatio; nihilominus tamen, vt libertas eius hic quoq; cōspicua esset, fideles inæquales firmi videlicet & infirmi videlicet, neq; æqualis, omnibus vigor & fortitudo spirituals contingit in hac vita. Absit etiam, vt hæc libertas deroget naturæ aut mutet eam. Quamus enim sint discrimina donorum, vnus tamen est spiritus, vnus Dominus, vnus Deus, 1. *Cor.*12. Hoc est, discrimina libere agentis Dei in diuersis effectis agnita naturam Dei non mutant. Porro non solum viuificatio libere inenditur, sed etiam contraria opera per carnem Christi edi possunt. Nam Christo secundum humanitatem data est omnis potestas in celo & in terra, a qua non secludetur damnatio, cum pater filio dederit Iudicii potestatem, quia filius hominis

ſit *Ioh.5.* Omnis etiam poteſtas illa non a præſentia carnis Chriſti, ſed a voluntate tum præſentiam tum efficaciam decernente pendet, ac ſi velit per abſentē carnē aliquid peragere, nū hoc Chriſto impoſſibile putabimus, imo, vbi præſentia certa ordinata eſt operum tamē diſcretio libertati voluntatis eius accōmodāda erit, niſi Categorica & immutabili promiſſione neceſſitatē ipſe definierit, quæ & ipſa volūtatis eſt teſtificatio, eadē pſentia ſeſe ſanctis & impiis conſpiciendum præbebit in die iuſti iudicii: illos a. ad ſe ſumet in æterna tabernacula & manſiones cœleſtes, hos a ſe repellet & ad inferos detrudet. A præſentia igitur eadem ad eundem effectum, niſi hoc voluntas Dei expreſſe perſuaſerit, non eſt conſequentia neceſſaria. Libertati etiam hic argumentum inſigne datur, quod Chriſtus, etſi omnem poteſtatem habeat, non tamen eadem præſentia in ſingulos omnem exſerat, nō n. fideles & ſaluat & damnat vel infideles dānat & ſaluat. Sic tam in ſacramento, quam extra hoc, credentibus vitam impertit, & tā abſtinentes ab hac cœna, quam accedentes ad eam impios damnat, vt libertatis ſuæ plurima argumenta præberet. Ad voluntatē g. Chriſti liberrimā deducti ab ea ſtatuendi regulā petamus, ſiue de præſentia corporis Chriſti, ſiue de huius efficacia quicquā pronūtiandū fuerit: Qui canon vtinā huic cōtrouerſiæ dominaretur, exorbitationes ad dextram & ſiniſtrā minus frequentes ierent.

The-

XIIII. THESIS

Sacramentum cœnæ instituit Dominus hoc fine, vt abundantem suam gratiam exsereret pascendo fidem, caritatem & spem dignorum, qui finis indignis vertitur in aggrauationem impietatis & iræ diuinæ exacerbationem.

EXPLICATIO.

ANtequam de fructibus S. cœnæ dicamus, fines intuebimur, quos institutio Christi spectauit. Hic vero de gratiæ lucris dici nō potest, quin odor mortis ad mortē iūgatur odori vitæ ad vitā, queādmodū Apostolus 1. *Cor.*3. de sacrosancti ministerii Euangelii diuersis effectis loquitur. Quod ministeriū & verbi & sacramentorum dispensatione constat. Recte quidem dicitur, quod Deus sacramentum hoc Ecclesiæ suæ proprio vsu ordinarit ad vitam, non ad mortem. Neque in dubium hic vocanda est fides Dei, quasi fallere velit, vna manu panem & piscem ostentans, altera vero lapidem & scorpionem præbens. Quod nequidē parentibus humanis, qui mali sunt, ꝓpriū conceditur *Luc.* 11. Quandoquidē a. imperscrutabilis sapientia & irreprehēsibilis sanctitas eius in Ecclesia etiā Zizania tolerat, & malos pisces cū bonis vno reti ministerii cogit *Mat.*13. ideo ꝙ bonis in bonū ordinatū est, cedit malis in malū, itaq; misericordię, quę illis parata est, iustitia cōiūgēda est, quę in hoc animaduertit. De fine g. ordinationis alicui⁹ Dei

gratiosæ semper ita statuendum est, vt abutenti gratia contrarium decernatur χρηστότης & φιλανθρωπία Dei e nulla re magis elucet, quam ex aduentu filii Dei & manifestatione eius in carne, eiusq; cum hominibus colloquiis habitis *Tit.* 3. 1.*Tim.*3. Et tamen de familiaribus & auditoribus suis ingratis Christus *Ioh.* 15.inquit, *si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Sic cum benignitas Dei ad resipiscentiam inuitat, mali, contemtis diuitiis diuinæ benignitatis, pro duritie sua & corde pœnitere nescio, thesaurizant sibi iram *Rom.* 2. Itaq; culpæ abutentium imputatur, cum bonitas Dei seueritate permutatur, non tamen sine opere Dei iustitiam exercente, & gratiam suam spretam vindicante. Etsi ergo fines huius sacramenti proprii boni saltem sunt, itaque alieniores contrarii, qui tamen iusto iudicio Dei eueniunt contrarii, non sunt sequestrandi omnino a diuina ordinatione.

CONFIRMATIO.

Quod de abundante gratia dixit, manifestum est ex collatione sacramentorum ad verbum, quia cum fidem, spem & caritatem Deus suo verbo largiatur, excitet & nutriat, additio sacramentorum eodem tendentium & auctiora illa bona reddentium, illustre est abundantis gratiæ testimonium. Fines ad ea reuoca, quæ auctore Apostolo & sufficienti

enu-

enumeratione fines monstrant, ad quos ministerii Euangelii, hoc est, verbi & sacramentorum vsus in hac vita reuocatur. 1. *Cor.* 13. Fidei autem mentionem habet institutio, cum Christus inquit: *hoc facite in mei commemorationem.* Caritatis augmentum sequitur fidei incrementum necessario, præbetq; participatio vnius mensæ eius argumentum graue, & Paulus 1. *Cor.* 10. inquit: *vnius panis, vnum corpus, multi sumus.* Quæ vero sit corporis cõsideratio membrorum, nimirum ad membra relatione & proportione ad *Ro.* 12. *& ad Eph.* 4. explicatur. De spe alenda hæc verba Apostoli commonent: *annuntiabitis mortem Domini donec veniat* 1. Cor. 11. De aggrauata impietate Apostolus inquit: *indigne manducantes & bibentes reos fieri corporis & sanguinis Christi*, Item de pœnæ grauitate, quod iudicium sibi manducent & bibant. 1. *Cor.* 11.

XV. THESIS

Fructus ministerii verbi baptismi & S. cœnæ iidem sunt re, sed non modo rei nec gradu.

EXPLICATIO.

INitio monendi sunt iuniores, vt discernant vocabula, cum vsus & fructus huius S. cœnę appellatur, num pro diuersitate sensuum, quibus illæ voces veniunt, varient. Vsus accipitur & de actione vtentis, & de huius consequente vtilitate: vnde versuti dolos texunt.

Vſus hic S. cœnæ alius eſt externus, alius internus. Externus eſt actio illa externa, quo conſtat ſacramentum, quo pertinet hæc regula: *Nihil habet rationem ſacri, extra vſum.* Et hic vſus communis eſt. Vſus vero internus ſacramenti huius, ſi actione definiatur, eſt ſingularis vſurpatio huius S. cœnæ, fidelibus tantum propria. Itaq; differt a priore, neq; ad ſacramentum pertinet, vt pars conſtituens ſubſtantiam eius, etſi ad id pertineat, vt homo ſacramento digne vtatur: Quomodo eſt quiddam extra ſubſtantiam ſacramenti, etiãſi per ſe interna ſit actio vtentis, & Deo inſtituente ad digne ſumendum pertineat. Hic etiã explicandum eſt, quid ſit, cum dicitur corpus & ſanguinem Chriſti vere adeſſe in ſacra cœna, vbi inſtitutio Chriſti ſeruatur. Hæc enim inſtitutionis ratio ex vſu externo definitur, & ſic quidem ſufficienter. Etſi præterea hæc cœna recte dicatur inſtituta, vt fidem adferens, augmentum eius auferat. Nam, vt ex illa integritas ſacramenti conſtat, ita hæc pars inſtitutionis non eſt ita ſacramentalis, quemadmodum ſacramentale eſt, quod ad ſacramenti inſtitutionem requiritur, ſed ordinatũ a Chriſto vſum conſtituti, & alias integri ſacramẽti denotat. Hũc vſum, vt alterũ, qui ſolus eſt digne manducantium ſequuntur, vt fructus, nutritiones, & augmentationes fidei, caritatis & ſpei. Hic vero rurſus cõfuſio inuehitur a nõnullis diſcrimina verbi ſimplicis & veſtiti ſeu

ſan-

sacramentorum tollentibus hoc prætextu q; iidem fructus verbo & sacramentis tribuantur.

Quæ confusio tam late patuit, vt etiam ipsas locutiones sacramentales censere inuaserit, quo ex genere est, quod prædicatio sacramentalis, *panis est corpus Christi*, plane assimilatur huic, *Euangelium est potentia Dei ad salutem &c.* Item quod baptismus est sacramentum seu lauacrum regenerationis, vel quod Augustinus baptismū *fidem* appellat, spectans non solum patrinorum cōfessionē, qua pro paruulis respondent, *credo*, sed etiam quod Deus per baptismum efficax est in infantibus, & his fidem largitur. Sic, cū in baptismo sanguinis Christi applicatione ablui dicimur, discrimen inter purgationem hanc & illā, quæ sanguinis bibitione fit, sacramentali obscuratur modo graduque rei a re non discretis. Quapropter, ad remouenda illa veritatis obstacula thesin hanc adiicere volui, quanquam, si mysterium Euangelii recte intelligerent de modo inexplicabili, minus laboratura esset hæc distinctionis neglectio. *Confirmat.* Hæc res ita expediri potest, vt piæ simplicitati satisfiat: Etsi curiosi contenti non sint. Vt enim illi satis est, si discrimine in sacris literis indicato qualitercunq; teneat differentiam, ita huic, nisi mysterii forma ostensa, hoc est ignoti explicatione, quæ impossibilis est, declaratio nunquam sufficiet.

Dociles autem in ſimplicitate modeſte quieſcunt. Primum ergo fructus eoſdem eſſe docemus, ſic *Euangelium eſt potentia &c.* ad Rom. 1. *Salus autem finis fidei* 1. Pet. 1. hoc eſt, ſummum eſt, ſeu perfectio ſpiritualium beneficiorum homini per Chriſtum promiſſorum, quæ perfectio vitæ æternæ appellatione notatur ſæpius. Idem autem verbum ſacramentis additum eſt, quoniam promiſſionis gratię, in quam credens Euangelio recumbit, ſigilla ſunt, vnde Chriſtus Matth. 28. de baptiſmo inquit: *Baptizate in nomine patris &c.* Nomen autem illud complectitur quicquid nominari poteſt ſaluifici fructus. Sic Marci. 16. *qui crediderit & baptizatus &c.* Eadem ergo perfectio, quam ſalus definiuit in baptiſmo proponitur. Sic Paulus 1. Cor. 2. Doctrinam de Chriſto crucifixo ſummam facit totius Euangelii, cuius recordationi & fidei conſecrata eſt dominica cœna. Eidem igitur fructus ex verbo, baptiſmo, & cœna Domini exſpectandi ſunt. Diximus autem re non modo rei eoſdem eſſe. Verbum enim ſimplex per auditum efficacia ſpiritus fidem donat, & quæ fidei ſunt connexa & conſequentia. Sacramenta v. per verbum veſtitum & viſibile & quidē ſingula ſingulariter, baptiſmus nimirum in lauacro aquæ, in verbo ad *Eph.* 5. Cœna autem manducatione panis, qui eſt corpus Chriſti, & bibitione vini, quod eſt ſanguis Chriſti, eadem efficiunt. Quæ pecu-

liaritas

liaritas ſacramētorum ſiue generalis ſiue ſpecialis manifeſte ingerit modi rei differentiam, quanquam ex myſteriorum intimis formaliter rem non depingat, neq; ita ob oculos ponat. Cumq; ſimilitudo & analogia in ſacramētis, in qua ſacramentarii curioſius verſantur, niſi diuinarum rerum conuenientiam efficiat, vana ſit imaginatio neceſſe eſt, vt, quæ verbo veſtito, hoc eſt, ſacris ſignis aucto efficiantur, hac ratione modum non externę ſolummodo actionis, ſed etiam internæ operationis diuinę operari. Huc pertinet, quod in baptiſmo renaſcamur, in ſacra cœna nutriamur, quæ modum inter hæc ſacramenta diſtinguunt. Vtrunque autem cum per verbum etiam fiat ad modorum diſcretionem, prædictum, aliter verbo competit quam ſacramentum. Neque dubia eſt graduum ratio. Cum enim ſacramenta verbum veſtiant, & diplomati ſigilla addant, fideique in verbo fundatæ firmamenta peculiaria, itaque reliquis beneficiis ſua incrementa afferant, graduum patet diſtinctio. In his vero manifeſtis philoſophari velle, vſque, dum medulla myſteriorum exprimatur, hoc non eſt ſanctæ pietatis, quæ verbi patefactionem non egreditur, ſed eſt prophanæ temeritatis, quæ limites à Deo poſitos in ſacris transfert, ideoque magis maledicta, quam illorum iniquitas, quibus Deu. 37. dicitur, *Maledictus, qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus Amen.*

XVI. Thesis.

Primus fructus digne participantis hanc cœnam est fidei corroboratio.

Explicatio.

PAul. 1. Cor. 12. dona spiritus sancti varia commemorat, potiora autem ambire iubet, quæ cap. 13. recenset, tria nimirũ: *fidem, caritatem & spem.* Ad hanc distinctioné accõmodabimus fructuum S. cœnæ enumerationem. Cum a. fides hic appellatur, pars quidem pœnitentiæ quædam auditur, sed nũquã fides sine contritione cogitetur. Vt n. fides illa non est nisi apprehendens promissioné, rem. peccatorũ propter Christum, ita nisi peccata agnoscantur, remissio illorũ nulla credetur, itaq; fides sine contritione non erit. Fructum ergo hunc primum plenius meditantes, dicemus esse exercitii pœnitentiæ fomentũ, & nutrimentum quoddam eximium. Sicuti n. mors Christi, cuius symbolum & sacramẽtum, hoc est, peccati atrocitatem & iræ diuinæ grauitatem proponit, vt verus dolor excitetur, Hypocrisis fugiatur, hic consideranda venit: ita probanti se hoc modo homini fides eodem sacramento tãto auctior redditur, quãto peccatum abundantius est agnitũ, & mors Christi iuxta sufficientiã τοῦ λόγου prędicata quasi ꝓpius offertur & aptatur, atq; ita vere S. cœnæ fructus est fides. Etsi enim esse debet, antequã fiat participatio, cum dignum accedere oporteat,

teat, talisque sine fide nemo sit, quia tamen magis magisq; excitatur, alitur, firmatur, obsignatur, recte dicitur ipsa fides fructus non in solidum sed in parte augmenti.

CONFIRMATIO.

Fundamentum huius thesios sunt hæc verba Christi, *hoc facite in mei commemorationem*. Quæ v. sit illa commemoratio Paulus annunciatione mortis Domini explicat, quæ non est saltē historica recitatio seu recordatio, sed meditatio passionis & mortis Domini, quæ fit a probante seipsum homine, & quidem cum applicatione, quam Christus diserte commēdat inquiens: *hoc est corpus meum quod pro vobis &c. Hic est sanguis noui testamenti &c.* applicationem etiam hanc certis symbolis visibilibus vnito simul illis & sumentibus vna præbito pignore corporis & sanguinis sui certiorem reddit, vt hac, quæ anima est fidei, firmata fides fortificetur, imo & obsignetur. Obsignationis autem pondus desumtum est ex eo, quod Paulus ad *Rom.* 4. circumcisionem vocauit sigillum iustitiæ fidei, quia nim. fuit signum fœderis *Gen.* 17. Itaque huius institutionis verba mentionem facientia N. T. eandem applicationis rationē suggerūt non perperā, sed verissime illud de circūcisione dictum sacrę cœnę aptatur. Quanquā etiā ex hoc argumēto cōuenientia demōstratur q;

circumcisioni tanquam proprium sacramenti attribuatur, vnde sacramenta illud commune obtinent, vt nimirum sint sigilla promissionis & donationis. Sicut a. fide nobis applicante mortem Domini consequimur iustitiam, quæ constat remissione peccatorum, & imputata iustitia mortui pro nobis Christi, ita cū fide fructus S. cœnæ vlterius fructus ex fide manentes coniungendi sunt, qui in vsu huius cœnæ dignis, hoc est, fidelibus virtute Dei per sacramentum tanquam ordinarium medium singulariter efficaci magis constant.

XVII. THESIS.

Secundus fructus est vnio fidelium cum Christo spiritualis & arctior.

EXPLICATIO.

Continetur sane hic fructus mentione fidei, cum Pauli distributionem respicimus, sed non sine causa hic seorsum proponitur. Credere & credendo apprehendere Christum ad iustitiā est fidei primaria ratio, cum qua apprehensione inseparabiliter coniuncta est vnio cum Christo per fidem ad inhabitationem, mansionem, & viuificationem, percepto. Distinguenda autem est hæc perceptio a fide iustificante, vt iustitiæ Christi imputatio contingens sola fide extra nostram dignitatem tantummodi Christi meritis confidente syncera doceatur, nec essentiali inhabitatione cum Osiandro definiatur, vel ad pontificiam confusionem, quæ quali-
tat-

tatibus infusis & nouitati inhærenti iustificationem tribuit, dilabamur. Etsi etiam hæc perceptio Christi spiritualis per Euangeliũ, quod est potentia ad salutem contingit credenti, vt tamen applicatio in sacramento symbolo & pignore ditata est, ita vnio cum Christo inde fit arctior & certificat sumentes intro respicit Christum, non solum spiritus, sed etiam corporis & sanguinis participationẽ mystica & admiranda.

Confirmatio.

Veteres huius fructus declarationem ex cap. 6. Ioh. petierunt, vbi etiam præclare traditur, sed extra rationem sacramentalem. Quod tamen illa doctrina nequaquam impertinenter huc accersatur, istuc conuincit, quod sacramenta non sine Euangelio, sed huic annexa, & tanquam sigilla appensa, fideiq; augendæ destinata, necessario cõmune habent, quod verbo simplici tribuitur, & fidei inde enatæ. Cumq; hic præterea tum sanciatur sacramentalis manducatio corporis Christi, tũ bibitio sanguinis eiusdem, manifestum est natura sacramentorum verbo non diminutionis, sed augmentationis gratia additorum ordinari hoc sacramẽtũ ad cõplendũ illud opus incorporandi, propinque & firmius conglutinandi sanctos in corpore Ecclesiæ capiti suo Christo. vt sint caro de carne eius, & os ex ossibus eius. *Eph.* 4. & 5. In hac parte doctrinæ videre est, q̃ malitiose quidã sacramentariorum Ecclesiã Christi ludificẽt, quãq; aperte veritati

resistant. Postquam enim præsentiā corporis & sanguinis Christi cū pane & vino S. cœnæ realem cum religionis prætextu declinarunt. Præsentiam a. digniorem, quæ fideles Christo incorporet, promiserūt, declamationibus de hac speciosis lectorem detenuerunt atque occuparunt, & mirandum mysterium largiri visi sunt, vbi in præcipuo quæstionis momento dicere coguntur quid sentiant, turpissimi deprehenduntur prestigiatores. Consentiunt fidelem nō solum anima, sed etiā corpore coniungi cum Christo, neq; cum huius spiritu solū, sed etiā cum eiusdē humanitate, imo cum corpore & sanguine Christi realiter receptis, quorū participationē ad arctissimā conglutinationē verbis edendi & bibēdi Ioh. 6. indicari fatentur, adeoq; hanc arctam volunt, vt nulla corporum coniunctio seu naturalis seu artificiosa cum ista possit comparari. Hæc v. postea eludunt, cum omnem inter credentes & carnē atq; sanguinē Christi συναφὴν & contactum etiam spiritualis modi reiiciūt, itaq; omnia concessa iterum eripiunt. Quæ n. erit coniunctio, vbi nullius modi συναφὴ cōceditur? Et quomodo Christus corporaliter, hoc est, secundū corpus & sanguinē suum nobis vnietur, si nullus fuerit modus, neq; q̄dē mysticus spiritualis, quo caro Christi in terris nos constitutos contineat? Paulus certe corpus Christi, q̄ est Ecclesia, Christo capiti cōglutinata, inde docet cōgruenter coagmētatā

& compactum, quod per ἀφὴν fiat articulatio, ne commissurę hient *Eph.* 4 *Coll.* 2. Atq; hoc postulant dicta Christæ, qui sui præsentiam eo ipso in loco, vbi congregantur fideles in terra in medio eorum promisit *Matth.* 18. Dixitq; se cum piis futurum *Matth.* 28. Veniemus, inquit, ad diligentem me, & mansionẽ apud eum faciemus. Hæ Emphrases ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν. Item, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι. Item, πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, necessario ἀφὴν, & contactum poscunt cuiuscunque etiam modi sit. Paul. 1. Corinth. 6. appellat κόλλησιν conglutinationem, *Ephes.* 4. καταρτισμὸν coagmentationem. Id quod Ioan. 6. verbis manducandi & bibendi exprimi contendit Beza. Neq; ergo quis de spiritus saltem communicatione, perceptione, inhabitatione, conglutinatione & mansione id intelligat, perspicue dicitur: *qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo.* Audis ꝙ etiam carnis & sanguinis Christi fiat conglutinatio cum fidelibus, illaq; mutua immanendi ratio per corporis & sanguinis receptionẽ promissa, & quidem hac phrasi, ἐν ἐμοὶ καὶ ἐν αὐτῷ ἀφὴν exprimẽte inculcata perfertur, omnino contactum statui cogit, nõ quidẽ corporalis & naturalis modi (naturalẽ tamẽ & corporalẽ queadmodũ Cyrillus & Hilarius appellant secundũ vnitorũ, q̃ se cõiungũt veritatẽ, q̃ sunt sp. & humanitas Christi, spiritusq; & corpora fideliũ) spiritualis tamẽ & mystici, & sic veri & realis cũ ἀφῇ cessãte veluti

cum palmes a vite abſcinditur, diſſoluatur illa vnio & fiat proiectio abſciſſi foras *Ioh.* 15. Hęc probe conſiderata noſtrarũ Eccleſiarum doctrinã de reali pręſentia Chriſti in Eccleſia terrena, ſecundũ vtramq; naturã, demonſtrãt firmiſſimã, & Caluinianorũ palpabilẽ diſceſſionẽ a manifeſta veritate cõuincunt. Huc v. cũ ventũ fuerit neceſſe eſt perire regulas illas illatas, *in myſteriũ corpus Chriſti nõ poſſe realiter ſimul & ſemel eſſe in cœlo & in terra.* Itẽ, *nullibi eſſe niſi viſibile*: Itẽ, *nullibi corporaliter niſi corporali & locali modo.* Quod ſi igitur hic cedendũ fuerit, vt etiã oportet, niſi quis aduerſarius manifeſtorũ teſtimoniorũ ſp. ſancti deprehendi velit, nihil profecto valebunt ad realẽ pręſentiã negandam corporis & ſanguinis cum pane & vino ſacramenti S. cœnæ: itaq; euincitur ex fructu ſacramentali, quod aduerſarii in ſubſtantia eius ferre nolunt, vera nim. & realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in terra, vbi degunt fideles & ſacramentũ cœnæ percipiunt, neq; tamẽ corporalis modi aut localis, aut viſibilis. Hæc v. de ampliſſima hac doctrina hoc loco notaſſe ſufficiat, quã debere huic cœnæ ratio fœderis poſtulat, cuius eſt ſanguis & mors Chriſti. Et ſicut fœderis formula eſt: *ego ero Deus tuus, ego tecum ero, ego habitabo in medio tui*: ita ci *ſanguis* noui teſtamenti hic appelletur, qui tradatur in hac cœna, cuiuſq; fœderis formula eadẽ ſit, ero eis in Deũ, erũtq; mihi in populũ, habitabo in eis *Ie.* 31. *& Poſt. Cor.* 6. verba illa inſtitutionis diſerte hanc doctrinã ingerunt

XVIII. THESIS.

Tertius fructus est arctior coniunctio cum corpore Christi & incrementum dilectionis proximi.

EXPLICATIO.

NEmo Christo copulatur, quin fiat membrum corporis eius, ille caput est: Recte ergo hæc necessitudo cõmunionis sanctorũ & ardor caritatis auctior tertio loco inter fructus recitatur. Græcis hæc cœna fuit dicta ἀγάπη, quod agnoscerent, se eius vsu singulariter obligari ad diligendum proximum. Vnde etiam eleemosynas caritatis Symbola tum dispensabant exemplo Apostolico *Act.* 2.

CONFIRMATIO.

Apud Corinthios, quoniam & infirmorum in rebus mediis offensiones non vitabãtur & inter conuenientes dissidia alebantur, alter etiam manducans alterum non exspectabat, Apostolus ex vsu huius cœnæ monet habendam esse rationem proximi: *Vnus*, inquit, *panis, vnum corpus multi sumus, non omnes vnius panis sumus participes.* 1. Corinthior. 10. Hæc ratio de corpore explicatur Rom. duodecimo, *multi vnum sumus in Christo: singillatim autem alii aliorum membra.* Sic ad Ephesios quarto: *Sumus alii aliorum membra*, idque quod hoc elegãti versu Nazianzenus reddidit.

Ἀλλήλοις χεῖρεσσι καὶ οὔατα καὶ πόδες ἐσμέν.

Copiose autem hoc declaratur & inculcatur per relationes varias membrorum inter se, 1. *Corinthio.* 12. Vrget Apostolus, quod conuenientes in Ecclesia & communicantes sacram cœnam conueniant ἐπὶ τῷ αὐτῷ, vt militiam fraternam commendaret. Cum enim dissidia fouerent addit: *hoc non est Dominicam cœnam edere*: quanto vero fides firmior & quisque Christo proprior est: tanto feruentior dilectio fuerit proximi, itaque hanc vel ideo fructum cœnæ faciunt, quod fidei incrementum consequatur auctio. In veteri Ecclesia orientali dilectionis mutuæ symbolum fuit *Osculum*, hoc Chrysostomus egregia conuenientia huc accommodat, Homilia vigesimaseptima in prima ad Corinthios appellans *ora Christianorum* propter vsum huius cœnæ πρόθυρα, *templi Christi vestibula*, per quæ aditum ad ipsos Christus faciat, vt osculantes portas templi Christi amore sanctius exardescant. Augustinus quoque hinc sumit dehortationem ab inimicitiis & odiis sic scribens tractatu 26. in Iohannem: *Si corripitur, qui non diiudicat hoc est, qui non discernit a ceteris cibis corpus Dominicum, quando damnatur qui in qui ad eius mensam fingens amicum accedit inimicus, neque vero dilectionis saltem & totius obedientia hic ratio habenda est.*

Sicuti

Sicuti enim dilectione proximi, obseruatione secundæ tabulæ continetur, ita argumentum dilectionis erit argumentum nouitatis in omnes partes officiorum Christianorum diffundendæ, quo pertinet concio de templo Dei non violando 1. *Corinth.* 3. Et Chrysostomus dicto loco contra ebrietatem, conuitia, scurrilitates, hinc texit doctrinam insignem.

XIX. THESIS.

Vsu cœnæ Domini spes augetur fidelibus.

EXPLICATIO.

QVemadmodum in Christianismo omnia sunt concatenata, id quod κοινωνίας & cõmunionis in hac cœna indicatio singulariter probat, ita quicquid copulabitur fidei huic, merito colligitur, peculiare, tamen spei indicium exstat in institutione huius Sacramenti.

CONFIRMATIO.

Cum Christus, inquit: *hoc facite quotiescunque feceritis in mei commemorationem*, mentione repetitionis spei alendæ argumentũ suppeditat, id quod Paulus sic extendit, *quotiescumque panem hunc ederitis & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Etsi vero huc fines sacræ cœnæ spectãt, tñ quia pignora corporis & sanguinis Christi in hac cœna exhibita ita spem augent indignis.

vt fidem merito hæc verba ad fructum etiā referantur. Caput autem ſpei eſt ſalus noſtra æterna, quæ per patientiam exſpectatur *Ro.* 8. Vtque hæc non ſolum animæ eſt, ſed etiam corporis, ita quod de corpore & ſanguine noſtro in dubium vocari poſſet, hoc ſacramentum nullum conferatur. Huc pertinet, quod Canon Nicenus corpus & ſanguinem Chriſti, quæ in hac cœna ſumimus, vocat ſymbola reſurrectionis, item quod veteres, in precibus vſui huius cœnæ accommodatis, corpus & ſanguinem in cœna ſumta appellarunt ἀπρόσκλητον Apologiam, quam corā tribunali Dei & accuſationib. Diaboli opponere poſſimus. Item Arrhabona vitæ æternæ & ſalutis. Item quod Tertullianus ſcribit de reſurrectione carnis, nulla omnino anima ſalutem adipiſci poteſt, niſi, dum eſt in carne, crediderit, adeo caro ſalutis eſt cardo, caro abluitur, vt anima emaculetur, caro corpore & ſanguine veſcitur, vt & animus de Deo ſaginetur, non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Hæc ratio ſpei & tanta conſolatio plane intercidit, ſi ſolummodo animæ cibus hic ſtatuatur & argumentatio Tertulliani nulla eſt, niſi corporis & ſanguinis cōmunicatio corpore noſtro permittatur, quamobrem Eccleſiæ primitiuæ ſpes Chriſtiana pro veſtra cōfeſſione contra aduerſarios graue dicit teſtimonium. Quæ alias inter fines cœnæ Domini refe-

referuntur, nimirum gratiarum actio & confessio illa, non egent longa probatione, cum pendeant a fine, cuius sunt propria & inseparabilia effecta, propter iuniores tamē indico, quod cōmemoratio Christi hoc diserte poscat. Sic 1. Corinth 10. inquit *Apostolus, omnia facite ad gloriam Dei*. Item confessionis partem insignem præcipit: *fugite idololatriam*, idq; ex mensæ Domini participatione ἀντιτικῶς grauiter persuadet.

DE POENITENTIA LOCVS XXVIII.

I. THESIS.

Pœnitentia siue resipiscentia latinis μεταμέλεια siue μετάνοια Græcis, Nocham siue schua siue Teschuba synonima sunt Hebræis.

EXPLIC. ET CONFIR.

NOn multum est laborandum de etymis, vbi res non cogit, & quidem extra contextum aliquem significationes vocabulorū constanter promittere velle, quæ alium vsum non admittant, hoc plerumque temerarium est, quo ex genere habendum, quod hic quidam philosophantur. Sunt enim qui discrimen faciunt inter recitata vocabula in singulis linguis, sed citra linguarum vsum & rei necessitatem. Etsi *resipiscere* est iterum sapere, quando desipueris, itaque suo etymo

meditationem mentis & consilii ingerit a- nimo auditoris, tamen vsus obtinuit, vt cum pœnitentem dixeris, etiam resipiscentem intelligas, ac si parens linguæ latinæ Cicero consulatur, curiositas ista distinguendi & quidem cum reprehensione aliorum, eius suffragio culpabitur potius, quam laudabitur. Beza quidem *in 3. capite Matth.* aduersum secundum & octauo reiicit, quod vetus versio & Erasmus μετανοιαν reddiderunt *pœnitentiam agite*. Itē μετανοεῖτε pœnitentiam & suum resipiscite, & resipiscentia magno cum apparatu grauissimæ deliberationis, accuratæ peritiæ manifestæ necessitatis substituit. Verum, quod ad latinum verbum attinet, eo vtitur sic Cicero: *optimus est portus pœnitenti mutatio consilii. Quis hic mutationem consilii in melius negabit, cum de optimo pœnitentiæ portu agatur.* Sic Horatius libro tertio Oda vigesimaquarta *scelerum si bene pœnitet eradenda cupidinis praui sunt alimenta.* Quod ad Græca verba attinet, certum est, singula recipere vtramque significationem, neque si ad originem verborum respexeris, nulla ambigendi erit ratio. Μεταμέλει significat *pœnitet* posteriore nimirum cura subeunte: sicut μέλει significat *curæ est*.

Neque vero de vitiosa tantum cura vsurpatur, sed de illa etiam, quæ aliquem deceat & commendet, vnde interdum μέλει ἐμοὶ significat

cat *muneris mei eſt*. Lucæ 10. Marta diſtracta curis, inquit, ad Chriſtum *Domine* οὐ μέλει σοὶ *non eſt tibi cura, quod ſoror mea relinquit me, vt ſola miniſtrem*. Sic 1. Pet. 5. legimus, *Omnem curam veſtram conuicite in Deum* ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν, *quoniam cura eſt illi pro vobis*. Contra vero ἀμελής, *qui curam non gerit, & ἀμέλεια negligentia incuria* in vitio eſt. Sicut ergo μετάνοια poſteriorem mentem, ita μεταμέλεια poſteriorem curam ſignificat, & tam hac quam illa Græcæ linguæ nota probe eſſe poteſt. Sic nomen νοῦς, ex quo hic tantum deducitur ſapiendi ratio, etiam eſt corruptorum. Sic enim διεφθαρμένοι τὸν νοῦν corrupti mente appellantur 1. *ad Timotheum ſexto & ſecundo Timoth. tertio*. Sic compoſita διάνοια tam malorum, quam bonorum eſt, Lucæ primo *diſperſit ſuperbos* διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν, *mente cordis ſuis*, quæ non probabatur. Luce 10. *Diliges Dominum* ἐξ ὅλης τῆς διανοίας, *ex tota mente tua*. Quid igitur obſtabit, quo minus etiã μετάνοια in vtramque partem accipiatur, neque omnis qui prius ſuum conſilium reprehendit, & ſapere laborat, mentem mutat in melius, ſicuti multi, quibus priori via non ſucceſſit ſcelus, quoſque pœnitet commiſſi erroris, aliam rationem facinus perpetrandi malum ineunt, vt magis ſapiant, quod videns Henricus Stephanus non recepit, quod Beza ſic ſtatuit μετανοεῖν abſolute poſitum nunq̃ poni,

nisi in bonum. Sed tam in sacro quam profano vsu vtramq; significationem recipere iudicat, vt tamen suo Bezæ nonnihil succurrat, inquit, *μετάνοια*, vt plurimum reddi debet *resipiscentia*, adfert etiam ex Lactantii *lib.* capite *vigesimo* testimonium, quod *μετάνοια* sit reddenda *resipiscentia*. Verum non de hoc quæritur, sed num pœnitentia minus recte dicatur, quod certe Lactantius ne quidem ibi voluit, quia in illa ipsa periodo sic loquitur *is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit.* Ergo etiam pœnitenti μετάνοιαν, id est, mentem posteriorem, quæ errorem intelligat, tribuit. Citat ibidem Lactantius hæc verba Cicer. ex 3. Academ. quæstionum: *quod si liceret vitam deuiam secutis corrigere errorem pœnitendo felicior esset emendatio temeritatis.* Vana ergo hic eruditarum obseruationum est iactantia, qua ad vsitatorum mutationem terminorum & receptæ formæ sermonis, maxime in Ecclesia atque cum reprehensione aliorum incuriæ arrogantius transitur, & hac tamen vanitate vsi quidam magno hiatu promittunt saluationem huius expositionis, Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, videlicet *μετανοίας*, non μεταμελείας significatione, qui tamen hoc ipso dominum Philippum committunt cum Beza qui pœnitentiam dixerit, quam illi μετάνοιαν & intelligunt & *μεταμέλειαν* negant.

Præterea hac distinctione ita applica-

legi relinquitur, huic tantum effectum μεταμελείας, hoc est, pœnitentiæ desperatorum, de quo graui errore suo loco postea. De verbis Hebræis similiter philosophatur Beza, verbum enim *Nacham* cum μεταμέλεσθαι, *Schuf* vero cum μετανοεῖν confert, cum tamen hoc de conuersione, illud de pœnitentia similiter vsurpetur, itaque de eodem vtrumque accipiatur in hoc præclaro dicto: *Postquam conuersus sum, egi pœnitentiam.* Sic verbum *Schuf, Jerem.* 11. *vers.* 10. de reditu ad iniquitates, & *Ezech.* 18. *vers.* 26. de auersione a iustitia, rursus 27. de auersione ab impietate vsurpatur. Constat ergo thesis nostra, synonymiam in omnibus linguis affirmans.

II. THESIS.

Pœnitentia hoc loco, siue de parte, siue de toto accipiatur, significat conuersionem, qua est mentis, voluntatis, & cordis humani spiritualis mutatio & renouatio.

EXPLICATIO.

VSum Synecdochicum vocis *pœnitentiæ*, & peculiarem huius loci significationem vna cum synonymo conuersionis salutaris, vni Thesi alligare volui: Atque sigillatim attendatur in confirmatione. *Pœnitentia* enim modo pro contritione & fide simul, quibus integra constat pœnitentia, modo pro contritione, altera parte pœnitentiæ tantum accipitur. Quandoquidem etiam *pœnitentia* non necessario significat conuersionem & muta-

tionem mentis & voluntatis, aut si hęc indicetur, non necessario renouationẽ statuat. Hic vero de pœnitentia agitur, quæ & conuersionem & eandem salutarem semper significat, opus fuit etiam hac discretione. Dei enim est pœnitentia, cuius tamen non est mutatio, & multi pœnitentes, vt Iudas mutant quidem consilium, sed animum prauũ retinent, eoq; ad deteriora conuertuntur. His ergo speciebus pœnitentiæ hic locus non est, sed ei, quæ est conuersio ad Deum, neque fit hæc solum in vna parte, sed in vtraque.

CONFIRMATIO.

Integram pœnitentiam, quemadmodum in titulo huius loci accipitur, complectitur appellatio in concione Baptistæ, Matth. 3. *Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Sic Actor. Ioannes dicitur prædicasse baptismum pœnitentiæ. Item in concione Christi, quæ Matth. 4. iisdem verbis recitatur, quibus baptistæ, Matth. 3. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 15. *Gaudiũ erit in cœlo super vno peccatore.* Rom. 12. *Bonitas Dei inuitat te ad pœnitentiam.* Pro parte autem pœnitentiæ, & quidem contritione in his dictis vsurpatur. Marc. 1. summam doctrinæ Christi sic recitat: *Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, agite pœnitentiam, & credite Euangelio.* Quod dictum collatum cum testimonio *Matth.* 4. Probabi vna

bi vna voce vtrumq; comprehendi, *Luc. 24. Sic oportebat Christum pati, &c.* Hic remissio peccatorum pro fide effectus, nimir. pro causa ponitur. Paulus Act. 20. suarum concionũ apud Ephesios habitarum epitomen his verbis contexit: *Scitis, quod nihil subterfugerim eorum, quæ essent in rem vestram, quin annunciarem vobis, &c.* Quod autẽ pœnitentia hæc non sit, nisi conuersione, id confirmat nobile testimonium, Ier. 31. *Postquam conuersus fui, egi pœnitentiam.* Sic angelus, Luc. 1. expresse testatur de Ioh. baptista, ad pœnitentiam vocaturo homines, inquit: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum*, Act. 3. Petrus inquit, μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε, *pœnitentiam agite & conuertimini.* Et Act. 15. ἐπιστροφὴ, conuersio gentium appellatur. Quod tam in contritione, quã in fide sit conuersio ad Deũ, non solum proprietas generalis conuersionis voce angelica. *Luc. 1.* expresse testatur, sed etiam Pauli dictum, *Act. 20.* explicite demonstrat, distinguens partes pœnitentiæ, & singulis affirmans, pœnitentem ad Deum conuerti.

III. THESIS.

Pœnitentia salutaris partiali definitione proprie duabus partibus constat, contritione nimirum, & fide, cum noua obedientia non sit pars constituens, sed pœnitentiam constitutam sequens.

Explicatio.

Libellus Catecheticus Domini Chytræi, nouam obedientiam, tanquam pœnitentiæ partem accenset, quod tamen proprie fieri negat Apologia Augustanæ confessionis, & monet, tutius esse ponere duas partes. Ne quis vero cuiuis tres partes enumeranti simpliciter errorem doctrinæ imputaret, addit scil. Apologia: si quis velit addere tertiam, videl. *dignos fructus pœnitentiæ*, hoc est, mutationem totius vitæ, & morum in melius, non refragabimur. Hæc sententia iudicium adhiberi iubet: obseruare, an quis illam partem dicat, quod pœnitentiæ fructum agnoscat, hoc est, non proprie partem, siue substantialem, siue integralem, sed propter consequentię necessitatem sic appellatam. Hæc etiam mens est Domini Chytræi, ideoque grauius non accusatur. Neque tamen hæc Trinitas simpliciter & pertinaciter est vrgenda, & aliis obtrudenda erit, operæ pretium etiam fuerit notare consiliũ Apologiæ. Nos, inquit, Apologia, vt explicaremus conscientias pias ex Labyrinthis Sophistarum, constituimus duas partes pœnitentiæ, videl. contritionem & fidem. Recitatis etiam pro hac sententia testimoniis sacris, ita subiicit: *Videtis & hic duas partes coniungi contritionem, cum arguuntur peccata, & fidem cum dicitur, credite Euangelio.* Si quis hic dicat, Christum complecti etiam fructus pœnitentiæ, seu totam nouam vitam, non dissentie-

sentiemus. Nam hoc nobis sufficit, quod hæ partes præcipue nominentur contritio & fides: item ex his omnibus apparet piis doctoribus, nos eas partes pœnitentiæ ponere, quæ propriè sunt in conuersione seu regeneratione, fructus digni & pœnę, sequuntur remissionem peccatorum.

CONFIRMATIO.

Cum duæ tantũ sint partes doctrinæ Christianæ, lex & Euangelium, per quas Deus pœnitentiam prædicet & operetur, neque ex his iunctis tertium quoddam exeat a lege & Euangelio distinctum, sed ad legis normam, & in fide Euangelica facta opera bona censeantur saluis & inconfusis proprietatibus & effectis singulorum, non erit tertia pars pœnitentiæ constituenda, quæ tertiam quandam partem doctrinæ diuinæ, vnde nascatur, requirat: sed ad dicta scripturæ attendatur, 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat.* Matth. 11. Christus inquit: *Venite ad me omnes, &c.* Marc. 1. *Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.* Huc pertinent testimonia ex Luca cap. 24. & Act. 20. modo recitata. Connexio vero cum bonis operibus fieri debet iuxta confessionem Pauli Apostoli, quam edit coram Agrippa rege, Act. 26. *Annuntiaui*, inquit, *Iudæis, & deinde gentibus, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Dominum opera facientes digna iis, qui resipuissent.*

IIII. THESIS.

Contritio est vera agnitio peccati, iuxta legem Dei ob conspectum atrocitatis eius, iraq; diuina coniuncta cum serio pauore & dolore, quod Deum offenderimus.

EXPLICATIO.

CONtritio alia salutaris est, alia ad damnationem ducens, soletque hoc discrimen notari contritione Petri & Iudæ. Hic vero priorem definimus. Appellatio contritionis est sacræ scripturæ. Psalm. enim 147. dicitur: *Qui sanat contritos corde.* σύντριψις, vel συντρίμμα, vel συντριμμὸς Græce. Hebræis *Schebar*, *confractio*, *contritio*, quæ tamen vox, cum Schin significat spem. Itaq; pro fide altera pœnitentiæ parte aliquando accipitur. Hac vero thesi formam potissimum proponere volui, in cuius consideratione præcipua vis huius doctrinæ sita est, ideoque explicatione planiore indiget thesis. Quod dicitur vera agnitio & serius pauor atque dolor, hoc opponitur hypocriticæ simulationi, & in scriptura exprimitur plerumque cordis mentione, nequaquam tamen sensus aliud vult, quod Pontificii vrgent, vt dolor sit voluntarius, & sufficiens. Quia enim peccatum est, voluntatis contritionem etiam voluntariam ei opponi debere statuunt. Hac intentione, vt formæ contritionis implicent propositum demerendi animum Dei dolorem etiam sufficientem excogitant

gitant, qui acerbitate cum scelerum magnitudine æquari possit, coniunctus sit desiderio confitendi & satisfaciendi, simulque caritate perfectus. Quæ requisita doctrinā huius loci sanam fœde deprauant. Etsi enim cōtritio est ex lege, & in mente, voluntate, & corde est agnitio & confessio peccati, seriusq; pauor & dolor propter offensum Deū, tamen nihil horum requiritur hoc fine, vt per ea fiat abolitio peccati: quapropter etiam exæquatio illa magnitudinis contritionis cum atrocitate peccati pestilens est corruptela salutaris huius doctrinæ, omnique spe salutis spoliat. Si enim ex operibus, iam nō ex gratia, *Rom.* 11. Et si per legē est iustitia, Christus frustra mortuus est. *Gal.* 2. Placuit autē Deo conterendo sibi habitaculū parare, & in hoc porro per semetipsū vitam operari. Sicut Esa. 57. inquit: *Cum contrito & humili spiritu habitabo.* Et: *Fides ergo cōtritionem excipit, itaq; sufficientiam eius iuxta plenitudinem pontificiam non recipit.* Ex eodem errore tota laborat pœnitentia Pontificia. Nam conficiunt eam ex contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis, quibus nihil, nisi opus humanū prædicāt, eiq; finem proponunt, salutem adipiscendi, ac ne quidem mentionem hic faciunt fidei, ne dum, vt eam in meram gratiam per Christū promissam recumbere doceant. Cum dicimus, contritionē esse agnitionem peccati, confessionē minime excludimus: nemo n. vere agnoscet

peccatum, qui non confitetur illud, sed hoc a-
gnoscere, est fateri, quod peccator sis, sicut
vox Dauidis. *Peccaui* est vox, testans agnitio-
nem peccati, & recte dicitur sine confessione
peccati pœnitentiam veram non esse: sed hæc
confessio non est auricularis illa Pontificia,
quia editur coram Deo etiam tacite suspiriis
& gemitibus illigata, neq; constat enumerati-
one delictorum, verum sufficit apparentia nō
negare, sed agnoscere, & obuiis agnitis sese
totum prosternere & humiliare, vt peccato-
rem æternam damnationem meritum. Quo-
modo abscondita etiam confessione compre-
henduntur, quæ certe enumerari nō possunt.
Vnde Dauid inquit, Psal. 19. *Delicta quis intel-
ligit.* Satisfactio etiam Pontificia cum plena
esse nequeat, nisi extremum dodrantem sol-
uat, ipsa est via ad desperationem Iudæ. Fa-
cessant ergo hinc portenta illa papalia. Vt au-
tem forma contritionis rectius intelligatur,
particulatim ea examinanda est cum collatio-
ne legis & oppositorum. I. Ex vera agnitio-
ne peccati & serio dolore conuersio facta co-
gitetur, cum qui delectabatur peccatis, muta-
tus sit, vt detestetur ea cum fuga. Talis con-
uersio non fuit in Iuda. Etsi enim peccatum
exsecratus est, tamen hoc ad augendum illud
conuertit, itaque non fugit peccatum, quod
accumulauit. Hanc differentiam notat adie-
ctio, *iuxta legem Dei.* Lex enim non iubet
peccatum peccato augere, alias peccatum pr-
cipere

ciperet. II. Agnitio iræ Dei & sensu huius dolor concitatus similiter censenda sunt iuxta legem Dei, quæ humiliat, prosternit & subiicit Deo peccatores. Sunt ergo coniuncta illa cum vera humiliatione & subiectione, cui opponitur in Iuda murmur & continua rebellio contra Deum, quod ipsum palam aduersatur legi Dei. III. Lex opponit peccata iustissimis mandatis de diligendo & timendo Deum, & hunc pœnam meritam æstimat. Hoc vt obseruetur contritio, dicitur *dolor*, quod Deum offenderimus circa hæc, quæ Deum sic spectantur, non versatur contritio Iudæ, sed dolet ex iustitia Dei, & contra ipsam inflammatur, neq; tam iustitiam, quam immanitatem pœnæ animo voluit, nihilq; ad honorem, sed omnia ad ignominiam Dei refert. IIII. Iudas terroris metam fixit desperationẽ, quæ sane videtur damnationi legis correspondere. Sed desperatio est etiam peccati exaggeratio iniqua, cum damnatio iudicis sit, cuius sententia per αὐτοχειρίαν & propriæ manus illationem iniquissime anteuertitur. Hic vero contritio salutaris ex lege nihil habet, quod damnationis sententiam moderetur, & sine perditione ferat, neq; lex mutat illam, sed rigorose poscit satisfactionem. Huc vsque ergo delata contritio ipsa quoq; in exitium desineret, nisi exciperetur a fide, quæ apprehenso Christo, qui factus est maledictum pro nobis, damnationem illam iustam deriuatam & expia-

tam ostendit, itaq; extremum terrorem legis diluit, & temperat lætitia promissionis Euangelicæ, quam pœnitens fiducia sibi applicatam suum facit gaudium, quæ fiducia in Christum est anima salutaris pœnitentiæ, defuitq; Caino, Iudæ, & omnibus a gratia Dei deficientibus, & hoc denique discrimen vtriusque pœnitentię perspicue demonstrari potest: verum & hoc operæ pretium est, ipsam formam contritionis ad legem, vnde oritur, reuocare & siderare, quatenus est agnitio atq; dolor, nó vlterius peccans, sed iuxta voluntatē Dei peccati faciē dolenter, & cum fuga intuens. Contra vero contritio Iudæ peccati accusatione peccatum continuat, itaq; ad confinium iusti terroris & desperationis perueniens limites nostros cum despectu & contemtu gratiæ Dei transilit, & in exitium præcipitat.

Confirmatio.

Psal. 45. *Sacrificium Deo Spiritus contritus.* Psal. 117. *Qui sanat contritos corde.* Esa. 57. *Cum contrito & humili spiritu habito.* Esa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperem & contritum spiritu.* Ezech. 33. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris.* De confessione, quæ est huius partis, præclare docet Psalmus 31. *Conferens eam cum labore palliationis & occultationis. Quoniam tacui*, inquit Psaltes, *intrauerunt ossa mea, dum clamarem tota die, quoniam tota die aggrauata est manus tua su*per

per me. Sine huiusmodi confessione non est salutaris contritio. Cum autem dicit, confitebor Domino confessionem fidē in Dominum factam indicat, non enim est remissio ex contritione, sed ex fide. Huc pertinet confessio Dauidis, 2. *Regum* 12. Item, quæ præscripta est populo, *Dan.* 9. Item, filii prodigi, *Luc.* 15. Sit etiam in conspectu exemplum publicani, *Luc.* 18. oculos demittentis, pectus tundentis, & dicentis: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Item, de Petro amare deflente abnegationem Domini, *Matth.* 17. de quo Christus prius dixerat: *Et tu conuersus conuerte fratres tuos,* Luc. 22. Actor. 20. Contritio dicitur μετάνοια εἰς τὸν θεόν, 2. Corinth. 7. qui secundum Deum est dolor, is efficit pœnitentiam ad salutem, cuius nunquam pœniteat.

V. THESIS.

Fide in Christum iuncta contritioni pœnitentia vera & absoluta est.

EXPLICATIO.

Hic sunt repetenda, quæ de fidei definitione atque forma, & quidem de relatione iustificantis supra sunt tradita. Hoc autem loco diligenter notandum est, quod contritio salutaris, licet singulariter consideretur, seorsim tamen in sua forma sine fide nunquam talis sit, Deus quidem per legem operatur eam, & suam ista habet distinctam atque pro-

priam formam, quę fidei non eſt, ſed niſi fiducia in Chriſtum accederet, etiam taliter contritus periret. Conuerſio enim illa non eſt perfecta renouatio, neq; peccatum plane tollitur hac operatione Dei contritionem iſtam efficiente. Etſi ergo Deus incepit bonum opus, nondum tamen perfecit: vbi vero imperfectio eſt, & peccatū relinquitur, carens tegmine, ibi lex maledicere non ceſſat. Quamobrem forma contritionis finaliter & plene legi non probaretur, niſi fides accederet, non quidem ideo, quod forma huius qualitatum perfectionem ipſi adferat, ſed quod apprehenſo Chriſto iuſtitiam huius fiducialiter tenens, vt homini credenti, ita & ſibi, quatenus opus eſt, ſuæque ſorori contritioni, tanquam tegmen iniiciat, quo legatur, quod diſplicere poſſit, & oſtentetur, non quod noſtrū eſt, ſed quod Chriſti, itaque ex aliena iuſtitia Chriſti nimirum credenti imputata, noſtra Deo placeat, quemadmodum & nos ipſis. Epitheton ergo contritioni ſingulariter additum exclu copulatiuam, nunquam æſtimetur, ne quod Chriſti eſt, operibus noſtris vendicetur.

Confirmatio.

Huc pertinent teſtimonia, ſubiecta Theſi tertiæ, item pleraque ſub Theſi quarta.

VI. Thesis.

Pœnitentiæ auctor & donator Deus eſt, per miniſterium legis & Euangelii operans illam in cordibus hominum.

Expli-

EXPLICATIO.

POEnitentia in hominibus est opus Dei ad extra indiuisum: ergo est & toti Trinitati commune, ita tamen, vt personarum discrimina etiam hic notentur, iuxta dictum Petri, Actor. 5. *Hunc Iesum Deus dextera sua principem & seruatorem exaltauit, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum, & nos sumus ei testes horum, quæ dicimus, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus obedientibus ei.* Pater autem ad hoc opus, vt det pœnitentiam, euexit filium, & filius a patre mittit Spiritum sanctum, vt regeneret corda. Sicut autem vna est trinitatis Deitas, ita vna est huius actio, qua conuertuntur corda ad Deum, ne diuellantur personæ in Deitate, & si discernantur suis proprietatibus, & notis personalibus. Quæritur etiam, num Christus secundum vtramq; naturam operetur pœnitentiam in Israele, hoc est, in iis, quos colligit ad suam Ecclesiam? Manifestum autem est ex verbis Petri, quod Deus Iesum ad hoc euexerit, vt det pœnitentiam. Est igitur opus officii saluationis, ad quod peragendum duæ naturæ ἰσοδύναμως & vnite agunt: cumq; conuersio sit viuificationis opus, & caro Christi viuifica dicatur, iterum liquet, Christum etiam secundum assumtam naturam largiri pœnitentiam, non quidem ita, sicut iuxta Deitatem, duabus tamen naturis coniunctis operantibus ad vnum effectum, quod est conuersio, licet respectu

causæ efficientis, quam ambæ præstant, inæqualiter sese habeant propter inæqualitatem animarum nulla ratione, & ne quidem per exaltationem humanitatis ad dexteram altissimi tolendam. Vtque paucis rem grauissimam explicemus, illustre dictum Lyræ commendamus, quod ascripsit ad 11. cap. Luc. & de omnibus operationibus Christi ad ἀποτέλεσμα officii per communicationem maiestatis tendentibus vsurpari potest, *A Christo*, inquit, *prouenit gratia & gloria, principaliter ratione Deitatis & instrumentaliter ratione humanitatis, quia humanitas est organum coniunctum ipsius Deitati*. Etsi ergo humanitas Christi euexa est ad dexteram Dei, perpetuo tamen ipsa secundum essentiam & essentiales proprietates suas minor est Deo & sub Deo, & communicatione in operationibus diuinis sese habet, non vt principale agens, sed vt organon. Quod tamen organum hac excellenti prærogatiua commendatur, quod sit τοῦ λόγου proprium, & filio personaliter vnitum, qualis ratio organi diuini non inuenietur alia. Vnde intelligitur, quod humanitati Christi realiter sit communicata diuina potentia, conuertens corda hominum, & pœnitentiam in ipsis operans. Omnino enim hoc organo debetur, quod organa ὑποστατικῶς vnitum, & per illud ordinarie & vere est efficax, quam modi specifice inexplicabilis realitatem nostræ Ecclesiæ necessario vrgent, & Nestorianos
cor-

cogitationibus opponunt, neque sine damno veritatis sacramentariorum aduersationibus eam cedere potuerunt. Fuit autem in multis malitia in causa, quod post tot concertationes & pias explicationes Saxonicarum Ecclesiarum consensus non coiit, quia aduersarii noluerunt intelligere mentem nostratum, etiam obuiam & huic realitati disputando recta instare detrectarunt, videntes sibi hoc modo contradicendi libidinem fore, aut huic speciosam materiam non fore, nostris vero Ecclesiis ita concedi, quod iuste pugnarint. Accessit tamen a nostra parte quorundam, vel in loquendo incommoditas, vel in sensu prauitas, quia nonnulli realiter & essentialiter συνωνύμως iungere, itaque vrgere ausi sunt, & hunc sensum inculcarunt explicatum, quod in tali communicatione Deitatis proprietas fiat humanitatis proprietas, qua acquisita veritas & definitio carnis Christi facta sit alia, quam qualem nostra caro ratione essentiæ obtineat. Contra quod dogma communes aduersarios seu Caluinianos iure concertasse, negari nequit, iniurios tamen illos fuisse multis, nec veritatem inuiolatam reliquisse, conquerimur. Nam simpliciter sustulerunt omnem realem communicationem diuinæ maiestatis & verbalem attributionem statuerunt, etiam in abstractiuis sacræ scripturæ locutionibus, cum caro Christi dicitur viuifica.

Quomodo ratio causæ efficientis tollitur, quæ est instrumentalis, & insuper pendet ex reali necessitudine organi cum principali agente vnione hypostatica, hoc est, realissime coniuncti, quo in modo realitatem negare est vere veritatem inuadere, & mysterii λόγον atque σύστημα euertere. Cauendum tamẽ est diligenter, ne quod hic realiter & vere fieri dicimus, istud vllo modo essentialiter, formaliter, habitualiter, aut subiectiue factum cogitemus aut dicamus. His vero modis a realitate hac diuinæ maiestatis carni Christi communicatæ resectis Formulæ concordiæ omnes vere realitati aduersantium neruos incidit, siue eam sublatam cupiant, vt Caluiniani, siue perperam amplificent, vt Stenckfeldiani, a quorum portentis Saxonica confessio & Formula concordiæ dextre & candide iudicantibus omnino immunis est. Porro thesis meminit, ministerii legis & Euangelii, per quod Deus poenitentiam operetur, & quidem per legem contritio, per Euangelium autẽ fides. Solum enim Euangelium iis, qui opus habent medico, id est, ægris & per malleum legis contritis proponit doctrinam medicinalem de Christo mediatore & saluatore, in quem credendum sit: etsi lex iubens Deo fidere, omne eius verbum spectet, itaque etiam promissione Euangelii fidem postulet, qua tamen ratione sibi non vendicat, quod est Euangelii proprium: quoniam non id, quod Euangelium verbum

De

Dei est, sed quod hoc verbū Christū agnoscē-dum & credendum ad remissionem peccatorum prædicat, hoc inquam discernit Euangelium a lege. Alia quoq; quæstio est, num Deus vel per legem vel per Euangelium fidem operetur in Christum, & num fides opus sit legis: Cum enim lex de fide in Christum nihil tradat, per eam Deus non operabitur fidem illā; sed per Euangelium, & tamen cum fides illa opus sit, eatenus ad legem referenda erit, non quatenus per legem effecta sit, sed quatenus ad legem congruat, itaq; opus legis sit. Nam exclusiua addita iustificanti fidei, his æquipollentibus traditur, absq; lege & operibus legis, indeq; in nostris Ecclesiis explicata & perspicue edita est hæc confessio, quòd ne quidem fides, quatenus opus est, iustificet, sed correlatiue propter solum Christum, in quem fides etiam a se ipsa, seu a dignitate qualitatis suæ auersa, respicit tantum meramq; Dei gratiam amplexatur, vt sic gratis constet promissionis misericordiæ beneficiū, qua de re supra in loco de iustificatione plura sunt dicta, quāobrem etiā doctrinam de fide hic plenam nō repetimus. Mentione Euangelii etiam sacramentorū venit ratio, quia sunt vestitum Euangeliū, in quo tamen legis ratio simul habetur, vt cum neq; ex lege, neq; ex Euangelio tantū, sed ex vtroq; iunctim prædicetur vera pœnitentia; Sacramenta autem media sunt, per quæ Deus resipiscentiam donet & cōtinuet, ideoque vtriq;

doctrinæ vſus, pœnitentiæ ratione, ſacramentis iure tribuitur, neque locus eſt Euangelio ſine lege. Ideo Dominus Lutherus cõiunctionem & neceſſitudinem etiã in Euangelio ſingulariter æſtimato occurrere monuit, cum per Euangelium ſpecifice dictum peccata argui docuit, etſi non proprie proprioq; opere Euangelii per Anthiteſin tamen, vt adiecit ipſe, cum de remiſſione peccatorũ doceri nequeat, quin peccatorum, imo & remiſſionis horum mentio e contrario arguat ea. Sic in baptiſmo mortificatur vetus Adam, & reſurgit nouus homo, quia reſurrectio Euangelii non eſt, vbi non eſt mortificatio legis, cumq; in ſacra cœna iubemur accipere corpus & ſanguinem Chriſti pro nobis traditum & fuſum in remiſſionem peccatorũ, omnino hic quoque implicitus eſt vſus legis propriiſſime accuſantis peccata, etſi ſacramenta hæc ad fidei confirmationem & obſignationem inſtituta ſint, ideoque ſigilla promiſſionis Euangelii nuncupentur. Sic quoque faciẽtes illud, quod præcepit in inſtitutione Dominus, iubemur annunciare mortem Domini, donec veniat, hoc ipſo perpetuanda in hac vita pœnitentiæ doctrina traditur, quæ etiam in ſanctiſſimis hic continuanda eſt per agnitionem peccatorum & petitionem remiſſionis eorundem, de qua tamen in Theſi ſequenti.

CONFIRMATIO.

Pſalm. 50. *Arguam te*, inquit, Iehoua, *& ſtatuam*

tuam contra faciem tuam (id est agnitionē peccatorum excitabo in te) *intelligite hæc, qui obliuiscimini Deū.* Psal. 80. *Deus exercituū viuifica nos & nomen tuum inuocabimus.* Ier. 31. *castigasti me Domine & eruditus sum, quasi iuuencus indomitus.* Christus *Matth.* 9. inquit. *Non veni vocare iustos, &c.* Io. 16. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credat in me.* Huc pertinet dictum Petri *Act.* 5. In explicatione huius Thesis citatum Psal. 119. *Lex Iehouæ immaculata conuertens animas testimoniū Dei fidele sapientiam præstans paruulis.* Ier. 23. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, &c.* ad Rom. 3. *Per legem agnitio peccati.* ad Rom. 7. *Non cognouissem nisi per legem peccatum.* Rom. 10. *Christus est finis legis ad iustitiam omni credēti.* Et ibidem, *quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt, &c. quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint,* sicut scriptum est. Esa. 52. Et Nahum. 1. *Quam speciosi pedes Euangelizantiū pacem.* 1. Cor. 4. *In Christo Iesu per Euangelium genui vos.* Nam. 1. Cor. 1. dicitur *sermo ille de cruce illis quidem, qui pereunt, stultitia est, nobis autem, qui saluamur, potentia Dei.* Rom. 1. *Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Ro. 6. *Sepulti ergo sumus per Christum.* & 1 Cor. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* Item *hoc facite in mei cōmemorationē.* Item *quotiescunq; de pane hoc ederitis & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

VII. THESIS.

Christiano dum in his terris viuit semper opus est pœnitentia.

EXPLICATIO.

Contritio & fides sunt ex regeneratione & cõuersione hominis, quæ absoluta renouatione in hac vita nulli sanctorum constitit: cumque conuersi sint præparati atq; vocati ad bona opera, peccatum autẽ inhærens maneat, suosq; effectus vrgeat & sæpe sanctos præoccupet, placuit sanctissimo Deo in perpetua lucta hic exercere suos, quæ lucta in victoria spiritus pœnitentiæ est continuatio & repetitio.

CONFIRMATIO.

Psal. 32. *Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus.* Prouer. 24. *septies in die cadit iustus & resurgit, impii autẽ corruunt in malum.* Matt. 7. in orationem quotidianam Christus in hac vita præscriptam hanc inseruit petitionem: *dimitte nobis debita nostra*: & Paulus se exemplum proponit Rom. 7. *Inuenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malũ adiacet, delector enim lege Dei quo ad interiorem hominem, sed video aliam legem, &c.* Hæc est imago Christiani carne luctantis cũ Spiritu, hæcque vox est continuantis & iterantis subinde pœnitentiam. De fine & effectis pœnitẽtiæ dictum est in locis de iustificatione & bonis operibus.

DE

DE ECCLESIA LOCVS XXIX.

I. THESIS.

Ecclesia dicitur cœtus euocatus & collectus verbo Dei.

EXPLIC. ET CONFIR.

E*Cclesia quippe ex vocatione dicta est*, inquit, Augustinus in initio Epistolæ *ad Rom.* Est autem insuper aliquid ἐμφάσεως in Græco verbo ἐκκαλεῖσθαι euocari, quod segregationem congregationi coniungit, vt ἐκκλησία dicitur cœtus segregatus, quem Dominus singulariter ex genere humano euocet & colligat. Hæbræi appellationem a congregatione ducunt. Est enim Kohal congregauit, vnde Cahal Ecclesia, vt Psalm. 22. *in medio Cahal congregationis laudabo te*: & alia formatione Cehila. Deu. 33. *Legem præcepit nobis Dominus hæreditatem congregationi Iacob, vel præposito Men Malecbel.* Psalm. 68. *in Ecclesia benedicite Domino de fontibus Israelis.* Appellatur etiam Eda a Iahat conuenire, quod cum præcedente sane congruit, sed ex loco. *Exod.* 25. Etymologiam ornatiorē adfert. Sic enim Dominus de propitiatorio ibidem inquit: *Et cōueniam tecum illuc & tecum loquar.* Habet quoq; iucundam illusionem, quod eadē vox *Eda habet* significationē testimonii, & quidem vsurpatur. *Gen.* 12. de testimonio fœderis secūdum aliā formā Edoth testimonium vsurpatur quoq; pro ver-

bo Dei Psa.19. *testimonium Domini fidele*, & Psal. 119. *Beati qui custodiunt testimonia eius*. Inde etiã tabernaculum & habitatio in medio eorum. Collectio ergo & congregatio dicitur, quæ fit per verbum, in quo Deus de sua essentia & voluntate testificatur.

II. THESIS.

Ecclesia aliquando accipitur generaliter pro cœtu promiscuo, constante ex bonis & malis, aliquando pro sancto tantum.

EXPLIC. ET CONFIR.

VT vocatio Dei duplex est, ita quoque Ecclesia per vocationem Dei collecta: Est autem vocatio alia generalis & externa, de qua dicitur. Matth. 22. *Multi vocati, pauci vero electi*. Alia specialis & interna, qua electi vocantur, non tantum externi, verbi prædicatione, sed etiam intrinseca tractione, de qua *Iohan*. 6. inquit, ipse Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, eum traxerit*. Et ad Ro. 8. *Dominus quos vocat iustificat*. Sic Ecclesiæ nomen alias speciale est, de vero piorum & electorum cœtu acceptum, qui etiam sancta vocatur Ecclesia, qua vocauit Deus suos vocatione sancta secundum propositum. 1. *Thes*. 1. de qua Matth. 16. *Supra hanc petram*, id est, fidẽ confessionis Petri de Christo) *ædificabo Ecclesiam meam*. Et in symbolo Apostolico *credo Ecclesiam sanctam* &c. Alias generale nomen est cœtum significans, qui externa vocatione

con-

gregatur, cuius membra professione externa agnoscuntur, quomodo multi Hypocritæ & reprobi quoque veniunt, de hac loquitur Christus. *Matth.* 18. Cum inquit, *Dic Ecclesiæ, cuius imagines. Matth.* 13. proponuntur. Vtriusque Ecclesiæ definitiones in libello nostro habentur, & priores quidem duæ veram, viuam & sanctam Ecclesiam decernunt: posterior de visibili generalior est.

III. THESIS.

Credimus Ecclesiam, sed non in Ecclesiam.

EXPLICATIO.

CRedere Ecclesiam adeo necessarium est, vt nisi hæc fidei pars firma sit, collabascat tota. Per verbum patefaciens generi humano Dei essentiam & voluntatem colligitur Ecclesia, ideoque traditum hoc est, vt effectum hūc præstet principalē. Quod si ergo Ecclesia tibi non fuerit, verbum Dei defecisse oportuit, sic Dominus Ier. 31. ex defectu sui verbi concludit cessationem Ecclesiæ, cum inquit, *si defecerint leges istæ coram me, tum & semen Israel deficiet.* At æternum est verbum Dei, atque in hoc mundo prædicandum vsq; ad cōsummationem seculi. *Luc.* 21. 1. *Cor.* 11. *Mar.* 6. Nunquam ergo nō alia est credenda in mundo, cū propter electos etiā cōtrahantur dies. *Mat.* 25. & quid spei esset credēti verbo Dei, Ecclesiam vero desperanti. Qui n. totū destruit, is de saluandis partibus non nisi in toto saluis temere

præsumit. Manifestum est itaq; , quod hic articulus fidei maxime necessarius sit, vnde intelligitur quid damni inferat corruptus. Et quidem hæc corruptela summa est, quod Ecclesia in locum Dei euehitur, & huius honore afficitur. Vere quidem Ecclesia est hæres Dei, eritque cum Deo, & gloria eius fruetur in æternum: ipsa tamen Deus non est, neq; sibi honores Dei sumet, si vera Ecclesia Dei fuerit, quapropter in Ecclesiam credendum non est, cum hic honos solo Deo debeatur. Sed obstant huic assertioni duo præcipue. 1. Quod vetus Christianorum confessioria habeat credo in S. Ecclesiá. 2. Quod scripturæ auctoritas hanc sententiam stabilire videatur. De priore quod quidam in Symbolo Niceno legunt, *credo in vnam sanctam Ecclesiam*: id probatum non est, neq; ab orthodoxis insertum, sed ab his expunctú. Sic enim Augustinus sermone de tempore 131. *sciendum est*, inquit, *quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei*. Et in expositione symboli, quæ Cypriani operibus inserta est, non dixit *in sanctam Ecclesiam*. Si enim addidisset præpositionem IN, vna eademq; vis fuisset cũ superioribus, *credo scilicet in Deum Patrem, Filium & Spi. S.* Et postea *in cæteris vero vbi non de diuinitate sed creaturis ac misteriis sermo est IN præpositio non additur*. Et iterum: *hac itaque præpositionis syllaba creator a creaturis secernitur, & diuina secer-*

secernuntur ab humanis, videtur tamē hoc ꝙ negatum est velle etiam affirmare Apostolus, cum inquit: *Ecclesiam esse columnam & stabilimentum veritatis.* 1. Timoth. 3. Licet enim inniti fide in veritate, multo vero magis in columna & stabilimento veritatis, quod inniti est recte credere. Resp. Credimus in veritatem promissionum diuinarū, quia ipse Deus loquens est veritas & promissiones de voluntate Dei testantur, huius benignitati credunt credentes promissionibus, neq; fiducia a Deo non discedimus ad id, quod Deus non est, neque phrasis Paulina cogit nos vt intelligamus columnam quæ veritati ad fundandam & firmandam eam subiicitur: *non enim infrequens est etiam in Græco noui testamenti genitiuum abstracti iungere substantiuo Hebreorum more concreto.* Sic ergo columna & stabilimentum veritatis idem erit, quod columna & stabilimentum verum, hoc est, ædificium vere stabile. Diserte enim Paulus ibi Ecclesiam vocat domum Dei. Consideretur etiam vox ἑδραίωμα: Nam vt Eroatianus apud Hippocratē annotat ἑδραῖος habet inclusam κατ᾽ ἕδρας significationem. Quid vero prohibet, quod idem non sit in ἑδραίωμα. Intelligi potest ergo quod domus Dei sit templum & sedes Dei verissima, atq; hoc modo phrasis abstracti vsu magnam Emphasin præstat, cum verius illud sit, quod veritati propius est, & quidem vnumquodque

ſua veritate maxime verum. Pondus ergo ineſt hoc verbis illis, quod Christus hac perſpicua oratione expreſſit Matth. 16. *Supra Petrā hanc ædificabo Eccleſiam meam*. Petram intelligit ſe Christum, de quo edebat Petrus confeſſionem, quod ipſe filius hominis eſſet filius Dei viuentis. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus*. 1. Cor. 3. Et quæ huic baſi inſiſtit domus immota eſt etiam aduerſus maximam vim, quam infernus emiſſis Diabolis, hoſtibus Eccleſiæ infenſiſſimis, infundere poteſt, quomodo perſpicua, & vera eſt ſententia, Eccleſiam eſſe donum Dei, columnā & ſtabilimentū veritatis, vt ſit oratio ſimilis huic Epheſ. 4. *Nouus homo ſecundum Deum conditus eſt*, ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ἁγιότητι ἀληθείας. Si enim alicubi veritas fuerit, iſto loco doctrina ſveritatis huiusque columna & ſtabilimentum Eccleſia dici exiſtimetur. Res etiam plana eſt & ſenſus ſanus, ſi modo columnam & ſtabilimentum reſpectu veritatis paſſiue accipias non vero actiue, hoc eſt, ſi veritatem Eccleſiæ ſubſtrueris vt fundamentum ędificii iuxta dictum ad Epheſ. 2. *Exſtructi eſtis, ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum &c.* Ita igitur ſententia erit: *Eccleſia eſt domus Dei, cuius columnæ inſiſtunt veritati, quæ cum immota ſit, ſtabile ædificium ſuſtinet, quod Deus incolat*. Si quis autem columnam actiue acceperit, quæ fulciat & firmet veritatem, vel

ſi quis relationem conuerterit, adeo vt Eccleſiam, quæ eſt cœtus collectus ex hominibus, itaq; ipſos homines fundamentum ponat, ex quo exſurgat veritas doctrinæ, quæ humanis traditionibus definita ſtabilitatē ſuam in hominum auctoritate figat, omnino peruerſa ſententia & multis modis inſana, ima nimirum ſummis permutans non ſecus ac ſi quis domum ex fundamento vertens in pectine tecti eam putaret ſtabilius poſſe conſiſtere: Si tamen Eccleſia ideo actiue columna & ſtabilimentum veritatis appellatur, quia ſit cuſtos veræ doctrinæ, quam conſeruet & propaget, tum ſenſus eſt fidei analogos.

CONFIRMATIO.

Senſus articuli ſymboli, *credo Eccleſiam*, hic eſt: quod credamus, & infallibiliter promiſſam eſſe a Deo Eccleſiam, quam ſibi acquirat, & duraturam eam in æternum, fruſtra obluctantibus vniuerſi mundi furoribus. Huius autem fidei baſis eſt promiſſio diuina, quæ nunc inquirenda. Articulus iſte Catecheſi primorum parentũ inſertus eſt, ponderoſiſſimis verbis fidem immotam expoſcentibus, cum dictum fuit a Domino: *ponam ſemen*, qui n. inquit, *ponam inimicitiã inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen mulieris*, ille etiam ſemē ſe poſiturũ dixit. Ne v. æqualitas intelligeretur inter cõtraria & aduerſantia

semina, itaque multis modis, iniqua paritas: semen mulieris ita ponitur, vt serpenti & semini huius caput conterat, itáque finem imponat, licet his etiam ignem æternum reponat. Etsi etiam semen illud victoriosum & perpetuum est Christus, idem tamen promittitur primis parentibus vt saluator & quidem hic semen illorum statuitur, vt posteritatis simul rationẽ haberi agnoscatur, & ponitur, id est, fundatur & firmatur solidissime semen illud, quod *ponens animam suam sacrificium pro peccato semen vidit prolongans dies suos*, vt Esa. 53. dicitur. Inest ergo in verbo *Ponam* hæc sententia, *fore ex hominibus etiam post lapsum amicos Dei aduersus satanam conseruandos, qui cœtus certo statuere debeat, se non periturum, sed abolito serpente cum semine viperino perpetuo duraturum & placiturum Deo.* Eadẽ sententia est in dictis supra recitatis, 1. *Timoth.* 3. *Ephes.* 2. Prolixa etiam huius articuli explicatio exstat Iohannis 10. Ego inquit Iesus *sum pastor ille bonus &c.* Hic filius Dei docet hunc articulũ (*credo Ecclesiam*) esse implicitum isti (*credo in Iesum Christum*) neque in hunc credi posse, nisi constante relatione pastoris & ouium, hoc est, perpetua coherentia horum articulorum seruata, cum pastor non sit, cui oues non sint, & credentes in Christum sint Ecclesia, itaque connexio inseparabilis exsistat articulorum fidei. Postea igitur inquit, *sed vos non creditis, nõ enim estis ex ouiculis meis &c.*

is &c. Huc pertinet dictum 2.Cor.2. *Solidum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sint sui.* Notitia ergo nostra seu fides pendet a fideli notitia Christi, qui sint sui cognoscendo curantis & seruantis suos minimeq; fallentis.

IIII. THESIS

Credo Ecclesiam sanctam.

EXPLICATIO.

REponimus verba symboli Apostolici vt declarentur & confirmentur. Sancta dicitur Ecclesia militans in hac terra, quæ tamẽ in singulis membris circumfert malum iisdem adiacens, quod est peccatum, non solum inhabitans, sed etiam actuale, quemadmodum *ad Rom.* 2. docetur. His non obstantibus, sancta tamen est Ecclesia toto corpore, vt nec ruga sit nec macula in ea *Eph.* 5. Hoc est, perfectissima est sanctitas illa, quia credentibus in Christum, ex quibus vera Ecclesia constat, remittuntur & teguntur peccata. Imputatur autem iustitia & obediẽtia Christi. Quod igitur remittitur aut tegitur peccatum, non imputatur *Psal.* 32. Neque deest aliquid iustitiæ, quæ credenti in Christum imputatur secundum quam perfectio hæc sanctitatis est intelligenda. Præterea renouantur omnes, qui huic cœtui aggregantur, sed hæc sanctitas in hac vita non plane perficitur, sed subinde proficit spiritu magis mortificante

veterem Adamum in membris Ecclesiæ. Quapropter nõ sunt cõstituenda distincta genera sanctitatis, adeo vt alter alterius negationem pariat: vna dicitur incoata, quæ est qualitatiua, altera perfecta, quæ est imputatiua.

Intelligendum etiam est hoc Epitheton de Ecclesia, quæ ex vere credentibus in Christum solummodo constat, nec Hypocritas aut alios malos promiscue continet. Estq; magna vis in hoc articulo cum dicimus, *credo Ecclesiam sanctam.* Quoties enim pii a corpore mortis huius nõdũ liberati affliguntur, tẽtatione infirmitatũ luctę carnis cũ spiritu,& quod a se fiat quod nolint, idq; peccatum agnoscant, qualiter hic tentari sanctos vniuersalis experientia testis est:toties sortis vniuersæ Ecclesiæ in orbe terrarum dispersæ memores solemur nos,sanctam tamen illam esse,& firmissime credi, & si colluctantem cum carne imbecillitatibus variis obnoxiam: hoc vero credentes adeo tentatione non succumbimus, vt quod communiter in Ecclesia deprehendimus, eo nos ab Ecclesia diuelli non patiamur,cogitantes quanta certitudine illa credatur, quodq; ideo de se desperans, quia peccatum non plane mittat, non solum Ecclesiam negare conatur in vniuersum, sed ètiam tollere totum systema fidei Christianæ, hoc est, Deum & quicquid Dei est negare

gare, qui fidelis hominis discursus magnum pondus efficit præsentissimæ consolationis.

CONFIRMATIO.

Prius dicemus de incoata nouitate, sed in hac vita imperfecta. Prouerb. 4. *Piorum semita est similis luci, quam aurora spargit &c.* 1. Corinth. 3. *Transformamur a gloria in gloriam* 1. Corinth. 4. *Etiamsi natura homo corrumpitur interior, tamen renouatur de die in diem.* Ephes. 4. *Donec euadamus omnes in perfectum virum.* Ad Philip. 1. *Qui cœpit in vobis bonum opus perficiet.* Iacob. 4. *Sumus initium creaturæ.* De sanctitate autem perfecta hæc testimonia loquuntur. Esai. 52. *Nō transeat per sanctam Ierusalem incircumcisus & immundus.* Et cap. 60. *Populi omnes tui iusti.* Psalm. 45. *Omnis gloria filiæ regis ab intus est.* Et de hac pulcritudine ibidem dicitur: *Concupiscet rex decorem tuum quoniam ipse Dominus est tuus.* Cant. 4. *Tota pulcra es amica mea.* Vbi filius Dei loquitur de sponsa Ecclesia, de qua *ad Ephes.* 5. Apostolus inquit: *Christus dilexit Ecclesiam & semetipsum exposuit pro ea, vt eam sanctificaret &c.* Rom. 7. & 8. Quæ capita in hac doctrinę parte coniungi debent: *ipse ego mente quidē seruio legi Dei, carni vero legi peccati. Nulla ergo condemnatio nunc est his, qui sunt in Christo Iesu.* Ad Collos. 2. *Estis in eo* πεπληρωμένοι, *completi seu perfecti, qui est caput omnis imperii & potestatis, in quo etiam circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus.*

V. THESIS.

Credimus Ecclesiam Catholicam.

EXPLICATIO.

Καθολικὸν dicitur vniuersale. Quintilianus sane *libro secundo cap.* 13. præcepta catholica interpretatꝰ est vniuersalia & perpetuaria: sed fecit hoc ex consequente, & præceptorum sic denominatorum natura, quod fatentur nulla parte labefactari & subrui vnquam posse, Catholica Ecclesia dicitur vniuersalis, & in symbolo Nizeno hic articulus sic explicatur, *credo sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam.* Est igitur catholica Ecclesia quæ nō ex vna gente Israelitica nimirum, nec in vno aliquo certo loco per ministerium Mosaicū, sed ex omnibus vniuersi orbis populis ministerio apostolorum, nec alia quam horū doctrina colligitur congruente cum doctrina Prophetarū. Itaq; dispersam per orbem terrarum & Christianam seu apostolicam doctrinam amplexantem & vnanimiter in hac coeuntem credimus Ecclesiam. Quod si perpetuam hāc dixeris siue durationem ministerii Euangelici vsq; ad consūmationem seculi, siue æternam huius cœtus vitam respexeris, verum statues, sed hoc ex alia quam istius τοῦ καθόλου causa constat, præsertim cum orbem terræ intelligamus, quæ non est sedes Ecclesiæ fixa.

CONFIRMATIO.

Cū dico, *credo Ecclesiā catholicā*, sensum hūc ver-

verbis istis promo: *Certus sum, & tanquam omnino indubitatum profiteor & prædico: promissionem Abrahæ factam, completam esse de semine nimirum ipsius editam, in quo sint benedicendæ omnes gentes terræ. Hoc scio, esse Iesum Christum, qui emissis discipulis per Euangelium diffudit benedictionem suam per orbem terrarum. Credo omnino vocem hanc Christi*, ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, *Marc.* 16. efficacem esse hac mea ætate, & durare ministerium Apostolorum, quibus *Matth.* 28. dixit Dominus: *Ego vobiscum sum omnibus diebus*, etiam mortuis indiuiduis, quoniam sonus, seu linea, seu canon ipsorum adhuc exit in omnem terram, & in fines orbis terrarum verba ipsorum, *Psalm.* 19. & *Rom.* 10. hoc credens omnes mundi vires impedimenta curriculo Euangelii machinantes & obiicientes inanes noui, nec extimesco portas inferorum, *Matth.* 16. Itaque hæc mens credentis consolatione est refertissima. Huc pertinet doctrina de vocatione gentium cum Propheticis & Apostolicis testimoniis, illam confirmantibus & declarantibus, & nos quidem de Iapheti gente oriundi profitentes hunc articulũ memores simus ardentissimi voti parẽtis alterius mundi Noæ, qui *Gen.* 9. sic inquit: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Siue enim verbũ *Patach* dilatare, siue persuadere, quod fit blandiloquio accipias, eodem res redit. Nam *ha-*

bitare in tabernaculis Sem, est colligi ad Ecclesiam, quæ ſemini mulieris contritoris ſerpentini colligitur: quæ promiſſio tum ad Semi poſteritatem colligebatur, ex qua eſt Abraham, Iuda, Dauid, Maria. Quod ſi ergo dilatationem Iapheti intelligis, precatus eſt Noha, vt diſperſa Iapheti poſteritas in Eccleſiæ ouili colligeretur, cum Semi poſteris ſanctis, idque fit non alio modo, quam per miniſterium Euangelii, & quia has preces Dominus ratas habuit, nosque ex optato Noha euentu fruimur hodie, firmius hanc fidem teneamus, lætius profiteamur, fortiusque ea aduerſus mundi impetum & Diaboli vtamur, qua dicimus, *Credo Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam.*

VI. Thesis.

Credo communionem ſanctorum.

Explicatio.

QVod in ſymbolo Apoſtolico dicitur: *Credo communionem ſanctorum*, hoc in Niceno ita expreſſum eſt: *Credo vnam Eccleſiam*, idq; adiectis ponderoſius eſt: *Credo vnam ſanctam Eccleſiam Apoſtolicam & Catholicam.* Vna autem dicitur Eccleſia. I. Quod veteris & noui teſtamenti Eccleſiæ non ſint diuiſæ in duos cœtus, ſed hæc illi inſita, ceu ſurculus arbori. II. Propter vnionẽ, cum Deo ſpiritualem, quę vnitati fidei ab initio congregationis ſanctę huc vſq; coiit. Eſt ergo communio ſanctorũ cum Chriſto, & hoc mediatore cum patre & Spiritu ſancto, quæ non diuerſarum religio-

ligionum opinionibus communicat, sed separata ab impiis sanctorum cõuentu constat, & cõsensu mirando vnitur, fundato in vno Christo Iesu, præter quẽ, neq; prius, neq; posterius, planeq; nullũ aliud fundamentũ poni potest, super ꝙ ouile hoc vnũ exstrui queat. Huc etiã pertinet doctrina, quod extra Ecclesiam non sit salus. Sic vero articulus de Ecclesia non solum militãtem in terra spectat, cum qui mortui sunt sancti, non militent amplius, sed triumphent, & tamen vniuersorum membrorum respectu vnitas Ecclesiæ, tanquam vnius corporis, itaque communio sanctorum intelligatur. Credimus ergo & profitemur hoc articulo nos, cum Patriarchis, Prophetis & Apostolis, & omnibus, qui fide in promissum semẽ benedictionis æternæ vnquã obdormierunt, nec nõ cum viuis fidelibus Christi vniuersis in amplissimo hoc mundo dispersis vnũ esse corpus, cuius Christus caput, & nos singuli membra sumus, caro de carne Christi, & os ex ossibus Christi, vnusq; cum ipso spiritus, quæ est gloria fidelium, etsi mundo inuisorum, mundo ipso maior. Hic vero respondebimus ad Pontificium quendam articuli huius abusum: *Credimus*, inquiunt, *communionem sanctorum, hisque verbis coniunctionem & consociationem Ecclesiæ cœlestis & terrenæ perpetuam intelligimus. Sicut ergo Ecclesiæ terrenæ licet vti intercessione, vt vel custodiamur, vel liberemur a malis: ita etiã interpellationes sanctorũ apud Deũ*

cœlos incolentium implorare & vsurpare concessum erit, nec minus gratum fuerit hoc Deo, quam illud caritatis officium. Respond. Mandatum Dei manifestum est, vt alius pro alio preces fundat, nec exstat expressa negatiua in sacris literis, quod sancti ad Deum translati nulla cura Ecclesiæ post se in terris relictæ tangantur, vel apud Deum nullo modo intercedant pro corpore, cuius ipsi membra sint, præsertim cum hoc nõdum perfectum sciant, quod mundi huius finis, quem exspectant, nondum venerit. Hæc ergo in disceptationem non vocantur, & si non liceat ratiocinando condere dogma, præsertim vbi antecedentis ad consequens non est immota necessitas: quis vero ex communione sanctorum colliget necessario mores, quibus mortui vtuntur, quosque Deus nullo expresso verbo indicauit. Hic ergo modestia opus est, quamuis pie arbitrari liceat, animas in sinum Abrahæ translatas, & nec mortuas nec dormientes Ecclesiæ perfectionem exoptare & precari, & de hoc non litigat pietas. Porro autem quæritur, *num inuocandi sint mortui, vt pro nobis intercedant, num etiam singulorum afflictiones cognoscant, & exaudiant preces.* Hic igitur articulũ de communione sanctorum adhibere longe est vanissimum: sicut enim, qui in Asia iam degunt Christiani, ignorant singulorum in Europa angores & dolores, & si verissime in communione omnes censeantur, & viua Ecclesiæ mem-

membra pro corporis totius salute vota faciant, ita de mortuis sanctis statuendum non est, quod communionem istam deserant, nisi terrenæ Ecclesiæ tribulationes speciatim agnoscant, & aduocati pro vno magis, quam pro altero interpellent, vnde patet, non esse necessariam consequentiam Pontificiorum, & præter id, quod inuocatio debeatur soli Deo, vnusque sit mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum pretium redemtionis pro omnibus, perspicuum est testimonium sacrum, quod sancti mortui ignorent indiuidua, quæ in Ecclesiam cooptata, dum hic vixerunt, non agnouerunt. Sic enim Ecclesia tempore Esaiæ pressa, confessa & precata est: *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine pater noster, redemtor noster a seculo nomen tuum.* Quibus in verbis hoc notabile est, quod ista ignorantia sanctorum separet eos a mediatore, quem militans Ecclesia implorat, immediate suas preces cõuertendo ad mediatorem.

CONFIRMATIO.

Huc pertinent, quæ de communione spirituali inter fructus sacræ cœnæ sunt collecta testimonia, docentia Ecclesiam in vnum, quasi corpus redactam. Etsi enim illa de Christianorum communione loquuntur, Abraham tamen est pater multarum gentium, *Gen.* 17. hoc est, pater credentium, paterque omnium nostrorũ, *Rom.* 4. Vnitatis illius causæ quædam

recitantur, *ad Ephs.* 4. quæ præter baptiſmum omnes ſunt communes veteri & nouo populo. Sic enim ibi Apoſtolus Paulus: *Vnum eſt corpus & unus ſpiritus, ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ, &c.* Ad *Epheſ.* 2. Paulus ipſos ait aliquando fuiſſe abſq; Chriſto alienos a Repub. Iſraelis, extraneos a pactis promiſſionis, ſpem non habentes, & Dei expertes in mundo: *At nunc*, inquit, *in Chriſto Ieſu vos, qui olim eratis procul, propinqui facti eſtis.* Hæc eſt ſane ſanctorum communio, in qua tamen ſunt infirmi, quos Paulus *ad Rom.* 14. teſtatur aſſumtos a Deo, item credentes in Christum omnes, etſi cum carnis ἐπιζελιστάτῳ κακῷ, hoc eſt, circumuallante malo cõflictemur, *ad Ebr.* 12. quod eſt malum inhabitans, & adiacens lex in membris ſanctorum, repugnans legi mentis ipſorum, *ad Rom.* 7. Qui tamen fide gratis iuſtificati, *ad Rom.* 3. cum ſint in Chriſto, nullam condemnationem metuunt, *ad Rom.* 8. Spiritu actiones carnis mortificantes, *Rom.* 8. Et fugiunt idola, nec poculum dæmoniorum bibunt, cum non poſſint, participes eſſe menſæ Domini & menſę dæmoniorum, 1. *Cor.* 10. Inſignis hac de re locus exſtat, 2. *Cor.* 6. Vbi communio ſanctorum propter Deum in ſibi concopulatis, tanquam in templ[illegible] ſuo inhabitantem dicitur plane refugere [illegible]νωνίαν impiorum: *Ne*, inquit, *iugo copule-[illegible] cum in-fidelibus, quod enim conſortium iu-[illegible] cum iniuſtitia, aut qua communio luci*

cum

rum tenebris, &c. Quapropter exite e medio illorum, & separemini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tangite, &c. Extra hanc communionem sanctam, quæ est Ecclesia & domus Dei viuentis, 1. *Tim.* 3. non est salus. Hoc enim dictum intelligitur de cõmunione, quæ est in Christo Iesu, & Ecclesiam sanctã vnamque præstat. Vt enim, qui venit ad Christum, non eiicitur foras, *Ioh.* 6 ita qui vocatus ad cœnã istius hominis, emanet, audit tristissimam sententiã Domini: *Dico vobis, neminè virorum illorũ, &c Luc.* 14. Nemo n. intrat in regnum Dei, q; est Ecclesia, nisi renatus, *Ioh.* 3. omnesq; sunt filii Dei per fidem in Christo Iesu. Nam quotquot in Christo sunt baptizati, Christum induerunt, *ad Gal.* 3. nisiq; carnẽ Christi edãt, & sanguinẽ eius bibant, nõ manent in eo, neq; ille in ipsis, *Ioh* 6. ex qua tamẽ mansione & inhabitatione vnio & cõmunio constat, 2. *Cor.* 6. Itaq; palmites esse oportet, pendentes a vite Christo, indeq; succum sugentes, quibus non nisi in Ecclesia cõstare dicitur, & palmites abscissi abiiciũtur foras. Sic n. Christ⁹ Ioh. 15. *Nisi quis in me mãserit, eiectus foras statim vt palmes arescet*: deinde coguntur isti, & in ignẽ abiiciuntur, & ardent. Atq; hoc est, q; dicitur, *extra Ecclesiã non est salus*, nim. extra cõmunionem sanctorũ, q̃ a Christo capite pendet, vt corpus ex multis mẽbris compactũ, in qua cõmunione potest esse fidelis, eiectus ex Ecclesia visibili, quæ præ se fert communionem Christi.

VII. THESIS.

Notæ veræ Ecclesiæ hominibus probandæ primarius est pura Euangelii doctrina de Christo.

EXPLICATIO.

INitio obseruetur, agi de notis iudicio humani parato, in quibus censendis ideo variæ ἐςάζεις occurrunt, quod mens humana ad interiora pectorum alienorum non penetrat, & Dei benignitas atq; misericordia in tolerandis infirmitatibus & nęuis suorum admiranda sit, suisq; limitibus & terminis nobis nō satis perspecta aut patefacta. Hæ potissimum sunt causæ, quare in notis Ecclesiæ nobis apparentibus censura nostra nōnihil videtur incertior, neq; tamen propter imperfectionē reiicienda est doctrina necessaria, cum in omnibus articulis hic ex parte tantum cognoscamus, 1. *Corinth.* 13. Neq; tamen imperfectum respuere, de consilio Dei tenere & persequi oportet, donec perfectum contingat. Necessaria vero est doctrina de agnitione veræ Ecclesiæ, cum Dominus huic ministros ex hominibus perficiat, & audire suos seruos velit, *Matth.* & *Luc.* 10. plurium conuentus postulat, Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint, &c.* Et 1. Cor. 10. *Quando conuenitis: spiritus probate, num sint a Deo.* 1. Ioannis 4. Pseudoprophetas cauere iubeat Christus, *Matth.* 7. & huiusmodi alia multa præcipiat, quæ requirant notitiam cœtus visibilis, qui sit vera Ecclesia

De

Dei. Sed ad propositam notam redeamus: Pura Euangelii doctrina de Christo non est Euangelii tantum a lege separata doctrina, sed cum sanis non sit opus medico, *Matth.9.* Non potest de Christo doceri, nisi vbi sunt per legem contrita peccatorum corda, quibus demum medico opus est. De puritate autē quęritur, num summa & perfecta intelligi debeat: vera enim hac exquisita ipsa Ecclesia Christi, quam ipse versans in terra corrogatis discipulis collegit, & pro fratrum suorum Ecclesia agnouit, reprehendenda fuerit, absolutam puritatem hic excogitare non possumus. Sic vero quæritur, *quatenus puritas deficere possit, vt tamen vera Ecclesia in hoc defectu non cesset.* Hic generalius respondetur, *doctrinam fundamentis constare debere, & recte:* nisi enim fundamentum sit iactum, Ecclesia nulla ædificabitur, cum sit domus Dei, & sine fundamento domus non exstruatur, neque hæc stabilis sit moto fundamento: quantum vero doctrinæ ad hoc fundamentum requiratur, vt de tritis quibusdam partibus ista tamen domus duret adhuc, id indagandum restat. Qui hic articulos symboli Apostolici nominãt, & fundamẽtum esse volunt, grauiter statuunt & vere, habentque Athanasianum symbolum, quod vniuersalis Ecclesiæ οἰκεῖον factum est: itaq; Catholicon testimonium quo suam sententiam firment. Sic enim fidem suam editus Athanasius præfatur: *Quicunq; vult saluus esse, ante o-*

mnia opus est, vt teneat Catholicam fidem: Inquirenti autem Ecclesiam vix vlla comparet. Cum enim tres in mundo viuerent, Adam & Eua, post lapsum in paradiso ab ipso Deo de Euangelio edocti Ecclesiæ sanctæ primitiæ exstitissent Eua, Cainum pro Messia habet, hoc est, pro eo, qui imus angularis est lapis fundamenti. Inquit enim enixa illum: *Acquisiui virum Dominum.* Quis vero ab Idololatria excusabit, quando nudus homo pro Deo, & sic Phseudo Christus constituitur, & quantum distat falsus Christus ab Antichristo: Euam tamen membrū Ecclesię veræ fuisse inde demonstratur, quod Dominus serpenti, hoc est, Satanæ dixerat: *Ponam inimicitiam inter te & mulierē.* Quod si ergo inimicitia posita erat Satanæ, amicitia Deo asserta fuerat, & posita erat illa inimicitia diuinitus. Erat ergo mulier membrum factum vere Ecclesię iuxta Dei propositum. Cum ergo in hac primitiua Ecclesia, quam duo homines Catholicam effecerunt, error de Messia obtinere potuerit Ecclesia non abolita, quæ ista erat iusta seueritatis nostrę ratio simile non permittentis, vt cum tale quid ingruat, vera Ecclesia constet. Christus discipulos suos fratres appellauit, itaque membra veræ Ecclesiæ agnouit & prædicauit, qui tamē erroribus in datum fundamentum impingentibus non caruerunt, regnum enim Christi mundanū somniabant, & fouebant hanc opinionē vsq; ad mortē Christi, qua

sti, qua interueniente spe sua se frustratos opinabantur, quemadmodũ Emauntici viatores communẽ Ecclesiæ istius temporis opinionẽ produnt, *Luc.* 24. Et quod stupendum est, Petrus etiã visibiliter perfusus spiritu sancto cultus legis necessarios, & vocationem incircumcisorum immundam imaginabatur, *Actor.* 10. Quãuis etiã tum cœlitus, tum de errore monitus esset, omnẽ tamen non omisit, quemadmodũ *ad Gal.* 2. legimus, eũ propterea reprehensum a Paulo, cuius sentẽtia grauissima hæc est, q. Petrus non incesserit recto pede ad veritatẽ Euangelii, quia gentes coegerit iudaizare, vtque intelligatur, quod doctrinam de iustificatione hominis coram Deo corruperit, hanc Petri errori opponit: *Scientes*, inquit, *non iustificari hominẽ ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & nos in Iesum Christũ credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi & non ex operibus legis, &c.* Addantur his, quæ habentur *cap.* 5. vt erroris magnitudo cognoscatur. Verissime ergo Dn. Lutherus affirmat, Petrũ non leue peccatũ commisisse, sed contra præcipuum articulum doctrinæ Christianæ peccasse. Item, *aut*, inquit, *Petrus est seuere corrigendus, aut Christus e medio tollendus.* Tertullianus excusaturus Petrũ, & quidẽ hoc cauturus, ne in fundamentũ impegisse statuatur, in libro de præscriptione aduersus hæreticos sic scripsit: *Vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quã*

creator, vt alius Christus, quam ex Maria, & alia spes, quam resurrectio annuntiabatur. Hæc vero palliatio contraria est testificationi Pauli, qui inquit, *Petrum coegisse gentes iudaizare.* Docuit ergo cultum legis, & quidem necessarium a Christianis exegit, quali doctrina Paulus Christianismum destrui pronuntiat. *Tota vis*, inquit Dominus Lutherus, *sita est in particula*, cogis gentes iudaizare, id est, *cogis eas deficere a gratia & fide ad legem & opera, & negare Christum, quod frustra mortuus & passus sit. Hac vox* cogis *includit ista pericula & peccata omnia, quæ Paulus vrget, amplificat per totam hanc Epistolam. Nam stante hac coactione seu necessitate, necesse est aboleri fidem, qua abolita & euersa irrita sunt omnes promissiones Dei, omnia dona spiritus sancti conculcata sunt, omnesq; homines necesse est simpliciter damnari & perire.* Hæc Dominus Lutherus. Neque obstat tantæ grauitati sententia, quod textus habet mentionē simulationis & hypocrisios. Etsi autem recte inde colligitur, quod rectius Petrus senserit, quam docuerit, itaq; mente cum Paulo consenserit, quia tamen, vel ideo peccauit atrocissime, quod contra mentem & scientiam doctrinam proposuit, & coactionē obseruandi eam addidit, haud poterit pie negari. Quid ergo iam dicemus, *num Apostolus Petrus & Barnabas abreptus in simulationem ipsius, vna cum auditorio suo ad Christum conuerso, & tamen in hypocrisin illam inducto, non*

fuit

fuit Christi Ecclesia? Durum hoc fuerit, si dicatur, & absit, vt ita statuatur, nec leuius, si ad redimendam illam σκληρότητα, quæ tamen alias vsurpari non debet, statuatur dogma de necessitate iudaizandi, non incurrisse in fundamentum, sicut Beza ex eo, quod Ierosolymitana Ecclesia ignorauit in circumcisorum vocationem, conijcit dogma de vocatione incircumcisorum, non esse per se ex fundamentalibus Christianæ religionis capitibus. Huiusmodi iudiciũ doctrinam ex Ecclesia æstimans fallax est, & multis modis iniuriosum in veritatem, sicuti hoc inde dignosci oportet, quod zelum & iudicium Pauli accusari oporteat, illud si constare debeat, quemadmodum Tertullianus Petri errorem excusaturus, eo delapsus est, vt Paulum rudem in gratia & nouitium culparit, qui feruentius egerit, quam par fuerit, cum tamen Paulus testimoniis diuinis & argumentis irrefutabilibus suam sententiam euincat, vniuersum systema fidei Christianæ firmamentum habeat suæ censuræ, & hæc in synodo Ierosolymitana Petri quoque voto iustificetur. Dexterius ergo Lutherus iudicat, satius esse, vt Petrus negligatur, quam vt diuina maiestas cedat, aut fides periclitetur: Item, *hic potius pereat Petrus, & ad infernum abeat, si aliter fieri non potest, quam vt Christus amittatur.* Etsi autem hæc grauius dicuntur, quam audire sustineat animus personis nimiũ addictus, sanctius tamen est, hominem & A-

poſtolum ex doctrina, quã doctrinam ex humana auctoritate cenſere. Omitto nunc, quæ porro ex hiſtoria Eccleſiæ poſt tempora Apoſtolorũ annotata attexi poſſent, qua in re operam nauauit egregiã Dn. Melanch. edito libro de Eccleſia, anno 39. quo etiã multos ex amicis offendit, quoniam illi penitiorẽ conſiderationem ſortis Eccleſiæ militantis nunq̃ eodẽ, quo Dn. Philippus ſtudio ſuſceperat. Et certe, ſi quid reprehenſibile videri poteſt in cenſura illa dogmatiſtarum Melanchthonia, iſtud ibi ſpecioſius fuerit, vbi ſuam de erroribus patrum ſententiam amore quodam perſonarum Eccleſiæ commẽdatarum mitigat & emollit, quamuis non diſſimulet, ſe vereri multorum grauiores eſſe lapſus, & fortaſſis aliquot nequidem membra eſſe Eccleſię. Veriſſimũ eſt, q̃ dicit, *vniuerſam Eccleſiam errare poſſe*. Etſi enim hoc præcipue imputat multitudini dominantium, tamen præter iſtam multitudinem etiã pios, qui retinent articulos fidei exemplis moueri ait, vt aſſentiantur quibuſdam erroribus, itaq; fieri, vt articulos fide minus puros teneant. Hoc in Papatu factum eſſe non eſt dubium, & demonſtratum Catalogo teſtium veritatis ab Illyrico collecto, quod ſemper in Papatu fuit, & manſit vera Eccleſia, etſi Papatus multitudine Idololatrarum conſtiterit, nec ipſe fuerit Eccleſia Chriſti: qui tamen craſſioribus erroribus reſtiterunt, ſuos etiam non leues errores habuerunt,

runt,

sunt, fidei etiam articulos diluentes & adulterantes, in quos indicti sunt multitudinis exemplis, vel simili quapiam causa. Omnino ergo cum Dn. Philippo consentimus, ne quidem articulos fidei, qui vere sunt fundamentū doctrinæ Christianæ, semper esse puros etiam in vera Ecclesia, ideoq; proposita nota puræ Euangelii doctrinę fundamenti ratione nō iubet necessario expectare perfectā puritatē. Rursum vero oritur quæstio, *quomodo vera Ecclesia inueniri possit, nisi ad exquisitam puritatē articulorū fidei attendatur?* Resp. In inquisitione hac minime deserenda est sinceritas doctrinę præcipue eius, quæ fundamentū proprie præstat. Vt enim hæc purior iudiciū rectius regat auctoritas hominum, quamuis multis indiciis sanctorum, cum alicubi a semita verbi Dei deflectunt, ex oculis censoris eripitur. Debet etiam constare zelus anathematizans, aliud Euangelium docens, quam quod sincerum sit, & quamuis errorum gradus sint, atque alii aliis, vel leuiores, vel grandiores, nunquam tamen vlli, si modo doctrinæ error sit, tanta debet esse parata indulgentia, vt eum accusari non liceat, nec demonstrare, quomodo paululum fermenti totam massam corrumpat. In applicatione autem ad personas errantes, cum videlicet alius de alio iudicat, moderatione quadam opus est, cum immensa & inexplicabilis sit benignitas & misericordia Dei in filiis suis errores

tales aliquo vſque tolerantis, in quibus vere
conſequatur ἄχριστος, quemadmodum ex Petri
hypocriſi tale quid collegit Paulus infirmi-
tate etiam iudicii conſequentia non videntis,
vel hæc reiicientis, & antecedens retinentis,
ratio errantium tolerabilior reddi poteſt, etſi
errores ipſi ſint intolerabiles. Sic Petrus non
docuit conſequentia Paulina, etſi hic præbue-
rit antecedens, neque tamen hoc inde excu-
ſabile fit, ſed per ſe naturam ſuam retinet. Re-
cte etiam grauiter compellantur & reprehen-
duntur taliter errantes, quemadmodum Pau-
lus increpauit Petrum vehementer, ne vel au-
ctor erroris ſibi blandiendo in peccato perſe-
ueret, idq; augeat, vel plures iſti erroris impli-
centur, & maius Eccleſiæ damnum inferatur.
De ipſis perſonis tamen præſertim ante mani-
feſtam fatalem impœnitudinem ſententia da-
mnatoria feratur huiuſmodi, *quaſi nimirum
propter quoſuis errores per ſe damnabiles, ſtatim
ſimpliciter a corpore Chriſti plane abſciſſi ſint, vel
Eccleſia, quæ fidei articulos puros non habeat,
Chriſti eſſe non poſſit.* Obiecit mihi charta An-
tidotaria Bremenſis publice, tanquam graue
peccatum, quod vbiquitarios aliquo vſq; to-
lerem: quaſi vero ſint patientiæ & modera-
tionis iſtius meæ cauſæ, ex præmiſſis patet: a-
lii moderationi contrarium putant, quod er-
rori propitius reddi nequeam. Hic ſimiliter
reſponderi poteſt ex hoc loco prudentiæ pio-
rum, grauiſſimus & minime tolerabilis error

eſt

est, quod quidam dicunt, idem esse, siue loquaris, Christus Deus & homo est vbiq; , siue Christus secundum vtramque naturam est vbiq; , sic etiam persona & naturæ idem essent, vnde vel vna erit natura & persona vna, vel duo personæ & duæ naturæ. In summa hæc assertio identitatis est primarium fundamentum horrendissimarum hęresium sicut Damascenus lib. 3. de orthodoxa fide cap. 3. verissime dixit. *hoc est*, inquit, *quod Hæreticis imponit τὸ ταὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν καὶ τὴν ὑπόστασιν, neq; emendatur error, si concedatur, quod falsa sit identitas ista in priore genere prædicationum, relatione autem ad secundum & tertium excusetur, retinenda enim est hæc maxima, quod persona Christi & naturæ quibus persona constat nullo modo prædicandi distinctionem admittant, vt idem fiant.* Certum est etiam, quod si datæ theses, quarum prior personam, posterior naturam respicit & appellat, aliquando idem, aliquando non idem statuantur, necessario duplex vnio personalis postuletur, cuius consequentiæ necessitatem experientia commōstrauit, cum Iacobus Andreæ, cuius saluandi gratia ista identitas conficta est, huiusmodi duplicitatem non potuerit negare, sed expresse affirmarit.

Quanta vero hæc sunt portenta? & tamen ad exemplum Pauli resistentes Petro in dogmate, cuius consequens est amissio Christi, ea vtor moderatione, vt errorem quidem si-

ne turpitudine pudendum, quique verum Christum destruat, & falsum confingat, digno zelo abominer & damnem, ne excusationis Heresium culpam contraham. Qui vero isto errore fascinati sunt, hos non promiscue & simpliciter quasi veri Christi fine plane expertes exiecror, cum multi sint, qui non malitia peccent, sed infirmitate iudicii non videant dogmatis fœditatem, neq; etiam propterea illos abscissos puto, quod admonitionibus rectioribus non statim locum dent, cũ sciam, quibus artificiis seducentium obnubilentur animi ipsorum vt lucem primo intuitu non videant. Denique misericordiæ Dei infinitæ limites non cognoui, Deumque timens mihi non sumo iudicium de personis soli Dei relinquendum, ipsos tamen errantes nihilominus de peccati atrocitate cõmonendos & tremendæ damnationis terrore humiliandos esse necessariũ fuerit, cũ Paulus ita egerit, & quosdam a periculosa securitate & Heretico errore hac fidelitate nostra liberatos compertum sit. Similiter quoque hereticus error est, cum docetur humanitatem seu corpus Christi essentialiter & κατ᾽ ὀυσίαν esse omnipræsens per vbiquitatis illius communionem, quæ est idioma Dei infinitum.

Occupatus itaque hoc dogmate necesse est vehementer argui & de immanitate erroris commonefieri, quod nimirum tali doctrina
in-

Inueritabiliter & per necessarium consequēs & deitatem duplicent, vt vna sit æterna, altera facta in tempore, & humanitatem geminent, vt vna nobis altera facta Deitati sit consubstantialis. Quam vero horrendum monstrum fuerit Christus inde confectus? Etsi vero tantus est hic error, nulliusque personæ respectu tolerabilis reddi potest: nonnullos tamen in illum inductos nisi sufficienter admoniti contumaciter veritati reluctentur, & αὐτοκατάκριτοι facti, propagando errorem piis noceant, & fideles monitores iniuriose tractent, fraterna caritate aliquo vsque tolerandos censeo, cum non paucos assertores istius thesis nouerim, qui toto pectore abhorrent a consequentibus. Commentis autem astutis & tyrannide papali quorundam coniecti in metum, vel etiam persuasi sunt, quasi simplici reiectione erroris antecedentis deficiant a confessionibus harū Ecclesiarum publicis, & Christi personam diuidant, aliaue similia committant: Ideoque non malitiose serui sunt humanarum opinionum, quibus quantum clementissimus Iesus indulgeat ego non determinabo, ideoque bene de ipsis bene sperare desino, etsi illis subinde ad exemplum Pauli obiicio præsento Christum. Ab hoc etiam periculo minime immunes sunt, quos parentes & patroni vbiquitatis hac distinctione solan-

tur, & in consensum suum cogunt & capi-
uant, qnod nimirum terminus κατ' οὐσίαν &
essentialiter, dum sit in data propositione, co-
probus, quando significet corpus Christi
proprietate suæ naturæ esse omnipræsens,
secus autem si κατ' οὐσίαν opponatur virtuti
vel operationi, vel corpori Martianitico vel
Manicheico: delirium enim hic audis, siue
confusi cerebri siue ad decipiendum com-
positi, nequaquam vero sani discretionem.
Si enim κατ' οὐσίαν & essentialiter idem est,
quod proprietate naturæ, quemadmodum lo-
cutus est Magister sententiarũ, causam essen-
tialem non externam intelligens, tum idem
quoque erit corpus virtuti vel operationi
vel phantasmati oppositum. Si autem pro-
prietate naturæ (vel de efficiente causa vel de
modo locali & physica locatione accipiatur,
quemadmodum huc torquentur sensus, ve-
sutorum) cuperent scire, quo probato au-
ctore hæc verba κατ' οὐσίαν & essentialiter
taliter exponantur. Præterea si recepta fue-
rit hæc declaratio, manet intactus intelle-
de causis constituentibus, ideoq; inesse ve-
bis concedetur, quæ causæ humanitatem
corpus Christi, sicut realiter & vere est, re-
ctu suæ essentiæ omnipræsens dici statui,
etsi illud non ex se habere, verum ali-
acquisiuisse, aut modo quem velis super-
turali tale factũ esse fingatur. Est & hoc
de stolidum & insanum quod Martianitic-

& Manicheicum corpus ex aduerso respici creditur, si humanitas vel corpus Christi nō saltem virtutis & operationis, sed imprimis respectu suæ essentiæ omnipræsens doceat. Hoc enim modo necesse est aboleri veritatē humanitatis vel corporis Christi, quæ nobis consubstantialia sunt, & substitui aliam veritatem essentialem, quemadmodum Iacobus Andreæ contendit, indeq; carnem spiritualem finxit, de quo commento Tertullianu libro de carne Christi: licuit Valentino ex priuilegio Heretico carnem Christi spiritualem cōminisci. Etsi vero altera illa veritas, secundum quam caro Christi nobis non est consubstātialis, verbis appellatur essentia, reuera tamen & in effectu nihil est, ideoque a Tertulliano recte vocatur mendacium. Hoc si nō est Martioniticū & Matianaicum, simile tamen erit & cognatum genere quacunq; specie definitum. *Quiduis enim fingere potuit ex carne Christi quisquis eam humanam credere noluit*, inquit Tertullianus in dicto loco. Vanissime ergo putatur, hoc commētum facere ad refutationem istorum Hereticorum: Sed abrumpo nunc examen istarum nugarum, quibus misere detinentur boni etiam in tam fœdo dogmate, tantumq; paucis indicare volui, quod glossæ additę Hereticæ propositioni hæreses accumulent, non minuant, & tamen talibus phantasiis immersos cōmiseratione Christiana dignos censeo, & in

gremio Ecclesiæ tolerandos, quam diu videlicet illos monendi & erudiendi adhuc spes est: itaq; nolim affirmare omnes hac opinione dementatos pro abscissis a vite Christo habendos & extra vineā proiiciendos esse, etsi omnino a nobis audiri debeant sine hoc periculo ista vbiquitaria somnia non posse recipi & foueri. Fateor diserte de his ipsis dici, quod *in Epist. Ioh.* 2 decernitur iis, qui negant Christum in carne venisse, nec tamen arbitror ista sententia prohiberi moderationem, quæ inter meritum erroris & exsecutionem pœnæ distinguit, equidem non audio istos, quæ promissam vbiquitatem credant, eximere a sententia Ioannis, ideoq; non patior mihi persuaderi mollitiem, quæ errori palpum quęrat, quod est aue dicere erranti: differri tamē a longanimi Deo nonnunquam exsecutionem existimo ex Petri atq; Barnabi exemplo liquere, cumque mea potentia Dei mihi non sit mensuranda, malo hic si falli debeam caritatem meam decipi, quam Dei iudicio me temere ingerere. Ex his itaq; cordato censori manifestum erit, quare vbiquitarios vehementer arguam, & tamē etiam aliquo vsq; tolerem, qui duo mores imperitis videri possunt aduersantes cum eos pietas coniunctim ferat. Sic de Cinglianis & Caluinianis etiā puto statuendū nisi vel aperta contumacia vel effreni pię tranquillitatis turbatione, errorúmq; feroci disseminatione aut huiusmodi delictis
alijs

aliis grauius aliquod extorserint. Redeamus a. ad quæstionē quomodo inueniri possit vera Ecclesia, si hæc etiam ipsos fidei articulos aliquando minus puros habeat. Dixi g. non esse discedendum a regula iudicii, quæ iubet attendere ad puritatem doctrinæ Euangelii. Deinde zelum in arguendis erroribus articulos fidei inuadentibus non esse mittendū. III. Etsi de personis quibusdam ita errantibus bene speratur, ipsis tamen *aue* non est dicendum, hoc est, non concedendum vt sibi in errore blandiantur. Ne vero moderatio hæc parcat antichristi Ecclesiæ vel discrimen vere piorū & palā impiorū tollat, obseruetur status quidā discernēs pios errantes ab improbis & reprobis. Sicut n. Apostoli erroribus p̄occupati & tolerati a Christo vocē suam repetente & vrgente subinde profecerunt in veritatis agnitione & tandem falsas suas opiniones inuadentes articulos fidei & obscurantes beneficia Christi plane abiecerunt, ita a fratribus debetur æquior sententia illis, qui dogmatibus prauis infecti in statu versantur docilitatis, & licet subito non exuant falsas opiniones, quoniam sancto Dei iudicio nebula obducta est mentibus nonnunquam, vt vel non demonstrata facile videant, luci tamen aliquantulum agnitæ, & subinde clarius affulgenti oculos adhibent, deque erroribus magis magisque remittunt. Qui ergo tales sunt iure caritatis & modestiæ Christianæ, etsi erroribus implicati sint, articulos fidei carpentib.

& adulterantibus, frui debent tamen tollera-
tia nostra, nec temere scindendum est corpus
Ecclesiæ, quod ipse Christus passus est in sua
schola cohærere, & si in doctrina fidei non le-
uiter erraretur. Hanc moderationem tradit
nobis Apostolus 1.Cor.3. *Secundum gratiam
Dei*, inquit, *quæ tradita est mihi, vt peritus ar-
tifex fundamentum posui, alius autem supere-
dificat: porro quisque videat quomodo superedi-
ficet, &c.* Hinc discimus fundamētū constare;
& si præter aurum & argētum & lapides præ-
ciosos etiam ligna, fœnum & stipulæ super-
ædificentur, quibus vstibilibus rebus historia
Ecclesiæ cogit & ea accensere, quæ inuadunt
& obscurant articulos fidei & beneficia Chri-
sti. Diligenter autem notandum est, quod oc-
cupatus erroribus in articulum fidei impin-
gentibus & Christum per consequens anni-
hilantibus debeat versari in statu exustionis, vt
subinde aliquid absumatur de falsis illius opi-
nionibus in fundamentum incurrentibus, &
sic erranti salutem sponderi, quemadmodum
Apostolus inquit: *Si cuius opus exustū fuerit da-
nū faciet, ipse v. saluabitur ita tamē vt per ignē.*
1.Cor.3. Quāobrē vbi errores qui saluo funda-
mento tollerari nequeūt, pertinaciter defen-
dūtur, & impœnitudine durata exustionis status
nullus est. ibi moderatio indicata neq; applicari.
Monēdi etiā sūt studiosi, ne errores doctrinæ,
q̃ p se nō sunt fingant, queādmodū hodie quidam
de exorcismo baptismo infantū in reformatis

Ecclesiis adhibito horrendos clamores excitant, quasi per se impietatem execrabilem cótineat, de quo operæ pretium erit expendere iudicium Bezæ. Sic enim in libello de Ecclesia pa. 47. *Sed illud imprimis hic obseruandum est, nævos istos, & velut tubercula interdum eo vsque excrescere, vt in gangrænam euadant, & membra ipsa a corpore auellant, quod posterum imprimis culpa euenisse cum veterum tum nostrorum exempla longe turpissima demonstrant. Sic exorcismus alius quidem ἐνεργουμένοις proprius, alius vero omnibus adultis ad Christianismum a Paganismo accedentibus cõmunis, pastorum oscitantia in baptismum infantum ex Christianis nascẽtium inuectus, initio fuit næuus duntaxat, qui a veteribus Episcopis non animaduersus eousque tande auctus est, vt in Papatu quidẽ quasi necessarius retineatur, ac proinde in ἐθελοθρησκίαν rem minime iam indifferentem euaserit, in aliquibus Ecclesiis vero quamuis Euangelia luce illustratis quasi non inutilis, magno certe pastorum dedecore, retineatur.* Hæc Beza. Ex quibus intelligitur, eum non fuisse ausum Ecclesiæ ante papatum vel nostræ obseruatum illum exorcismũ tribuere, quod Pontificiis exprobrat, cumque fateatur eum ritum in papatu propter ἐθελοθρησκίαν minime indifferentem euasisse, præsupponit exorcismum sine tali nota & per se indifferentem esse, quod probe obseruetur, ne recentes disputationes in Lutherum, Philippum horumque fideles παραστάτας & secta-

tores iniurios vos reddant nostrisque Ecclesiae labem tetrae impietatis aspergere iuuetis. Notari & hoc potest, quod Beza exorcismum adultis a Paganismo ad Christianismũ accedentibus adhibitum, eo qui baptisandis infantib. accommodatur tolerabiliorem reddit. Hunc enim post illum oscitantia pastorum inuectũ conqueritur, qui si ex infantum baptismo vitium contraxit, rursus peradeo vitiosus non erit, neque necesse est præsupponere hominẽ corporaliter a Diabolo obsessum, si in quoquo iste, queadmodũ in adultis ad Christianismum admissis exorcisetur. Sed quia Beza sui cõcepti discriminis cãm nõ exprimit, minus cõmode argui potest. Hoc tamen non negligendum est quod dogma de innata sanctitate infantum ex Christianis genitorum, quam ad Baptismi afferre dicuntur, vt supra in loco de baptismo indicatum fuit, vere sit Gangrena, quæ articulos fidei depascat & perdat: quæ pestis nisi prius exscindatur, quam exorcismus tollatur, manifestum est istos innouatores muscam colare, & camelum deglutire: a quibus moribus pietas nos iubet esse alienos. Postquam etiam hactenus didicistis non propter quosuis errores ex consequẽtibus Christum inutilem reddentes scindi debere Ecclesiam, magis cauebitis propter ritus indifferentes Schismata excitare & turbare infirmorum conscientias pro quibus Christus est mortuus. Videntes autem tot distractiones in timore Domini recor-

cordemur sanctitatis Dei inter horrenda gratiosæ & hoc testimonio Apostoli nobis commendatæ 1. Corinth. 11. *Oportet etiam Hæreses inter vos esse, vt ii qui probati sunt, fiant manifesti inter vos.*

CONFIRMATIO.

Psal. 22. *Narrabo nomen tuum fratribus meis* Psal. 68. *in Ecclesiis benedicite Domino de fontib. Israelis* Esaiæ 8. *Ad legem & testimonium.* Ier. 31. *Si defecerint leges istæ coram me, tum & semen Abrahæ deficiet.* Matth. 6. *Pater sanctificetur nomen. &c.* Luc. 16. *habent Moysen & Prophetas.* Ioh. 10, *Oues meæ vocem meam audiunt.* Gal. 3. *A me absit gloriari &c.* Matt. 23. *In Cathedra.* Phil. 3. *Scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis Dei.*

VIII. THESIS.

Altera nota Ecclesiæ veræ in terris est legitimus vsus sacramentorum.

EXPLICATIO.

NOtæ quæ vsitatæ tres proponuntur, sunt conformatæ partibus ministerii Euangelii tribus, quas Christus hac oratione complexus est Matth. 28. *Euntes docete oẽs gentes, &c. Et docete eos seruare omnia quæ præcepi vobis.* Secũda est vsus sacramẽtorũ legitimus, pẽdetq; hui⁹ notę meditatio a priori cũ sacramẽta sint visibile verbũ seseq; ad verbũ simplex

habeant ſicut ſigilla ad literas pacti. Legitimus vſus eſt, qui ad legem ſeu normam Dei inſtituentis conformatur: hic vero vſus conſtat externa actione, diuinitus definita, verbo Dei incluſa, & verſante circa elementa certa & denominata, hominibusque iuxta Dei mandata applicata. Etſi enim ſacramenta fidem etiam neceſſario poſtulãt, & media ſunt diuina, quibus illa donatur & augetur, tamen illa non facit ad conſtitutionem ſacramẽtorũ, ſed ad horum ſalutarem fruitionem neceſſaria eſt, nec poteſt illa nota eſſe Eccleſiæ diiudicandæ ab hominibus, cum ſit interna ſpiritualis qualitas in ſenſus externos non incurrens, & nequit quoquã noſtrum in aliis ita probari, ſicut in nobis ipſis, dubitari tamen non poteſt, quin in cœtu ſynceram doctrinam Euangelii amplectente, & ſacramentis ſecundum inſtitutionẽ vtente, Spiritus ſanctus per illa media ſit efficax, & multos ad vitam æternam regeneret. Hic quæritur *num baptiſmus in papatu manſerit legitimus, cum multis fuerit defœdatus idololatricis rebus & ritibus?* Simplex autem eſt reſponſio, quia manſerint ſubſtantialia conſtituẽtia integrum baptiſmũ; nimirũ baptiſandorum hominum infuſione aquæ vel immerſione in illam, in nomine Patris Filii & Spiritu ſancti legitimum vſum cõſtitiſſe, etſi alias deprauatum multis acceſſoriis, a quibus ſanctam Trinitatem abhorruiſſe non eſt dubium, & tamen ordinationem ſuam non deſeruiſſe, recte

tuitu

statuitur. Si enim hoc recipiatur, vt quæ indigna accedũt ad institutum sacramẽtorũ vsum, sacramenta ista sic vitient, vt plane cessent esse sacra Dei media, subinde de sacramentorum veritate ambigendi erit occasio: maxime si indignitas administrantium & communicantiũ occurrerit. Recte ergo factum esse illud, illucescente Euangelio ministerio Lutheri & aliorum organorum Dei sanctorum, quod baptismus in Papatu baptisatorum non fuit in dubium vocatus, id quod etiam superius disputata respicit, quibus traditur, Deũ per verbum suum inter confusiones multarum opinionum articulos fidei inuadentium, & aliquatenus violantium pro sua benignitate & misericordia ingenti suos sibi separare & eos quoque sibi asserere, quibus articuli fidei non sint omnino puri. Historia quoque confessiones colligens in medio papatu eiusque tenebris densissimis scriptas manifesta suppeditat testimonia etiam in papatu & sub papatu fuisse Deo segregatam Ecclesiam veram, etsi ipse papatus vere fuerit Antichristus, ideoque Ecclesiæ Christi nomine nõ possit insigniri. Ecclesiam vero in papatu non sine baptismo neque alio quam defœdato natam tum esse dici potest. Quod exemplum nos rursus ad moderationem reuocat, quæ in his notis examinãdis iudicio & misericordiæ Dei multa reseruat, neque tamen manifestam impietatem approbat. Esaiæ tempore, quis fuerit status Eccle-

ſiæ,verbis Domini proditum eſt. Nam cap.
reiicit ſacrificium,quia mendax ſit: incenſum
ait ſibi eſſe abominationem,ſeq; ferre nō poſ-
ſe Calendas & Sabbatum & Feſtiuitates,quod
cœtus eorum iniqui ſint.In hoc ipſo tamē ſta-
tu Propheta agnoſcit Eccleſiam, quia, inquit,
niſi Dominus exercituū reliquiſſet nobis ſemen
quaſi Sodoma fuiſſemus , *&c.* Locus ergo qui
miſerationi diuinæ relinquendus eſt, nō per-
mittatur abominationibus, hoc eſt, impietas
& iniquitas hominum propter benignitatem
Dei nullo modo excuſetur.Sic tempore Chri-
ſti in populo Iudaico dominabantur ſcribæ &
Phariſæi,ſerpentes nimirum & progenies vi-
perarum *Matth.* 3. *&* 23. de quibus Chriſtus
ibi diſerte dicit: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hy-*
pocritæ. Iſti ergo peſſime vtebantur verbi mi-
niſterio ipſumq; templum fecerant ſpeluncā
latronum. *Matth.* 21 .Et tamē Cathedra Moy-
ſis durans,quam ſcribæ & Phariſæi occupabant,
erat ſacri miniſterii inter tot prophanationes
conſeruatio , quod Chriſtus tum etiam non
dubitabat commendare. *Matth.* 23. Vere e-
iam fuerunt quidam tum ſanctus Dei populus,
quos Deus nouerit, & ſi ignoti fuerint homi-
nibus,ſicut 3.Reg. 19.ex 7.millib.Deo ſeruan-
nullū nouerat magnus Propheta Elias. Præ-
terea vero nominantur tēpore Chriſti Zacha-
rias, Eliſabeth , Ioſeph, Maria, Simeon, An-
na,qui cœtus non fuit Deo collectus alio mi-
niſterio,quā quod erat Cathedra Moyſis, ad-
opus

opus Dei in ministerio verbi & sacramentorũ operibus humanis non impeditur, neq; tamẽ impietati & huius auctoribus atq; perpetratoribus parcet zelus & reprehensio piorum, discreto vero iudicio sanctũ a non sancto distingui sciatur, hocque culpato imẽsitas misericordiæ Dei prædicetur iuxta dictum: *misericordia Domini quod nõ consumti sumus, quia non defecerunt miserationes eius.* Thren. 3. Quæ ergo hinc colliguntur de Ecclesia pontificia non deserenda, illis captiunculis proceditur a probatis ad improba stabilienda, quod est a baculo ad angulum concludere. Præceptum Domini est fugite ab Idololatria 1. *Cor.* 10. & licet Belial sese iis, qui Christi sunt, ingerat, nõ tamen concordia est Christo cum Belial, nec communio luci cũ tenebris, quapropter exite e medio illorum 2. *Cor.* 6. Qui etiam hic excusant parentes suos infantes ad baptisma pontificium, etsi hoc idololatricum nouerint & excundo vitare, suisq; liberis sanctius curare possent, hi cõfundũt similiter distracta. Etsi enim baptismus propter substantialia a Pontificiis seruatus non reprobatur, tamen durãtes abominationes, quæ accedunt, illi væ audiunt, & sicut aliud est pati, aliud agere malum: ita aliud est statuere infantem in papatu baptisatum verum baptismum accepisse, aliud pronuntiare intelligentem prophanationes nec fugientem cum possit, sed curantem eas non peccare.

Quod attinet ad ſacramentum cœnæ, illud non fuit ſacramentum in miſſa priuata Pontificia, neq; laicis integrum relictum fuit, adempto vſu poculi, neq; tamen deſinimus miſerationem domini prædicare, qui ſacramentum ingreſſus in Eccleſiam in ſubſtantialibus integrum & ita ſub papatu Eccleſiam ſeruarit. Ea vero quæ propter ſeruatos in papatu in mediis tenebris poſt exortam lucem ad colluſiones cum impietate Antichriſti palliandas Hypocritæ & ſecuri ſpecioſe comminiſcuntur tutius reiiciuntur per Exite Paulinum, quam ut curioſe tractentur. *Nunc cum ſitis lux in domino*, inquit, Apoſtolus Eph. 5. *vt filii lucis ambulate probantes quod ſit acceptum Domino & non commercium habete cum operibus infrugiferis tenebrarum, ſed ea arguite.*

Confirmatio.

Matth. 28. *Mar.* 16. Vbi collectio Eccleſiæ Catholicæ committitur Apoſtolis, doctrinæ Euangelii adiungitur baptiſmus, de quo Iohan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, & additur in Matt. *docete eos ſeruare omnia, quæ præcepi vobis.* Dixerat autem de ſacra cœna, *hoc facite in mei commemorationem* Matth. 26. idque voluit fieri donec veniat ad iudicium. 1. *Corinth.* 11. Propagatio ergo & conſeruatio Eccleſiæ non erunt ſine ſacramentis, ideoque notam eius in terra hac perpetuam cognoſcendæ præbet.

Thes

IX. THESIS.

Tertia nota Ecclesiæ Christi est disciplina Ecclesiastica seu obedientia debita ministerio in his quæ ad ministerium propriè pertinent.

EXPLICATIO.

NOtæ solummodo externæ recitantur, cum de iudicio penitiore scrutante, aliorum hominum intima hic agi nequeat, vbi humana inquisitio & cognitio instituitur, & quidem hæc externa nota est consequens internorum effectuum verbi & sacramentorum, cuius etiam gratia prioribus addita est hæc nota. Sicut autem syncero ministerio verbi & sacramentorum congregantur boni & mali, veluti reti coguntur boni pisces & putres. *Matth.* 13. Ita disciplinam etiam simulare possunt improbi, & plerumque hypocritæ sunt pessimi, & iudicium Dei horrendum audiunt *Matth.* 23. Coniunctim vero æstimandæ sunt recitatæ notæ, ne cui Pharisaismus, qui in multis fanaticis sectis regnat, Ecclesiam fingat & persuadeat. Limitanda est obedientia, ne sit similis pontificiorum, qui impia sunt mancipia Papæ, ciuilem & Ecclesiasticam potestatem confundentis, sibique licentiam sumentis præcipiendi, non quod verbum Dei præscribat, sed quod in scrinio sui vanissimi pectoris præter & contra verbum Dei natum, & propha-

næ libidini ſuæ placitum fuerit. Verbum ergo & mandatum Dei præluceat diſciplinæ, quæ notam habeat Eccleſiæ Chriſti, iuxta illud Dauidis, *lucerna pedibus meis verbum tuum*. Pſalm. 119. Porro autem quæritur, cum nemo ſit, qui ſeipſum probãs vere teſtari queat, ſe omnia quæ ex paſtore ſuo ex verbo Dei audit inculcari, facienda vel omittenda in ſua vita obſeruet, vel ſaltem externis moribus ſemper exprimat, num ideo tales non ſint ciues veræ Eccleſiæ. Quoniam autẽ plane ἀναμάρτητον eſſe ne vllus in vita & moribus Chriſtiani neuus deprehendatur, non ſit Eccleſiæ militantis ſub vexillo Chriſti in hac terra: pro remiſſione autem peccatorum orabit ad Deum omnis ſanctus *Pſal*. 32. Non eſt illa nota de perfectione accipienda, ſed vbi eſt ſtudium regendi mores ad legem, quæ eſt norma voluntatis diuinæ, idque fit fide in Filium Dei, ibi character eſt veræ Eccleſiæ, id quod quiſque in ſemetipſo probans, etſi cum peccatis confligatur, & ſubinde, quemadmodum Paulus, quod nolit, faciat continuata pœnitentia non deſinit eſſe membrum viuæ Eccleſiæ. Enormia autẽ peccata, quæ Apoſtolus vocat mortalia, quæ viuis membris non competant, ideoque ſpiritum ſanctum excutiant, vitanda ſunt, & opera danda eſt, ne vbi caro Spiritui repugnet, quod nunquam non fiet in hac vita nos illam dominari ſinamus, quemadmodum illi faciunt, qui & iraſcuntur iuſtis doctorum incre-

increpationibus illis maledicunt, ægre faciant & emendationem malitiose respuant. Tales sciant, quod se vere ex Ecclesia excludant, & quamuis pastor cesset vti claue ligāte externa excommunicatione, multi tamen solis comminationibus ministrorum DEO executionem præstante, eiiciantur extra vineam, neque tamen si sonet pura Euangelii vox & Sanctorum legitimus vsus non cesset, etiam atrocissima scelera consuetudine multitudinis indurata Ecclesiam eius loci plane tollunt. Etsi enim vera non sunt membra, qui talia perpetrant, neque pœnitentiam agunt, tamen in illo cœtu statui Ecclesiam oportet, vbi verbum Dei syncere docetur, & sacramēta recte administrantur, neque potest omnino deesse disciplina vbi verbum non periit, quoniam huius gladio illa fortissime vrgetur, imo ingruente etiam extrema licentia scelerum, vt multitudo dominans Spiritus reprehensionem nolit ferre, sicut Nohæ temporibus est factum *Genes. sexto.* & erit in fine mundi. *Matthæi vigesimoquarto.* Durante tamen diuina voce etiam in domesticis angulis & priuatis durat Ecclesia, cum verbum Dei nunquam redeat inane ad Dominum suum *Esaia quinquag.*

CONFIRMATIO.

Huc pertinet quod *Matth.* 28. citauimus,

docete eos seruare omnia quæ præcepi vobis Matth. 3. *Facite fructum pœnitentiæ dignum.* Item, *omnis arbor non ferens fructus &c.* Matth. 12. *aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem putrem & fructum eius putrem, nam ex fructibus arbor cognoscitur.* Ioh. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt alii alios diligatis, sicut dilexi vos, vt etiam diligatis alii alios, ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos.* Heb. 13.. *Obedite præpositis vestris.*

FINIS.



ERRATA.

Pagina 4 linea 2 accurate pag 7 lin. penult. relinquunt p. 17. l 6 creaturis lin 17. Philippus p. 22. l. vlt. queat p 23. l 20 fucata p 25. l. 24. commendationem. lin. 2 lt. Tusculan p 26 l. 1 propius p 27. l. 15 autem. lin. fin quidam. p 30 l. 1. dele colon lin. 14 fœcundauit lin. 18 mortuum lin fin. historiis p 31. lin. 1. Bibliorum lin. 23. digitus p 32 l 2 Hebrais p 33. l 22 misericors pagina 15. lin 2 communibus p. 56 l 2 demonstrari p. 61 l. 1. Christus inquit pag 63 l 25 infatuauit p 64. l 2. principem lin. 4. spiritualiter l. 27. Theologicum p 65. l. 27. Theologicis p. 70. l 18 dele in pag 87 lin, 8, Psal lin. 28. Apostolicis p 88 l 9. perspicuus p 102 l vlt si vos p 104 l 15. Catechetico, p. 115. lin. 17. epistola, p. 117. l. 28 omnimoda. p, 119 l, 21, Hebrai, p, 120, l, 1. æternitatem p, 122. l 6 corporis p. 127 l, 6, difficultate ad homines, lin, 7, argumentantes pagina, 130 l. penult. in pares, 24. p. 146, l, 14 autem p. 148 l. 1 en Hebra, lin, 25. oportuit. Item. p, 155 l. 5. confusionem p, 162 l. 4 mentem, p, 168, l, 5, omnipotens. lin, 26, mediocribus, p. 179, l, 4, Abraha lin. 24. Ecclesia, 190 linea, 4, prædicato pagina 215. linea, 6. coessentialis, coæternus, pagina, 222, l 15. tractatum, p. 224 l. 9. ac certo. p. 245, l, 14, infirmitates p, 247, l, 2, Hebræor p. 251 l. 16 explicatio p, 255 l, 10, inquit angelus. p. 260 l 24, facta p. 261, l, 28, de communione p. 265. l. 18 enim mors pag, 269. lin. 16, Epicureorum lin, 27, siue bonis p, 270, lin, 8. his pag 277, l 8, constituisti lin, 25. mors absorpta. p. 285, l, vlt, geniis p, 287. l. 12 peric p. 298, l, vlt rubeus, p, 299, l, , rubeus vel rufus, p, 306, l, 1, corpori Christi, p, 312, l, 6, secundum, p. 313 l 29. Christi, pag. 314, l. 23 antiqua Catholica lin, 2 , falsum p, 317 l. 20 hoc est p, 319, l, 2, peccatum, p, 327, l 1, quemadmodũ, p. 337. l. 1. seruabunt, p. 346, l, 9, egimus, p, 365, l, 22 , via p 368 l. 1 precarii p 369 l 8, tales. Itaq; lin 25. siue p. 372, l. 3 velut triumfi lin, 14, respectu legis, p, 377. lin. 1, ambularemus p. 378 l, 14. fuit ante vos p, 390, l, 22, gentes, lin, 23, ventre, p, 408, l, 7, vrbem, VII, Ex lin. 11, reliquo-

rum patrum,p,409 l,7,Iudaica, p,410,l,28, ex cap, ...
p,411,l, 19,obedientiam posuerat, & quidem a,p, 416,l,
24,seruitutis,p,419,l,25,in hac solum,p,423,l,20,impe-
rium,id est pag.426,l,24.studio custodiendi p. 428,l,..
Iudaico,pag,280 , linea, 11, scandalizetur,pagina,440
lin,22,exercitus,p,451,l,7.Manichaeorum,p, 458, l,1,e-
nim in,p,460,l,25,autem hoc p,462,l, 6,paulo ante,p,
470,l,22,stigma,p,476.l,8,impetratis,p, 480,l,12.fu-
rem.p, 486,l,19,quomodo p,488,l,17,resipiscenti,p,489,
l,20,resipiscentia,p,500.l,4,ratione p. 502, l,18, efflagi-
tatur,p,508.l,27,duntaxat,p,516,l,3,est ex fide,lin,22,
sequestretur, p, 518,l,19,Euangelii p,523, l,25, aduersu
electos pagina, 539, linea, 18,libertatem,p,550,l,27,soli-
citudinem,p,563 l,12,viuo p 564,l, 22, vniuscuiusq; p
576,linea,1,nomen lin,7,electionem,pagina, 584, l, 2,
propterea p,591,l,11,reuerentia p,593,l,19,paulo.p,60..
l,2,pulcerrimarum p,604,l,6,lex,ibi nec,p,616, l, 4,
cure,pa,620,l,16.sua,& eadem lin,censens,p. 626,l,6
accommodauit,p,647,l,4,substantia,p.648,l, 21,..
inquit,p.652,l,vlt,non dele,p.656 l, 4, miraculosum,..
664,l,21,adhibeatur,p,666,l,10,...etate,p,67..,l,vlt,
est efficiens,p.676,l,1,partes,l,2.& dele,p,678,l,5,legis-
latorem, p, 681,l,3.sacrificare Itaq;.p,688,l,25.celerri-
me,lin,penult.cichoreum,p,692,l,1, sanguinem, p, 695,
l,28,persuaserunt,p, 698,l,23. Simon & Cyrenius , O
Manaen p.699,l,1,ecclesiis p.700,l,17.potestate p,..05,l,
9.adolescens p 706,l,25,medicamēta lin,13.palliare,lin,
vlt,miraculis,p,709,l,8,debeat. Hoc.lin,10,cum ne qui-
dem,p,712, lin,30,liberant,saluant,p,719,l,18,aufert,p,
721.l.19.quauis,p.723,l,3,sacramentum.

F I N I S.

M.O. –

Ad. 14.II.92